DIPTYCHA MARIANA. QUIBUS INANES BEATISSIMAE VIRGINIS PRAEROGATIUAE, PLERISQUE NOUIS...

Theophile Raynaud

DIPTYCHA MARIANA.

QVIBVS INANES BEATISSIMÆ VIRGINIS PRÆROGATIVÆ, PLERISQVE nouis ſcriptionibus vulgatæ, à probatis & veris apud Patres, Theologóſque receptis, ſolidè & accuratè ſecernuntur.

A. R. P. THEOPHILO RAYNAVDO, Societatis IESV Theologo.

GRATIANOPOLI,
Apud CLAVDIVM BVREAV Typographum D. Ducis Leſdiguerij, & Cameræ Computorum.

M. DC. XXXXIII.

Honor Reginæ, judicium diligit. Virgo Regia, falſo non gaudet honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum.

S. Bernardus Epiſtola 174.

INDICVLVS OPERIS.

PRoloquium, *Scopus & forma Scriptionis.*

Cautio 1. *Deiparam omnibus nostris encomiis longè superiorem esse, de Ss. Patrum sententia, & subjuncto ei sensu nostro.*

Cautio 2. *Non si omnes vera laudes nostra, Deipara dignitati impares, oneranda est falsis elogiis, & grauanda vanis absque titulo titulis.*

Cautio 3. *Perfectiones Deipara, cui metro admetienda.*

PARS I.

Homo exterior Virginis, foris conſpicuus.

PVnctum 1. *Virginis Conceptio.*

Punctum 2. *Natiuitas Virginis, & eius adjuncta.*

Punctum 3. *Virginis pueritia, præsentatio in Templo, illibatæ semper integritatis votum.*

Punctum 4. *Sponsalia, seu conjugium ratum cum Iosepho, viro sanctissimo.*

Punctum 5. *Virginis grauiditas de Spiritu sancto.*

Punctum 6. *Aditio cognatæ Elizabethæ per Virginem; Ibidem trimestris commoratio; In regressu, Iosephi Sponsi turbatio, Angelo docente discussa.*

Punctum 7. *Puerperium sanctum, & vndecunque immaculatum.*

Punctum 8. *Gesta Virginis, Christo infante ac puero.*

Punctum 9. *Viduitas Deiparæ, & reliqua de ea ad Filij vsque Ascensionem.*

Punctum 10. *Altera Virginis viduitas, digresso ab ea in cælum, Sponso animæ Christo domino, per totam reliquam Virginis mortalem vitam producta.*

PARS II.

Abſconditus cordis homo in B. Virgine.

PVnctum 1. *Virginis prædeſtinatio, ac electio æterna in Dei matrem.*

Punctum 2. *Virginis ſanctitas ab vtero, imo & à conceptu.*

Punctum 3. *Crementum gratiæ Virginis per reliquam vitam, ac primùm generatim.*

Punctum 4. *Crementum gratiæ in Virgine, ex opere operato.*

Punctum 5. *Crementum gratiæ Virginis, ex opere operantis vniuersè.*

Punctum 6. *Sigillatim de eodem cremento gratiæ Virginis ex opere operantis, carptis ſelectarum eius virtutum floribus.*

Punctum 7. *Gratiæ vniuerſa quantitas in Deipara, à prima vitæ meta, ad extremam.*

Punctum 8. *Minora Virginis Chariſmata, & interni in ea hominis ornamenta deſpicatiora; cùm quoad adeptionem primam, tum quoad factas poſtea acceſſiones.*

Punctum 9. *Gratiæ obices, & quæcunque interni hominis dedecora, procul à Virgine ablegata.*

Punctum 10. *Virginis mortalitatem tranſgreſſæ, gloria & honores, in cælo & in terra.*

PROLOQVIVM,

SCOPVS, ET FORMA SCRIPTIONIS.

Non est bonum, hominem esse solum; Faciamus ei adjutorium simile sibi.

POST absolutam de Christo Domino eiúsque attributis tractationem, illigari me ad aliam occipiendam sentio, hoc diuini consistorij decreto, quod in orbis molitione prima, post efformatum & abundè exornatum primum hominem, in prædicta verba conceptum, scribit Moses *Genes.* 2. Quæ ad primæ mulieris fabricationem spectato literæ cortice pertinentia, graues Patres ad Deiparæ formationem cum prouiso Christi ortu diuinitus destinatam, accommodarunt; Bernardus serm. de verbis Apocal. *Signum magnum*, Rupertus Richardus à S. Laurentio l. 2. de Deip. particula 1. causa 34. & particula 2. *sub initium.* Nec dissentiunt imo apertè suffragantur, quotquot hominem illum quem esse solum non debere; pronunciat Deus, Christum accipiunt verè antonomasticè *hominem*, ac *virum vnum*, iuxta B. Gregorij Glossam, ad vestibulum illud primi Regum *Fuit vir vnus.* Huius viri vnius futuri, formam præcessisse in parente primo Apostolus docuit. Igitur vt Adamo anteriori, sic posteriori, adiutorium simile sibi curandum fuit; non aliud profectò quàm B. Maria, cui secundæ Euæ & mulieris Antistrophæ, reparatricis damnorum à prima omnium matre irrogatorum, decora passim tribuunt Patres; & egregiè præter cæteros. Iren. l. 3. c. 33. Tertull. l. de carne Christi c. 17. Epiph. orat. de Deip. & hæres. 78. quæ est Antidicomarianitarum, Bern. opt. hom. 2. super *missus est*, exscriptus à Richardo à S. Laur. l. 1. c. 1. & multi quos in eam rem præterea aceruant Canis. l. 4. de Deip. c. 16. & Salaz. l. de concept. c. 19. à n. 4. & c. 20. à num. item 4. Benè quoque eam analogiam prosequi[illegible]har. l. 3. de concept. persuasione 5. Quare sicut Deo ipso iudice, bon[illegible]n non fuit

hominem esse solum, sed faciendum ei fuit adiutorium simile sibi; Adamo Eua, Christo Maria: Ita bonum non videtur, vt tractatio de Christo sit sola, & abiuncta à tractatione de Matre. Nam ob tantum nexum filij cum parente, vnius consideratio absque alterius consideratione, hiare videri meritò posset, & qui Christum prosequitur, matrem dimittere non potest, vt Philippus Abbas piè differit lib. 6. in Cantic. c. 33.

Scopus noster in Tractatione de Deipara, furfurum & farinæ probatæ secretio.

2. VErùm ne in argumēto innumerorum propè scriptorum diligentia protrito, inutiliter, vel cum Lectorum nausea versar, nouam mihi ineundam rationem scribendi, video: nec aliunde ferè petitam, quàm ex tanta illa numerositate scriptionum. Vt enim multitudo copiosa, cum accuratione ægrè cohæret; inter tam multos qui de Deipara moles voluminum ediderunt, his præsertim proximis annis, non pauci dum voluminis spissitudinem vel laudem à nouitate captant; quasi non suppeteret vnde Deiparam solidè celebrarent, inde laudum argumenta duntaxat duxerunt vnde minimè petenda fuerant: à sententiis inquam, nec solidis, nec satis subnixis, quas cum vnus aliquis, vel gustui suo priuatim seruiens, vel inter concionandum ad plebem in illo dictionis æstu fuderit, tanquam verisimiles, & ad concionis imperitæ captum accommodatas; cœteri deinceps, non velut vtcunque probabiles, sed vt certas, ac quibus non subscribere ad impietatem accedat, summo studio amplexantur; & quâ verbo, quâ calamo diffundunt, non sine superprodiis & auctariis. Quæ mihi visa semper est, Deiparæ contumelia potiùs ac dehonestatio, quàm gloria. Nam sicut de Christo, iuxta Cassianum l. 1. de Incar. c. 2. quicquid non verè dicitur, quantumuis in speciem honorificum, reuera dedecus infert non gloriam; ita quicquid de SS. Christi parente, secus quàm res habet, splendidè ac magnificè dicitur, tantæ matris decus per se maximum inficit potiùs & imminuit, quàm auget vel illustrat. An id innuebat S. Methodius orat. de hypap. cum Virginem alloquens, ait. [Ad te verò quid dicam, ô mater virgo, & virgo mater? Cum enim opus non humanum est, eius nempe laus quoque hominem excedit. Quamobrem paupertatis hîc meæ obscuritatem, donis muneribúsque, quæ in te spiritus contulit, illustrabo: quæque tua sunt tibi offerens, ex immortalibus pratis sacrum tuum & à Deo coronatum caput dilaudabo: téque, ô Dauid filia, & Domini ac Dei Dauid mater, patriis ac peculiaribus tibi hymnis prædicabo. Turpe enim fuerit, atque adeò inauspicatum, alienis te ornamentis exornari, propria gloria præcellentem.] En *aliena* ornamenta, & extranea, dedecentia Virginem.

3. Operæ pretium itaque me facturum censui, nec tenuiter Deiparæ honori seruiturum me existimaui, separarem pretiosum à vili; & doctrinæ furfurem probatæ farinæ inspersum, adhibito diligentis ex amicis cribro sepo-

netem. Audentiùs dicam; sed ad veritatem: Dignum iustúmque sum arbitratus, si illa (vt vetus autor rectè appellauit) mortuaria glossaria, cadauera planè sententiarum, vita quæ veritas est destituta, inani autem specie verborum obducta, & prætensæ pietatis tectorio vtcunque adoperta, detegerem, & à viuis animatísque placitis sequestrarem. Quod quia hac lucubratione factum venio, placuit illi titulum facere, DIPTYCHA MARIANA; quod sicut veteres Christianæ tabulæ, viuorum & mortuorum continebant nomina seorsim disposita; ita circa quodlibet punctum rerum Deiparæ; hinc solidam doctrinam, Patrum ac Theologorum judiciis, rationibúsque firmatam, tanquam viuam veritatem; subinde verò nugas nouitias, & pietatis heteroclitæ præstigias, veluti emortuam religiosi studij apparentiam, sum propositurus.

Quàm multi de Virgine scripserint, nec pauci ineptè ac inconsultè.

4. VTrumque breuiter. Nam in tanta vbertate Scriptionum de Deipara, nihil necesse est, extra secretionis propositæ fines excurrere, & in diffundendis iis quæ vbiuis prostant, verba prodigere. Scriptores antiquos, in Deipara exornanda cum laude versatos, recenset Trithemius Epistola ad Bernardum Dominicanum; (est 21. familiarium;) S. Bonitum Aruernensem Episcopum, S. Anselmum. Cantuariensem, Bernardum, Rupertum, Albertum Magnum, (cuius de hoc argumento labores circumscribit homiliis super *Missus est*,) Conradum Rinchaugiensem libro de vinea domini Sabaoth; Anonymos duos, Episcopum vnum qui ordine Alphabethico progrediens, ad singulas ferè dictiones, speciale encomium pangit Deiparæ; alterum qui operi suo spisso admodùm & amœno, titulum fecit, Corona B. Mariæ. Tantum Trithemius, qui succumbens oneri, fatetur imparem se recensendis innumeris eiusdem argumenti tractatoribus; nec iis tantùm, qui vnam aut alteram homiliam, vel orationem Sacram, in laudem Deiparæ generatim ediderunt, cujusmodi sunt Epiphanius, Hesychius, Chrypippus, Arnoldus, Goffridus, S. Ephrem, apud quem Vossius circa orationem 23. multos collegit: & qui de speciali aliquo eius festo contexuere panegyricum; signat benè multos seriatim. Richardus Gibbonus, ad calcem Richardi à S. Laurentio: Sed iis prætereà, qui iusta volumina conscripserunt; cuiusmodi extant nunc longè plures; nominatim è veteribus S. Ildefonsus; Rich. à S. Laurentio (qui autor vetus Marialis Alberto adscripti) Amedeus Lausanensis, Augustinus de Ancona, tractatu super *Missus est*, Dyonisius Richelius in opere de Deiparæ laudibus, Pelbartus in Stellario, Bernardinus de Bustis; Inter recentiores agmen temporis & accurationis ordine, facilè ducit Petrus Canisius, insigni opere de Deipara; Eruditè quoque Christophorus Castrius in Deiparæ historia ex Patrum ferè dictis contexta. Vberrimè & cum non inamœna varietate, Spinellus

Tractatione de Throno Dei: Benè Martinus Delrio in opere Mariano, Benzonius in psalmum 86. & aliis lucubrationibus attextis. Hi scholasticum minutiloquium quærimus, sapientissimè ac planè solidè Franciscus Suares Tomo 2. ad Tertiam S. Thomæ partem.

5. Hos subsecuta est turba magna superstitum, ideóque de nomine noto exprimendorum, Scriptorum an Rapsodorum, aut etiam interpolatorum atque mangonum Scriptorum sanè nomine, dignos nonnullos agnosco. Multo plures Rapsodorum, hinc inde sine examine ac iudicio consuentium, lingua præsertim vernacula, scriptiunculas. Interpolatores ac interuersores, qui adscriptis nouis titulis, in alienos labores inuadant, sibíque ex aliorum laureis coronas texant, deprehendet in hoc argumento non paucos, quisquis vel perfunctoriè varios de hoc genere scriptionum fungos hodiernos, cum nuperis & anterioribus scriptionibus contulerit. Quos cum contulerit, agnoscet verè dixisse Philippum Abbatem l. 6. in cant. c. 9. [Non solùm Apostoli, sed & Doctores alij, loco & tempore successores, facti sunt in Ecclesia huius tantæ Virginis laudatores: quorum alij fructuoso casti desiderij merito sunt reginæ, alij non amantes sed amorem simulantes, dicuntur rectiùs concubinæ. In his quippe diebus quibus in vniuerso mundo fructificans fides crescit, apud nonnullos verò abundante malitiâ charitas refrigescit; & multi laudant Virginem amore deuotissimo prouocati, & multi virtutem abnegantes, pietatis specie colorati. Honor enim Virginis, vsque ad id temporis sic excreuit, mundúmq; vniuersum eius fama vel notitia sic impleuit, vt non solùm veri, sed & falsi fideles, videantur eius laudibus exultare, & quos non deuotio, eos vel occasio faciat collaudare.] Non agit de hæreticis, quibus Virginis laudandæ nulla curia; sed de virtutem abnegantibus, falsis eatenùs fidelibus qui non ex vera & solida virtute colunt Virginem, & in argumento auidè à piis omnibus expetito, ponunt operam per occasionem sui commodi: vnde vt eò pertingant quo collimant, noua & inaudita obtrudunt de B. Virgine, non eius gloriam captantes, sed suam.

His scriptionum quisquiliis, fruantur sanè quibus placuerint, & in tanta earum copia, breuitatem nostram ne incusent. Docti verò & emunctæ naris lectores, quibus gerræ illæ librorum, sunt quod esse debent; hoc est nullius pretii, æquè breuitatem nostram boni consulent, si ad illos solidè & cum iudicio conscriptos quos signaui, & alios eiusdem farinæ, quibus abundat Dei Ecclesia, appellant animum. Nobis enim illud duntaxat quod dixi, furfuris à probata farina secernendi studium, necessarium visum est: & in eo ipso exequendo parciores esse poterimus, ob præmissam à plerisque anterioribus diligentiam, cui attestabimur; indicatis locis quæ auidus copiosioris tractationis lector, opportunè adeat.

Vota

Vota in hoc aditu.

6. VErùm in hoc limine induendum mihi Basilij Seleuciæ animum video. [Me verò (inquit orat. 39.sub initium) Dei matri laudem afferre volentem, quantus timor, vti par est, circumstare debeat, ne à veritate aberrem, néue per imprudentiam, dum eam dictis ornare me autumo, quidquam quod dedeceat effutiam? Neque enim mihi propositum est, in montem sensilem, aut fusam supra terram nebulam penetrare; neque pulcherrima ætheris luce circumfulgere: sed qua fas, eorum pulchritudinem superuadere, & cœlestibus orbibus propiùs admoueri.] &c. [Quando igitur Deum incarnatum enixa, *Deipara* dicitur, ad Deum precationis ope dirigar, vt verba mihi præbeat; Domine omnipotens, totius vniuersi rex, qui inexplicabili quadam ratione, mentes corporales spirituali luce perfundis, mentem meam illumina, quo proposita res absque errore cognoscatur, cognita piè dicatur, dicta sine periculo, animo capiatur.] Simile est votum Autoris tractatus de Assumpt. c. 1. apud Augustinum tomo 9. [Te Deus (inquit) omnipotens Pater voto supplice exoro, vt qui mandas nubibus & pluunt imbres, qui tangis montes & fumigant, qui aperis terram & germinat, quid dicam iubeas, quid proferam præbeas, ad quid sermonem dirigam, aperias. Venerabile est enim mihi Domine, & præcordiis meis reuerendissimum, de matre Filij tui loqui, & de sanctissimo corpore eius linguam sermonibus occupare, quæ sola meruit Deum & hominem paritura suscipere, facta thronus Dei & aula Regis æterni, &c. Per quem te quæso Domine quia per illum bona cuncta tribuis, quæ vt tribuas eligis, vt me inoffensè de tanta sanctitate loqui tribuas. Etsi non totùm vt est (quod impossibile omni linguæ humanæ est) tamen ipsum ex parte quod est, dicatur vt est. Sonet ergo pretiosissimum sui pretiositate, sanctissimum certa sanctitate, inæstimabilissimum fidelissima veritate. Quæ quia humanam rationem excedunt, spiritus tuus adsit, qui suo sacro spiramine inducat nos in omnem veritatem. Et quia de eius corpore & anima loquendum est, quæ ipse præter naturalem vsum sanctificauit, & gratiam contulit, non aliena nos dicere patiatur, sed propria, ad laudem & gloriam tuam Deus omnipotens.]

Non ausim & illud cum Petro Damiani proloqui in aditu ad laudes Deiparæ homil. de assumpt. [Hîc totum decurrat ingenium, & aureus sermo tota reluceat maiestate.] Qualecunque tamen erit, quod tenuis ingenij vena, & inculti sermonis pauperies promere poterit, dicam quod idem Damiani continenter addit. [Voluntaria oris nostri, beneplacita faciat sibi, Genitrix Dei, Domina mundi, cœli Regina. Ipsa sensum acuat, dirigat stylum, & linguam pauperis venustiori respergat eloquio. Illustret lucem hanc lumine clariori, & suo conuentui suam præsentiam donare dignetur.] Vsurpabo item quod autor sermonis quarti super *Salue Regina*, apud Bernardum piè dixit, præfatus egregios & eruditos plerosque Scriptores ad laudes Virginis aggressos, non esse assecutos dignitatem Deiparæ. [Quis enim (inquit) loquetur potentias has

Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Etsi dignè nullus, quisque tamen pro viribus. Pro se quisque virum, summa certabat opum vi. Denique currebant omnes in odorem vnguentorum tuorum. Trahe & nos post te ô sancta sanctorum, & ostende lumen miserationum tuarum: Sub vmbra alarum tuarum nos protege.] Nec illud Damasceni omittam ex orat. 1. de Assumpt. [Aperi ô Dei Verbum, tardum istud os nostrum. Da in apertione labiorum nostrorum suauissimam & lepidissimam orationem. Spiritus gratiam nobis affla, per quam piscatores facundia pollent, & litterarum expertes, sapientiam hominis conditione prestantiorem loquuntur: vt nos etiam, qui linguæ hæsitentia laboramus, charissimæ tuæ matris amplitudinem, exiguè saltem & obscurè prædicare possimus.]

Quæ necessaria acturo de Deipara.

7. NEcessarium esse sic proludere dicturo de Virgine, mostrat egregio discursu, Dyonisius Richelius l. 1. de laud. B. Mariæ art. 2. quem auspicatur ab illis verbis huc aptatis, *si bestia tetigerit montem, lapidabitur.* Sic declinantur scopuli in quos impegere plerique, vt obseruat Richardus à S. Laurentio l. 2. de Deip. partic. 5. [Circa Mariam, (inquit) defecerunt multi scrutantes indiscreto scrutinio quia cum tenebrosi essent per præsumptionem, & infidelitatem; in matrem luminis cum suis tenebris impegerunt; & ideò per Mariam obstructum est os loquentium iniqua. Nimius enim perscrutator majestatis eius, opprimetur à gloria. *Prouerb.* 15. Ideò dicitur *Ecclesi.* 43. *Exaltantes illam, replemini virtute, ne laboretis; non enim comprehendetis.* Ideò etiam dicitur Prouerb. 25. *Mel inuenisti, comede quod sufficit.* Et, *qui nimis emungit, elicit sanguinem.* Prouerb. 30. Ideò etiam de hac inuestigatione dicitur Eccl. 14. *Vade post illam quasi inuestigator, & in viis illius consistens*; idest totaliter sistens: Talis enim inuestigatio, quasi quidam pastus est animæ: vnde ipsa dicit. *Qui edunt me adhuc esuriunt.* Quasi in ore cordis habet hæc, qui firmiter ea credit; quasi masticat, qui piè inuestigat; quasi trajicit in corporis nutrimentum, qui benè operando imitatur, & qui rectè afficitur erga ipsam.]

Specialiter autem requiri ad hanc tractationem, decus puritatis eximium, tradit insigniter Andreas Cretensis orat. 1. de Assumpt. [Non alienum (inquit) arbitror, nonnullos ex iis qui hìc sunt præmonere, ne fortè illotis (vt dicitur) aut immundis pedibus, sancta adeant. Non enim ex æquo ab omnibus ingrediendus Sanctorum locus, sed ab iis qui propter mentis puritatem transcenderunt omnia materialia, & transilierunt omnia quæ cadunt sub sensum, quibus maximè Sanctissimum Dei Verbum tabernaculum parans, ingressum concedit liberaliter. Si enim iis qui ad Sina montem audacter progredi contendebant, imminebant fulgura, & tonitrua, & terrores, & sonitùs tubarum, & minæ horribiles: Si autem templi quoque parietes non erat tutum vulgo tangere, & ideò secundis opus erat extrinsecùs parietibus, magnáque res erat ante sanctorum contactum priùs expiari, & ante sacra quæ peragebantur, præ-

parari, idque cum adhuc Deum colebant in vmbra & à velis dependebant typicis. Quanto magis oportet eos qui veritatis lucem habent resonantem, studium adhibere, vt ad hoc magnificum & longè maximum Dei gratiarum tabernaculum, accedant diligenter?] Puritatem adhibere, idipsum est accedere diligenter. Et quamuis necessaria nominatim est puritas corporis, quod Domum Dei, & accedentes ad eam, doceat sanctitudo; tamen adæsio ad cuiusuis generis peccatorum maculas, arcet huius sanctuarij aditu. Vnde ille Sanctorum horror cum acturi de Deipara recogitant peccata sua. Tali se horrore correptum professus est S. Epiphanius in vestibulo orationis de Deipara, & Basilius Seleuciæ orat. de Annunc. *sub initium* necnon S. Anselmus l. de excell. virg. cap. 1. Quare valet hîc quoque illud, *Sancta Sanctis.*

CAVTIO I.

DEIPARAM OMNIBVS NOSTRIS ENCOmiis longè superiorem esse, de sanctorum Patrum sententia, & subiuncto ei sensu nostro.

1. QVIA inuidiosum falsas Deiparæ laudes deterendi opus capesso; periculum est, ne in multorum iudicia incurram perinde ac si minùs congruenter de fundamento encomiorum Deiparæ sententiam feram, cuius laudes, supra iustum ab aliis cumulatas & exaggeratas postulem. Mihi verò mens ac sententia sedit omnino alia; qui & à prima ætate addictum me sanctissimæ Matris cultui omni iure profitear, eiúsque innumeris titulis beneficiarium ac astrictissimum clientem agnoscam; & à multis annis, eius nominatim fauore ac tutela, in eam societatem adscriptus sim, quæ se tantæ matris beneuolentissimam sobolem eiusdem, Deiparæ honori promouendo addictissimam, contestetur quibuscunque licet modis; scriptis, sermonibus, factis, quod eleganti opere executus est noster Ioannes Bourghesius titulus illi est, *Societas IESV, MARIA Deipara Virgini sacra.* Quare vt hæc labes detritarum Deiparæ laudum (quæ quidem laudes sint & ad eius decus verè pertineant) nullomodo mihi contra ius fásque affricetur, nonnulla duxi præcauenda & præmittenda.

Cauendum ergo imprimis, & solemniter contestandum duxi, quod verba illa Petri Cellensis l. 6. epist. 23. ferunt. [Cataractas cœli & fontes abyssi, libentiùs in obsequium Virginis soluerem, quàm clauderem. Et si filius eius Iesus aliquid omisisset in prærogatiua exultationis suæ matris, ego seruus, ego mancipium, non quidem de effectu, sed saltem affectu supplere gestirem.

Mallem certè non habere linguam, quàm aliquid dicere contra Dominam nostram. Ante eligerem non habere animam, quàm vellem eius extenuare gloriam.] Contestor item subscribere me lubentissimè iis Patrum oraculis & Doctorum pronunciatis, quæ B. Virginem omni encomio nostro longè superiorem prædicant, & verè prædicant. Ex innumeris, qui id citra ambages, & expressissimè tradiderunt, paucos seligam, nec sine labore, quod inopem me hac in parte copia faciat; & in tam lectos ac vernantes flores, simul incidenti, dubium necessariò sit, quem carpat, quem dimittat, vt in simili præclarè dixit Naz. orat. 16.

Dicta Patrum, de nunquam satis laudanda B. Virgine.

2. SAnct. Gregor. Neocæsar. orat. 2. de Annunc. (quanquam inter adscriptos Chrysostomo sermones, legitur Tomo 6. Græcol.) [Quibus encomiorum: verbis dignitatem virginalem describamus? Quibus laudum significationibus atque præconiis, immaculatam eius formam celebremus? quibus spiritualibus canticis, atque elocutionibus gloriosissimam inter Angelos glorificemus?] Et ad finem orationis. [Tua sanè, ô sanctissima virgo, laus omnem prorsus laudem, propter Deum ex te incarnatum, ac hominem natum, excedit. Tibi omnis creatura in cœlis ac terris, & apud inferos, reuerentiam ac cultum conuenientem offert.]

S. Epiph. Orat. de laud. Deip. *initio.* [Miser ego sum, qui effulgentes splendores Deiparæ radios, terribiles & incomprehensas facultates, cœli & terræ inhabitatæ mysterium, admirandúmque propitiatorium verbis consequi tentaui. Gestiebat quidem interioris animi cogitatio, ad exactiorem intelligentiam, quæ exprimere conabatur profundæ memoriæ, & altissimæ speculationis miraculum. Verumtamen, charissimi, & timor multus & grauis, continuit me. Nam memoria contemplationis horrendæ, exagitans tremebundam animam meam, & cor exhorrescens non mediocriter afflixit, sed & grauiter vexauit. Concutit enim mentem meam, maximæ contemplationis, ac velut incomprehensi mysterij memoria; nempe quod illud eloqui minimè possit. Quis enim huiusmodi mysterio exprimendo queat sufficere? quale verò os pronunciabit, quæve lingua proferet? Nequaquam potest dicere quod latet. Iam verò audebo; dicam de sola Deipara, quatenus assequor: denuò tamen vereor, vt pote qui lingua non sim præditus idonea ad ea dicenda, quæ sunt valdè magna: sum enim exili voce, tardáque lingua, & minimè disertus, vt sic verba facere possim de percelebri, sancta, innupta, & deipara Maria matre Domini, de qua leuiter loqui non debet humana lingua. Pertenuem enim habet vocem illius habita ratione, & imminuta est lingua, quæ pro dignitate facultatem dicendi non habeat. Illa siquidem vel cœlorum virtutes in stuporem conuertit.] Et inferiùs. [Quid dicam? & quid proloquar? quo pacto

beatam prædicabo gloriæ radicem? Solo enim Deo excepto, cunctis superior existit. Natura formosior est ipsis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico: cui predicandæ, cœlestis ac terrena lingua minimè sufficit, imo verò nec Angelorum. Etenim ipsi quidem hymnum, laudem, honorem protulerunt: non tamen eo modo eloqui pro dignitate potuerunt.] Rursus infra [Quid dicam aut quid loquar de pręclara & sancta Virgine? Desiderium me trahit, vt de Deipara verba faciam: & formido me retinet in silentio, vt qui non habeam facultatem dicendi pro dignitate. Animus hortatur, & metus deterret: ille quidem trahit me, iste verò me abstrahit. Cùm ergo ab vtroque distinear, expedit mihi vt sermonem habeam de percelebri & sancta Virgine.]

2. S. Augustinus serm. 18. de sanctis [O beata Maria, quis tibi dignè valeat iura gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu, mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persoluat, quæ solo tuo commercio, recuperandi aditum inuenit? Accipe itaque quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares, gratiarum actiones: & cùm susceperis vota, culpas nostras orando excusa.]

S. Cyrillus Alexandrinus in homilia Ephesi habita contra Nestorium. [Ecquis hominum laudabilissimam illam Mariam, pro dignitate celebrare queat? Ipsa & Mater & Virgo est. O rem admirandam? Miraculum hoc me in stuporem rapit.]

Sophron. serm. de Assumpt. [Quicquid humanis dici potest (de Virgine matre) verbis, minus est à laude cœli: quia diuinis est & angelicis excellentiùs prædicata & laudata præconiis. A Prophetis quidem prænunciata, à Patriarchis figuris & ænigmatibus præsignata, ab Euangelistis exhibita & monstrata, ab Angelo venerabiliter atque officiosissimè salutata.]

Basilius seleuciæ orat. 39. [Quæ lingua tam vocalis, quæ pro eius dignitate hymnos personet? Siquidem per eam bonis magnis affecti sumus. Quo laudum flore debitam illi plectemus coronam? Ex ipsa enim flos Iesse germinauit, genúsque nostrum gloria, & honore coronauit. Quæ digna satis in eam munera conferemus, cum infra eius dignitatem sint mundana omnia? Nam si de aliis sanctis Paulus adserit, *Quibus dignus non erat mundus*; quid dicemus de Deipara, quæ tanto supra omnes martyres exsplenduit, quanto stellas præfulgurat sol.?] Et in fine orationis. [O Virgo sanctissima, de qua qui cum laude, grauitérque dixerit, non ille quidem à veritate aberrabit: sed pro merito haud fecerit satis; supernè nos respice, esto propitia.]

4. Damascenus Orat. 1. de Assump. *initio*. [Quid ad laudem, gloriámque illustrius, quàm antiquum illud, ac verum Dei consilium excepisse? Hanc non hominum lingua, non mundo sublimior Angelorum mens, sat dignis laudibus efferre potest: per quam Domini gloriam perspicuè intueri nobis datum est. Quid ergo? An quia eam pro dignitate laudari, minimè possumus, idcircò metu repressi, conticescemus? Minimè sanè. An rursus transultoriè, vt dici solet, incedemus; nostrósque limites ignorabimus, ercussóque

timoris freno, ea impudenter attingemus, quæ attingi nefas est ? Ne id quidem certè. Quia potiùs temperata metu cupiditate, contextáque vna ex vtroque corolla, cum sacra reuerentia, tremente manu, ac cupido animo, vires ingenij nostri primitias regiæ matri de vniuersa natura benè meritæ, grato candidóque animo tanquam debitum quoddam persoluemus.] .

Et orat. 2. *initio*. [Etsi nemo est mortalium, qui sacrosanctum Dei genitricis discessum pro dignitate laudare queat, ne si sexcentas quidem linguas, totidémque ora habeat, imò nec si omnes toto orbe dispersæ linguæ in vnum coeant; eius tamen laudes oratione consequi possint (siquidem ipsa encomiorum omnium legem excedit,) tamen quoniam Deo gratum est quod pro viribus fit, atque ex amore ac zelo, probáque voluntate offertut, gratáque Dei Marti sunt ea, quæ filio grata atque accepta sunt; vestris, optimi ac Deo charissimi pastores, imperiis obtemperantes, eam rursus laudare aggrediamur.]

5. Leo Sapiens orat. de dormit. Deip. [Quæ linguæ facultas, quod orationis flumen, ad hoc argumentum aliqua saltem ex parte dignè tractandum, quod laudatissima illa, & bonis omnibus cumulatissima, hominum Angelorúmque Domna exhibet, sufficere posse videatur ?]

S. Germanus Constantinop. Orat. de Natiu. B. Virg. [Si palmo metiri terram possumus, ac funiculo mare circumscribere ; si cubitis cœlum continetur, & stellarum numerari copia potest; si guttæ pluuiæ, tellurísque glebæ, ventorúmque impetus, atque arenæ comprehenduntur, certè facile quod in manibus est argumentum comprehendi queat : Nimirum Genitricis Dei panegyris.] Et Orat. de dormit. [Quis te glorificans, non vsque te celebrabit: simul egregiè incipiat, ac non denuò ad laudum tuarum præstantiam celebrandam reuertatur ? Pro dignitate enim deprædicare te nemo potest. Qui per omnia laudare te nequit, assiduè te prædicans, supra mentis debitum persoluere conatur. Cum enim multorum debitor, rependere ac paria facere non potest, gratiarum actionem accumulat.] Et in orationis fine. [Quemadmodum gutta aliqua infusa mari nihil adjicit, neque pauperis crumena diuitis thesaurum euacuat, ita nemo tuarum celsitudinem laudum oratione satis extollere valet, cum laudem singularem habeas, quod Deiparam te esse constet.]

Fulbertus serm. de Assumpt. [loquamur aliquid de laudibus sacratissimæ Virginis. Sed qui nos tantilli, quid actione pusilli, quid in eius laudibus referemus, cùm etsi omnium nostrum membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus ? Altior cœlo est, de qua loquimur : abysso profundior, cui laudes dicere conamur.] Et infra. [Sed quid dicam pauper ingenio, cùm de te quidquid dixero, minor laus est, quàm dignitas tua meretur ? Si cœlum te vocem, altior es; si matrem gentium dicam, præcedis : si formam Dei appellem, digna existis : si Dominam Angelorum vocitem, per omnia esse probaris. Quid erga de te dignè dicam, quid referam, cùm non sufficiat lingua carnis tuas exarcere virtutes ?] Idem serm. 3. de Natiu. Virg. [Ad cuius ergo magnificentiam collaudandam, & gloriam perferendam, tanta valeant exuberare

præconia, quantum illi congruit, quæ cunctas super excellit in præeminendo creaturas, & Angelicam dignitatem?] Et ferm. 1. eiusdem argumenti. [Si quis interroget, dicens; quid ergo putas, qualis olim in anima fuerit, vel nunc sit hæc persona, quæ sic omnibus sanctis spectanda ac imitanda proponitur; veraciter respondemus, quia longè perfectior, quàm nostra oratione demonstrari possit. Tamen ne ibi nihil dicere arguamur, vbi maior affluit copia dicendorum, reseruantes multa atque magna facundis, saltem pauca dicamus.]

5. Petrus Damiani ferm. 3. de Natiu. Virg. [Rogo, perpendite quibus laudibus digna sit Beata, & gloriosa Virgo Maria, quæ illum nobis de castissimis suis visceribus genuit, qui nos de tam profundo gutture auidissimi draconis eripuit. Ad eius namque dignè efferenda præconia, non Rhetoricorum diserta facundia, non Dialecticorum subtilia argumenta, non acutissima Philosophorum apta reperiuntur ingenia. Et quid mirum, si hæc ineffabilis Virgo in suis laudibus modum humanæ vocis exuperat, cum & ipsam generis humani naturam, excellentium meritorum dignitate transcendat?] Idem ferm. 2. de Natiu. Virg. [Qualiter eam laudare poterit mortalis hominis transitorium verbum, quæ illud de se protulit verbum, quod manet in æternum? Quæ lingua in eius laude inuenitur idonea, quæ illum genuit, cui omnia benedicunt, & cum tremore obediunt elementa? Nam dum cuiuslibet martyris fortia facta extollere cupimus, dum virtutum eius insignia ad Redemptoris nostri gloriam prædicamus; etiam si ad cogitandum tardior sensus impediat, vel ad loquendum balbutiens lingua non suppetat: verborum tamen copiam, ipsius rei materia subministrat. Cum verò Beatissimæ Genitricis Dei laudes scribere volumus, quia noua, & inaudita sunt quæ tractanda suscipimus, nulla inuenimus verba, quibus ad hæc dignè exprimenda sufficere valeamus. Tollit enim facultatem sermonis materia singularis.] Et infra. [Nullus ergo humanus sermo in laude eius inuenitur idoneus, de qua mediator Dei & hominum cognoscitur incarnatus. Impar est illi omne, humanæ linguæ præconium, quæ de intemeratæ carnis suæ visceribus, cibum nobis protulit animarum.]

6. S. Anselmus de excellent. Virg. c. 9. [Quas itaque laudes, quásue gratiarum actiones, non solùm humana natura, sed omnis creatura, huic sanctissimæ Virgini debet? Pura enim sanctitas, & sanctissima puritas piissimi pectoris eius, omnem omnis creaturæ puritatem siue sanctitatem transcendens incomparabili sublimitate hoc promeruit, vt reparatrix perditi orbis benignissimè fieret. Vnde quid laudis pro tam ineffabili bono ipse per eam reparatus mundus, ei iure debeat, æstimare nullatenus sufficit.]

S. Bernardus sermone 4. super *Missus est*, initio. [Quid ergo tento in eius laudibus, quam laudabilem prædicant Prophetæ, perhibet Angelus, narrat Euangelista? Non ego laudo, quia non audeo, sed tantùm replico deuotus, quod iam explicauit per os Euangelistæ Spiritus sanctus.] Et ferm. 4. de Assumpt. *initio*. [De eius gloria, nec silere deuotio patitur, nec dignum aliquid sterilis concipere cogitatio, aut inerudita potest locutio parturire. Hinc est

quod & ipsi cœlestis curiæ principes, in consideratione tantæ nouitatis, clamant non sine admiratione: *Quæ est ista? &c.*] Et infra. [Fateor imperitiam meam, pusillanimitatem propriam non abscondo. Non est equidem quod me magis delectet, sed nec est quod terreat magis, quàm de gloria Virginis Mariæ, habere sermonem. Vt enim sileam interim ineffabile priuilegium meritorum, & prærogatiuam penitùs singularem; tanto eam deuotionis affectu amplectuntur, honorant, suspiciunt (vt dignum est) vniuersè, vt licet de ea loqui gestiant omnes, tamen quidquid dicitur de indicibili, eo ipso quod dici potuerit, minùs placeat, minùs acceptetur. Quidni minùs sapiat quidquid de incomprehensibili gloria comprehendere potuerit mens humana?]

Apud eundem Autor sermonis secundi super *Salue Regina*, latè idem confirmat. [Si linguæ centum (inquit) resonarent, oráque centum, Ferrea vox mihi Maria, nihil dignum tibi dicere possem, stella maris quæ Virgo Beata vocaris. O quàm te memorem Virgo, quibus laudibus efferam? Infantissima lingua mea quæ coinquinata est cum mortuis, incircuncisa labiis, nec purgata igne altaris, inquietum malum, habens in naribus spiritum, rimis efluens vndique, quid dignum laudibus tuis poterit immolare? Eleuata est magnificentia tua super cœlos, & super omnem terram gloria tua, ita vt nec in cœlo inueniatur creatura quæ tuam dignè laudare queat magnificentiam, nec in terra sit quæ gloriam tuam exprimere valeat. Nemo enim nec in cœlo nec in terra, inuentus est dignus aperire librum prærogatiuarum tuarum, & dignè soluere septem signacula eius. Plenitudinem gratiæ, aduentum Spiritus sancti in te, virtutis altissimi obumbrationem, Verbi conceptionem, quod sine grauamine grauida, sine dolore puerpera, Virgo pariter & fœcunda, quis enarrabit? Viri diuitiarum multi de ciuitate Domini virtutum, miserunt manus suas ad hæc fortia, & tamen altitudinem diuitiarum harum ad liquidum comprehendere non potuerunt, quia inuestigabiles viæ istæ & inscrutabilia vniuersa. Conati sunt, & non datum est vltra. Dum adhuc ordirentur, succisi sunt. Quis enim loquetur potentias has Domini, auditas faciet omnes laudes eius?]

7. Amedeus Lausanensis S. Bernardi æqualis, in florulentis de Deipara homiliis, multa habet in rem præsentem. Nominatim verò homilia 2. *initio* sic loquitur de B. Virgine. [Intendamus gloriæ eius, & ingressi abyssum tanti luminis, splendorem rutilum semitarum illius dilatato corde, & inenarrabili percurramus lætitia, dicentes cum Salomone, *via eius, via pulchra, & omnes semita eius pacifica.* Quod si dicente eodem Propheta, *Iustorum semita quasi lux splendens, procedit, & crescit vsque ad perfectum diem*; quis lucem & splendorem semitarum eius, eloqui sufficiet?] Et hom. 4. [Sicut in Theorica, nulli similis extitit, sic in actiua vita, similem non inuenit. Sed quò tendit oratio? Vincimur & nos vinci gratulamur. Valdè supra nos est quod attentauimus, longè inferiùs iacemus. Ergo redeamus ad nos, & culpas fletibus diluamus.]

Ekebertus Abbas ea longiuscula ad Virginem deprecatione quæ B. Bernardi sermoni de Verbis Apocalypsis *signum magnum*, subnecti solet, estque reuera

Ekebert

Ekeberti Abbatis, vt testatur Richardus à S. Laurentio, sic Virginem affatur. [Gloriosa dicta sunt de te, Sancta Dei Genitrix, sed adhuc locus est tuæ laudi, adhuc in tuis laudibus omnis lingua balbutit. Non enim sunt loquelæ, neque sermones, in omni natione quæ sub cælo est, quibus amplitudo gloriæ tuæ ad plenum valeat explicari, ô pia, ô magna, ô multum amabilis Maria.]

Arnoldus Carnot. in laud. Deip. [Si linguis hominum loquar & Angelorum, nihil dignè, nihil propriè, de sanctæ ac perpetuæ Virginis matris Christi Mariæ, gloria eloqui potero. Quia verè in laudibus eius modulandis, non inuenitur conueniens organum, & hebes est cuiuscunque subtilitatis ingenium. Cum enim debitæ venerationis summa ad Christum respiciat, ex cuius plenitudine roratum est desuper, quod Maria prædicatur gratia plena, manifestum est, indiuiduam esse matris & filij gloriam, & commune esse vtriusque præconium, cuius definitio omnem superat intellectum.]

8. Philippus Abbas lib. 4. in cant. c. 1. inducit admirantes Angelos, séque impares Virgini laudandæ ingenuè profitentes. (Quanto magis homunciones è luto compactos,) [Hærent (inquit) stupent neque dignè sufficiunt admirari, nec inueniunt quibus eam laudibus possint congruè venerari. Illos quidem affectuosa deuotio commonet vt quid dicant; consideratio mirandæ magnitudinis reuocat ne quid dicant: Parum enim sibi videtur & insufficiens quidquid dicant, dignos tamen se putant argui, si penitùs nihil dicant. Mirum quidem; dicendi copia inopes illos facit, & nimirum inopia grandi nequaquam desiderio satisfacit. Dicunt tamen, vt in nobis affectum suscitent audiendi, nobísque auditoribus qualemcunque fiduciam dent dicendi. Neque enim quisquam nostrum dicere tantæ laudes Virginis attentaret, si Angelorum excellentia velut sibi non satis conscia, penitùs refutaret. Sed eorum qui sunt administratorij spiritus forma & sollicitudine commonemur, vt pro posse qualicumque, & nos Virginem laudibus veneremur. Nam & ipsi vt eis possibilitas suppetit, non vt dignitas Virginis expetit, hoc ipsum agere se ostendunt, qui necdum satis quanta sint Virginis merita deprehendunt: & ideò ad vnguem ea exprimere verbis siue laudibus non intendunt, sed mirantur.]

Petrus Blesensis serm. 28. [Solemnitas præsens de laude Beatæ Virginis, offert materiam nobis loquendi, cuius laudem indicibilem explicare non sufficiam, etiamsi linguis hominum loquar & Angelorum.]

Thomas Cantipratanus lib. 2. Apum. c. 29. num. 34. [Sed quid conor florentissima Virgo, pia mater & Domina, quid conor prosequi virtutes tuas? Si cuncta mei corporis membra, & omnes guttæ vitalis sanguinis mei, verterentur in linguas, potiùs tamen mihi laudis tuæ verba deficerent, quàm exempla.]

Petrus Comestor apud Vincentium in speculo hist. l. 30. c. 1.

Si fieri posset, quod arena puluis & vnda
Vndarum gutta, rosa, gemma, lilia, flamma,

Æthera, cœlicolæ, nix, grando, sexus vterque;
Ventorum pennæ & pecudum genus omne,
Syluarum rami, frondes, auium quoque pennæ,
Gramina, ros, stellæ, pisces, angues, & aristæ,
Et lapides, montes, conualles, terra dracones,
Linguæ cuncta forent; Minimè depromere possent,
Quæ sit, vel quanta Virgo Regina Maria,
Quæ tua sit pietas, nec littera, nec dabit ætas.

9. Richardus à S. Laurentio prologo 1. in libros de laudibus Deip. [Si cymbalis benè sonantibus præsumpseris addere sonitum tintinabuli fracti, statim collidetur suauitas harmoniæ, quæ per se dulciter antea resonabat. A simili, si attentauero Mariæ laudibus impolitum quicquam addicere, quam laudant pariter astra matutina, & cui iubilant omnes filij Dei; pertimesco ne fortè laus mea, plus derogatio, quàm laudis cumulus videatur. Scio enim quod ineffabilis est laus eius, nec ad eam poterit homo viuens, etiamsi loqui detur Angelorum linguis & hominum, vel si plenè celeste nouerit idioma, quoniam maior est omni laude. Hanc enim gloriam sibi retinuit supernus artifex, cuius Virgo Mater opus est speciale, nec alteri daturus est eam. Quare de Maria per Prophetam dicit, *secretum meum mihi*; Isaiæ 24. Propter hoc etiam de eius specie toties replicat sponsus in canticis, *absque eo quod latet intrinsecùs* soli peruium creatori, sed nulli cognitum creaturæ. Nam quanta sit Mariæ species, qui dedit speciem solus nouit. Licet autem non ignorauerim, Beatam Virginem exaltari, accedente homine ad cor altum; complacuit tamen, de eius laudibus saltem modicum quid elucidare.]

S. Casimirus Polonus ea rythmica oratione ad B. Virginem, quæ anno 1609. super eius pectus in sepulchro reperta est; (obierat anno 1489.) hæc præter cætera habet.

Lingua mea, dic trophæa
Virginis puerperæ,
Quæ inflictum maledictum
Miro transfert genere.
Sine fine dic Reginæ
Mundi laudum cantica,
Huius bona semper sona,
Semper illam prædica.
Omnes mei sensus, ei
Personate gloriam,
Frequentate tam beatæ
Virginis memoriam.
Nullus certè tam diserta
Extat eloquentia,

Qui condignos promat hymnos
Eius excellentiæ.
Omnes gaudent, vnde laudent
Matrem Dei Virginem;
Nullus fingat quod attingat
Eius celsitudinem.
Nemo dicet quantum licet
Laudans eius merita,
Eius cuncta sunt creata
Ditioni subdita.
Sed necesse (quod prodesse
Constat piis mentibus,)
Vt intendam quod impendam
Me ipsius laudibus.
Quãuis sciam quod Mariam
Nemo dignè prædicet,
Tamen vanus & insanus
Est qui eam reticet.

9. Dyonisius Richelius l. 1. de laud. Virg. art. 3. multus omnino est in demonstranda veritate proposita; nec patitur vllum planè encomium, quantumcunque videatur plenum & integrum dici adæquatum B. Virgini, quod iudicium obsignat his verbis. [Totis itaque viribus laudemus, ac veneremur, diligamus ac vereamur præstantissimam Dei matrem; cúmque hoc ipsum egerimus, recognoscamus nos nihil egisse condignum, nec beneficiis eius posse idoneam rependere vicem, cum S. Augustino dicentes; quid nos tantilli, quid actione pusilli, in eius laudibus referimus, cum etiamsi omnium nostrum membra, verterentur in linguas; eam tamen laudare nullus sufficeret?] Hæc apud Augustinum nuspiam legere memini. Cœterùm descripsit eundem Augustini locum Ludolphus de vita Christi parte 2. c. 86.

Habet lector à Patrum sanctissimorum & probatorum in Ecclesia Doctorum calamo, laudes Deiparæ omnia ingenia, nedum præconia creata supergredi; nec vllam à nobis proferri tam absolutam laudem posse, quæ subtus tantæ matris decus non iaceat. His ego vel sanguine meo lubentissimus, si res ferret, adscripserim: Tantum abest, vt de tantæ Matris laudibus, decerptum quippiam, vel imminutum velim.

Hæretici in Deiparam iniurij.

10. Sit hæreticorum, eius laudes deterere pro viribus quæ caput serpentis contriuit, & cunctas hæreses interemit sola in vniuerso mundo. Et non plus illi quidem obscurat Deiparam, quàm nubecula, lunam vel solem

priuet splendore. Produnt tamen malignitatem suam, & cuius spiritus sint administri, dum ea vomunt in tabernaculum Dei ab ipso Deo nimis honoratum, beatis verò spiritibus venerabilissimum, quæ vel referre pollutio sit. Vocant enim mulierculam pannosam, abjectam, incogitantem, absurdam, peccati grauis ream, Deo se præferentem, liberorum ex Iosepho procreandorum cupidam. Retraho calamum per has spurcitias ægerrimè decurrentem. Legi plura possunt apud Catharinum l. de certa sanctorum gloria & apud Canisium in præfatione ad suum opus de Deipara, breuiterque apud Feuardentium ad 3. Irenæi c. 33. [Aliquando eam importunitatis accusant qua præproperè cursum doctrinæ Christi abrumpere tentarit. Aliàs, Dominum ne matrem quidem illam agnouisse sed apud se intercedentem, reiecisse. Quidam salutationem Angelicam quasi Magicum exorcismum æstimant, sanctámque Virginem non minùs malignè restrinxisse Dei potentiam, quàm antea Zachariam. Votum quoque perpetuæ Virginitatis ab ea emissum, absurdum, ridiculum, imo perfidiam graui reprehensione dignam non verentur appellare. Alij maximam ei inferri iniuriam dicunt, cum appellatur Regina cœli, & domina mundi. Quidam rursus, omni dignitate abdicatam, vilis & abiectæ conditionis mulierculam, ingloriam, pannosam, pauperculam, & omnium ludibrio expositam appellant. Alij, naturali ratione, ipsam Dominum peperisse volunt. Quidam rursum, illam per incogitantiam eò delapsam garriunt, vt se Deo aliquando præferret. Alij grauiter eam peccasse in Filij triduana amissione fingentes, peccatum illud comparant cum delicto Euæ, quo salutem hominum initio euertit. Eandem denique impij Magdeburgenses, ita cum Iosepho fuisse affectam non erubuerunt scribere, vt statuto tempore, more aliorum conjugum, voluerit liberos procreare. Bezæ vesanias, & Vireti virulenta in eam conuitia, quod adhuc impudentiora sint, consulto prætereo.] De his Sectariorum tanquam serpentis propaginum inimicitiis cum muliere, rursus inferiùs tangentur aliqua, tractando Virginis cultum, ab Hæreticis conculcatum. Et videri etiam potest Lucas Tudensis lib. 2. contra Albig. c. 9. qui in maiorem contemptum, monoculam ab eis depictam Deiparam, refert.

Breuiculus ornamentorum Deiparæ, vt de laudum nostrarum improportione liqueat.

11. NOs Catholici è contrario, omni elogiorum ac ludum exquisitiorum cumulo, tantam matrem extollere ac celebrare ex animo conitamur: ad quod nos, & Dei voluntas obstringit, & tantæ Matris immensa decora. Eorum breuiculum ex Autore Altercationis Synagogæ & Ecclesiæ c. 19. ad enubilandos hæreticos mephitis fœtores, & quia fundamentum continet illius inadæquabilis per laudes quascunque nostras eminentiæ, pro qua hæc cautio certauit, lubens adscribo. [Principium & fundamentum totius

humanæ salutis, matrem aduerte Saluatoris, quæ lethalibus serpentis & Euæ obuia vestigiis, partu suo mortis iter interclusit, & ostium vitæ (quod est Christus) intrare contendentibus, aperuit; chirographum lethalis pacti deleuit, exhæredatum regni, consortem noui testatoris, sigillo summi Regis fecit hæredem, filiique sui cohæredem. Per Mariam, diuinæ misericordiæ sacramenta completa sunt, cœli propter hanc inclinati sunt, fontes aquarum apparuerunt, fundamenta orbis terrarum reuelata sunt; hoc est, ex ipsa Christo nascente, Apostoli electi sunt, per quos orbis, quasi fontibus inexhaustis, potaretur, & reuelata per Spiritum sanctum Prophetia, mundus ad fidem ducendus, fundamento quodammodò immobili stabiliretur. Hæc igitur viro desponsata, Regis æterni sponsa vnica, hæc Regum filia, mater & Virgo benedicta, quia precognita, antequam nata, hæc Angelorum gloria, mortalium vita certissima, quia inter summa vel ima ipsa mediatrix pacifica, hæc Aurora, Sol, hæc Luna, hæc Stella. Aurora quidem præcedens in ortu Solem iustitiæ, Sol verò & ipsa, in quo tabernaculum corporis sui conditor ipse probatur posuisse, & tanquam sponsus de thalamo suo processisse: Est etiam Luna, radians quidem ex splendore conditoris, sed mutabilis, lege natiuæ conditionis, Stella verò Maris, quia via, portus & vita nauigantis Ecclesiæ per hoc mare magnum & spatiosum in mundanis tenebris. Hæc præuia virginum princeps, sanctæ virginitatis speculum, æterni decoris ornamentum, in qua geminæ virtutis insigne; idest, humilitas & virginitas, illum concipere meruit, quem cœlum & terra non capit, vteri sui claudens sacrario, Verbum sine initio à Patre progenitum, & ad salutem omnium egressum. Hæc igitur mater & virgo, mater matrum, virgo virginum, sicut damnum pudoris non incurrit generando, sic post partum mansit in integritate perseuerando; ipsa radix æterni floris, flos & fructus æternæ benedictionis. Sed quo vsque in laude Virginis progredimur? Omnis scripturarum benedictio, in Maria inuenta est, maledictio deleta est; completa sunt in ea ora Prophetarum omnium, respiciunt Mariam omnia creata, vel redempta per filium.]

12. Affine illud quoque ex Cathemerino Græcorum, quod Ioannes Syluius latinum dedit. [Incontaminata, impolluta, incorrupta, immaculata, sanctissima, illibatissima, venerandissima, Dei, beneficio gratiosa; Deiparens, Dei fauore beatissima, desponsa Deo Domina, supra modum benedicta, celeberrima atque gloriosissima, mater Dei nostri, Deipara ac semper Virgo Maria, honoratior Cherubim, & gloriosior, incomparabiliter Seraphim, quæ in cœlis benedicta es, & in terra gloriosè celebraris: quæ Deum Verbum hominibus inusitato atque mirabili partu coadunasti, eiectámque naturam generis nostri, cœlestibus coniunxisti: Quæ desperatorum spes firma extitisti, eorum qui impugnantur potens auxilium, oppressorum inexpugnabile præsidium, periclitantium portus tutissimus, parata defensio eorum qui ad te recurrunt, omnium denique Christianorum asylum, patrocinium, tutela, atque exultatio.]

Hæc quis nostris laudibus æquare se posse confidat? Demus manus, & Deiparam tanta diuinorum munerum vbertate & propè immensitate ornatissi-

mam, nostris quibusuis encomiis superiorem, haud inuiti fateamur, illud contestantes recentioris sed eximij Poetæ lib. 5.

Induperatricem, magnique Monarchida mundi
Proxima tergemino quæ sedet vna Deo.
Qui non miratur, qui non pius amplexatur
Nil stupet hic magni, nil habet ille boni.
Nil illa melius, nihil est à numine maius
Summum cæligenum terrigenúmque caput.
Debuit huc Mariæ virtutum scandere currus,
Debitus illius dotibus ille locus.
Quas omnes numeris possim subducere nullis,
Non si sexcentas dixero myriadas.
Tentandum tamen est. Numerum vis lector habere?
Priùs, in digitos sydera cuncta refer.
Hyberno numera fluctus in littore; quótque
Nerea per liquidum flabra Borea volent.
Quot pennas aër, pinnas mare, syluáque frondes,
Mellilegas habeat flauus Hymettus apes.
Quótque puer flores annus, iuuenis quot aristas,
Poma vir Autumnus, détque senecta niues.
Hæc numera, dotes Mariæ numeraueris. Omnis
Hic numerus, dotum Virginis vnus erit.

Atque adeò nullis illæ encomiis aut præconiis nostris, siue æquabiles, siue vtcunque delineabiles sunt habendæ.

CAVTIO II.

NON SI OMNES LAVDES NOSTRÆ, Deiparæ dignitati impares; oneranda est falsis elogiis, & grauanda vanis, absque titulo, titulis.

1. FIXVM igitur esto, nullas laudes nostras, laudabilitati Virginis Matris pares esse posse. Neque tamen committendum est, vt quod vera laudatione assequi non possumus, per ementita decora & falsos honores suppleamus. Habet hoc nonnullorum imprudens ac exlex dilectio, vt fines debitos sæpè transcendat, etiam erga sanctos. Notauit id optimè Origenes hom. 25. in Lucam prolatis exemplis Baptistæ, & Apostoli. Nam illum permulti, tanquam perpetuum vitæ miraculum suspiciebant. [Et diligebant quidem cum iustissimè (inquit Origenes) sed non seruabant in charitate modum. Cogitabant enim ne fortè ipse esset Christus.] Concludit inde Origenes, postquàm aliquos præ odio, aliquos præ dilectione, mentiri de sanctis dixit. [Oportet charitati frena imponere, & tantùm ei vagandi permittere libertatem, quantum in prærupta non corruat. Scriptum est in Ecclesiaste. *Ne sis iustum multùm, neque ampliora cogites, ne fortè obstupescas.* Quod exemplum sequens, possum simile quid dicere. Ne diligas hominem ex tota anima tua, & ex tota virtute tua: ne ames Angelum de toto corde, de tota anima, de tota virtute, sed præceptum iuxta eloquium Saluatoris, soli serua Deo.] Atque adeò cuicunque Sancto, siue Angelo, siue homini, non plus tribue præ similitudinaria charitate, quàm sit tribuendum: ne dum eum amare & honore prosequi putes, sanctum quidem probro afficias te vero ludificeris.

Aliquis Deiparæ amor, intemperatus, & minimè probandus.

2. HAnc erga sanctos intemperantiam amoris & honoris, vigere maximè erga Deiparam, in iis qui illam non secundùm scientiam diligunt & colunt, mirari desinet, quisquis ad sanctitatem eius supra omnium sanctorum sanctitudinem longissimè prouectam, animum admouerit. Nam quando-

quidem ratio & causa diligibilitatis, & amoris ad ineptias vsque exundantis, sanctimonia est & fauor diuinus, nemo non videt, quantoperè sanctissima Dei mater, quæ abyssus est gratiarum, obnoxia esse possit his ingeniorum exerrationibus, & falsi nominis cultibus. Idque & experimur ipsi in dies, & experti sunt anterioribus seculi maiores nostri. Quo spectat illud Petri Cellensis l. 9. epist. 10. [Reginæ dominæ nostræ, beatissimæ Virginis Mariæ obsequia, venerationem postulant non adulationem.] Et ad epistolæ calcem, retundens quæ scripta erant à Nicolao, S. Albani in Anglia Monacho, qui ingens honorandæ Deiparæ studium præferebat, respondet Petrus Cellensis, quod (quicquid sit de materia, de qua cum Nicolao certabat,) infixũ cuique & accuratissimè notatum velim. [Suum in laude Virginis expendere ingenium & studium, nec improbabile est, nec irremunerabile. Vngulam tamen, & in hoc, & in omni actione nostra & intentione, findere auctoritas iubet, & ratio suadet. Discernere autem quid & quomodò debeas laudare, vngulam est findere. Qui alterum postponit, officium laudationis aut peruertit, aut prorsus amittit. In modo erras, si supra vel infra, aut extra metas veritatis quemlibet laudas. In persona, si laude indignum laudare velis. Vt ad rem veniam, tu effers nostræ Virginis laudes, ego verò offero. Tu in aere euolas, ego interim dum in terra sum, pedibus curro. Tu præcipitas verba, ego dispono sermones meos in judicio & in statera appendo. Tu acerbam & immaturam vindemiam, & ego in imbre matutino & serotino jam matura poma noua & vetera, ad mensam comporto. Virginem laudas, & ego laudo. Prædicas sanctam, & ego. Extollis super choros Angelorum, & Ego. Dicis immunem ab omni peccato, & ego. Asseris Dei genitricem, adstruis nostram ad Deum mediatricem, & Ego. Versa & reuersa in quolibet statu venerationis, & glorificationis, tecum vado, tecum sentio. Si verò extra communis monetæ formam, vis fabricare aliam, quam non approbauerit sedes Petri, cuius est approbare, vel improbare ordinem vniuersalis Ecclesiæ; pedem sisto, & terminos constitutos non transgredior. Credo & confiteor, plura esse apud nos ignota de Virgine sacrosancta, quàm nota, quia confortata est & gratia, & gloria, & non possumus ad eam. Euangelio, non somniis, de illa credo, & si aliter sapio, & hoc ipsum reuelabit Deus, quando voluerit, & quomodò voluerit. Interim autem dum fit vox super firmamentum, nec descendit ad nostrum fundamentum, pennas submitto, & meæ ignorantiæ caliginem, non à te sed à Patre luminum illustrandum imploro.]

3. Notissima & illa à S. Bernardo epist. 174. pronunciata, contra nouitates in cultu Deiparæ. Cum enim abiecisset sibi ex studio æmulatoris cuiuspiam. [At valdè honoranda est (inquis) mater Domini?] Respondet. [Benè admones, sed honor Reginæ iudicium diligit. Virgo regia falso non eget honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum. Honora sanè integritatem carnis, vitæ sanctitatem. Mirare fœcunditatem in Virgine, prolem venerare diuinam. Extolle, nescientem vel in concipiendo concupiscentiam, vel in pariendo dolorem. Prædica reuerendam Angelis, desideratam gentibus,

Patriar-

Patriarchis Prophetiſque præcognitam, electam ex omnibus, prælatam omnibus. Magnifica gratiæ inuentricem, mediatricem ſalutis, reſtauratricem ſeculorum. Exalta denique exaltatam ſuper choros Angelorum ad cœleſtia regna. Hæc mihi de illa cantat Eccleſia, & me eadem docuit decantare. Ego verò quod ab illa accepi, ſecurus & teneo & trado, quod non ſcrupuloſiùs fateor admiſerim.] Hæc à D. Bernardo circa immaculatam Deiparæ conceptionem pronunciata, ad excludendum cultum eius feſtiuum & publicum, donec per Eccleſiam Romanam liceret (eum enim fuiſſe S. Bernardi ſcopum, liquet ex calce epiſtolæ) æquè prudenter ac verè, non modò circa illud punctum, ſed etiam quoad omnia recens circa Deiparæ prærogatiuas excogitata, à S. Bernardo conſtituta videri debent. Prudenter quippe depoſcebat S. Bernardus, vt immaculatæ conceptionis Deiparæ noua feſtiuitas, abſque ſedis Apoſtolicæ conſenſu non induceretur. Quod ſi eam ſobrietatem vir ſanctus iure depoſcebat circa feſtiuum nitorem conceptionis, tam variis iiſque luculentis in verbo tradito apud omnes retro Patres argumentis conſignatum, quanto iuſtius, circa nouitates nullo fundamento ſubnixas; tantùm quia ſpeciem honoris Deiparæ præferunt, ab vno vel altero recens propoſitas, idem exigimus, non modò quoad cultum feſtiuum, ac honores publicos, ſed etiam quoad quamcunque euulgationem inter fideles?

4. Verum ne rationes S. Bernardi ac Petri Cellenſis, quantumuis vniuerſaliter validæ, minùs quempiam moueant, quia adductæ ab eis ſunt occaſione feſti Conceptionis, quod hi Patres donec Eccleſia ſenſum de eo ſuum enunciaret, volebant dimiſſum: Age producamus è conceptionis immaculatæ publicis honoribus celebrandæ vindicibus, vel primum, vel ex primis vnum S. Anſelmum. Is libro de excell. Virg. c. 2. ***ad finem***, prolato libro de Ortu Virginis, multa ad honorem Virginis (vt videbatur) ſed non ſolida continente, quem D. Hieronymus iunior admiſiſſet, ſubdit; nequaquam S. Eccleſiam, librum illum autoritate ſua munitum, legendum fidelibus propoſuiſſe, quod Chriſti ſponſa, huiuſmodi incentiua pietatis, ſolidæ veritati non innixa, ſemper reiecerit, & nomintaim circa Deiparam. [Videlicet indecens eſſe reputans, de Beata Matre Dei, quid dubitabile in laudem eius recitari, cùm ea quæ incunctanter de illa vera exiſtunt, tanta laudis materia ſint referta, vt quicumque in laudando eam morari deſiderat, neceſſe ſit, vt facultas eius, magnitudini rei & veritati ſuccumbat. Sicut enim ſola præ cunctis, meriti ſingularis enituit, ita quidquid eam attinet, ſpeciali quadam veritatis firmitate, dignum eſt enitere.]

Quid ſi verò hoc ipſum ſignificauit Baſilius Seleuciæ orat. 39. laudans, quæ de Deipara cum laude & grauiter fuerint propoſita; hoc eſt quantum video, ſolidè non per omnem ventum doctrinæ & nouitatis, circumferentis vanas mentes ſpecie pietatis. Nec aberrarit qui eodem modo acceperit S. Epiphanium in Virginis laudatione, cum negat, humanam linguam debere leuiter de Deipara aliquid effari. Nam quis leuiter de ſanctiſſima Dei matre loqui dicendus iuſtiùs eſt, quàm is qui fungos mentis ſuæ, & inaudita SS. Patribus

D

Deiparæ amantissimis decora, (quasi quæ certa & explorata sunt, non sufficerent ad plenam exornationem,) super senes intelligens, audet obtrudere? Planè vt est apud S. Anselmum l. de excell. Virg. c. 2. hoc solùm de sancta virgine prædicari quod Dei mater est, excedit omnem altitudinem quæ post Deum dici vel cogitari potest. Vt quid ergo adsciscamus ei vana decora, à quocunque excogitata pro arbitrio? Hoc sanè est citò credere, & leuem corde esse, iuxta siracidem c. 19. Nam de adeò sublimi majestate non ex pruritu ingenij, vel ex leuiculis prouehendæ pietatis prætextibus festinatò pronunciandum fuerat, sed magna cum maturitate, nec absque Doctorum suffragio, vbi Ecclesiæ scita & fidei oracula non suppetunt. Quod enim pulchrè de Virgineis prærogatiuis differens dixit Petrus Cellensis l. 6. epist. 23. *sub initium.* [Leue est omne verbum, quod neque testimonio solidum, neque autoritate verum est. Nec est alicuius momenti quicquid humani sensus ingeniosa fornax commentata fuerit, si examine careat veritatis. Pondus siquidem sanctuarij, quo tam merita quàm præmia Angelorum & hominum appenduntur, clausura dispensabili, penes veritatem in arca justitiæ perpetua reconditur custodia. Vagatur itaque vanis euolationibus per aëra, qui nullius auctoritatis fundamento affixus, arundinea volubilitate & mobilitate circumagitur, & hospes testamentorum Dei, nullis detinetur certis mansionibus.]

Quæ nouitates circa Virginem probandæ, quæ secùs.

5. Videntur porrò qui huiusmodi prurigine nouandi in hoc genere occupantur, non satis perspicere, quàm latum sit discrimen inter res subjectas humanis disciplinis, quas ingenij humani labor vestigat, & res cœlestes ac diuinas, iisque adjunctas. Circa priores namque dummodò nouatio circa eas, in res sacras ne indirectè quidem incurrat, indulgeri aliquid potest, ac etiam debet, ingeniorum libertati, ita vt cum idonea ratio facit pro sententia quapiam, nondum trita anteriorum vestigiis, fas esse possit nouum illud iter absque alieno suffragio inire: Quod prolatis & eruditorum judiciis, & rationibus, euinco in Opere de justa confixione librorum partit. 1. erotem. 20. Qui autem contrarium contendunt, compedes ingeniis injiciunt, & turpi seruitute mulctant liberas mentes, vertuntque in serua pecora. At rerum sacrarum, omnino alia est ratio. Nam lux quam circa eas nancisci possumus, non manat ex principiis vestigatione nostra penetratis, nec aliundè quàm à Deo ipso affulget. Deus autem non diuidit vnicuique pro natiuitate sua ac ingenij exercitatione, mensuram fidei, sed volens nos omnes supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum ædificari, quæ iidem religionis secundùm Christum fundatores tradiderunt; vel conuelli, vel adjunctis nouitatibus, ne virtute quidem inibi præiacentibus immutari, ægrè fert. Itaque omnis nouitas de objectis fidei nostræ & iis quæ cum illis sunt connexa, est procul ablegaanda, nisi quatenus per diligentem verbi Dei scripti ac traditi vestigationem, & eorum quæ inde erui possunt non inanem sed firmam illationem, aliquid educi-

tur quod priùs non appareret, tametsi præiacebat. Quod si nouationes circa Deiparam eiusmodi essent; hoc est si verbo scripto aut tradito, noua scrutatione diligentiùs quàm ante hac expenso, vel deductis inde per firmam ratiocinationem consecutionibus niterentur; næ is improuidè faceret, qui illas non exosculuaretur. Et ita sapientissimè pronunciatum est, de sententia quæ nitorem omnimodum conceptionis Deiparæ astruit, cum sagaci nare. Ioannis Dunsij Scoti, & aliorum qui pro ea primi in scholastica acie certarunt, notari visa est nouitatis. Et hanc ob causam prudenter notauit Pelbartus lib. 7. stellarij p. 1. art. 1. Deum velificantem studiis piorum erga Deiparam, pauciora de iis quæ ad eam attinebant, vt de conceptu, ortu, ac similibus consignari scriptis authenticis voluisse, quàm de Baptista: vt esset vnde suum erga Deiparam affectum proderent ac exercerent, nonnulla noua circa eam rationabiliter excogitando, aut admittendo. At nouationes circa Deiparam, quas ablegandas contendimus, longè alterius sunt farinæ, cum neque verbo tradito aut scripto, neque erutis inde conclusionibus, aut sapientum antiquorum iudiciis, vel idoneo rationis firmamento nitantur, sed sola maioris honoris in Deiparam conferendi specie, & verè prætextu.

Vana præconia, Virginem dedecent, veris abundantem.

6. NOn eget autem (vt dicebam,) Deipara hisce decorum fucis, cum natiua pulchritudine abundet. [Non conuenit sanctos colere aut laudare vltra decorum,] vt S. Epiphanius hær. 78. *sub finem* egregiè dixit, agens nominatim de B. Virgine, & studiis eorum, qui prætento maiore tantæ matris honore, dum eam nimiùm honorarunt, à recto & à synceritate Catholicorum dogmatum execrauerunt. Et hæresi 79. prolata vulgari parœmia, quod extremitates sint æqualitates, æquale detrimentum à nimia B. Virginis laude extiturum denunciat, atque à contumelia in vas illud eximium. Petrus quoque Cluniac. lib. 3. epist. 7. propositione 2. prudenter admonet, cauendum, ne quis officiosus & deuotus erga B. Virginem sic appareat, vt fidei regulam excedat. In summa, vsurpabo illud Petri Cellensis l. 9. epist. 10. [Vt gustus cibum discernit, & alius plus salis, alius minus exigit; sic sensus humanus quandoque austeriora, quandoque dulciora appetit auidiùs. Profert alius absque pondere rationis, seu auctoritatis quod ei placuerit: recusat alius quicquid sale Euangelico aut prophetico conditum non est. Est alius vtilior, dulcior alius. Ego vtilem, dulci præpono. Solas fauces magis demulcet dulcis: omnibus membris vtilis, plus confert. Tu verba dulcia, ego vtilia quæro. Tu lenocinantia, ego salubria & confortantia. Seriis itaque intendamus.] Idem l. 6. epist. 23. præfatus æternam veritatem, & collactaneam eius misericordiam, circa Christi & Deiparæ intra sategisse, subdit. [Neutra tamen sororum istarum, adulationum lenocinia admittit: quin potiùs tanquam fila aranearum vehementissimo turbine corrumpit, & tunicam inconsutilem, tam illi quàm matris eius, fideli textura componit. Bone amice, quid facit stupa, vbi de auro,

hiacyntho, purpura, cocco bis tincto, & bysso retorta, sacerdotalis contexitus vestis, & cœlo, Sole ac Luna pretiosior & purior summo sacerdoti aptatur cidaris ? Prorsus nihil ad nos, nihil ad Angelos, dignius & melius de omnibus thesauris suis protulit æterna Trinitas, quàm templum virginale, & holocaustum, quod ad immolandum ex eo traxit & extraxit, Verbum Deo patri coæternum, & consubstantiale. Sic corde credo, sic ore confiteor.] Nihil ergo ei affingendum est non solidum, ac rationabiliter subnixum. Id quod æquè circa sanctos omnes, & circa ipsummet Deum præstari oportere, rectè statuit Petrus Damiani, initio vitæ S. Mauri Cæsenatis, addens tales esse falsos testes Dei, qui indiscretè eum cupientes laudare, mentiuntur: & aduersùs Deum proculdubio perhibent testimonium, dum in eius laude peruersa moliuntur arte commentum. Hos confert cum illis cauponibus aut pincernis, qui vt vini copiam jactent, fœces cum vino propinant.

CAVTIO III.

PERFECTIONES DEIPARÆ, CVI metro admetiendæ.

1. QVIA ex rectè jacto fundamento, legitimo perfectionum Deiparæ, ferè pendet dijudicatio omnium, quæ circa eam controuerti possunt, nec aliunde tam multa in hoc argumento per ingeniorum lasciuiam sunt nouata, quàm ex malè constituto fundamento perfectionum ei debitarum; operæ pretium est priusquàm vlteriùs prouehamur, de eo fundamento, nonnulla certa statuere, quædam verò quæ ambigua sunt explanare.

Mensura perfectionum B. Virginis, maternitas Dei.

Imprimis ergo ratum apud omnes est, perfectiones Beatissimæ Virginis ad maternitatem Dei esse admetiendas. Hæc enim est radix prima supernaturalium eius donorum: quia cum quisquis prudenter operatur, muneribus quæ committit adaptet perfectiones & dotes illis muneribus conuenientes, dubitare non licet, quin Deus qui summam sapientiam vbique prodit, tam sublime munus, & tam proximè ipsum contingens; munus inquam & dignitatem maternitatis diuinæ, Virgini beatissimæ decernens, consentaneis quoque tanto muneri prærogatiuis eam voluerit exornatam. Et ita seruatum videmus in minoribus muneribus, & Præcursoris, & Apostoli. Quia enim Ioannes Baptista assumptus est ad munus Præcursoris præeuntis ante faciem Domini pa-

rare vias eius, conueniens fuit eum sortiri dona cœlestia ei muneri proportionata; & ita planè est factum. Apostoli quoque, primitias spiritus acceperunt, & supernaturalibus opibus ditati eximiè sunt, quia delecti erant ad munus arietum gregis Chisti. Similiter ergo quia Deipara delecta erat ad munus sublimissimum maternitatis; conuenien sac necessarium fuit, idem multo magis circa eam seruari. Ea inquam decora illi à Deo conferri, quæ haberent cum fundamentario illo munere proportionem, & tantam matrem decerent, nec filium dedecerent. Hoc perspicientes Patres, quoties de aliqua Dei erga B. Virginem largitate incidit sermo, ad maternitatem Dei tanquam ad radicem diuinæ erga illam beneficentiæ, rem totam referunt, vt videre est apud Augustinum l. de natura & gratia c. 36. cum de excludendo à B. Virgine quocunque peccato disserit. Consentiúntque S. Ildefon. l. de perpet. B. Mar. Virg. c. 2. S. Ansel. l. de Concept. Virg. c. 18. & passim alij.

Inde perfectionum eius plenitudo, ac præcellentia intensiua & extensiua.

2. EX eodem principio, ratum præterea apud omnes est, B. Virginis perfectiones, esse perfectionum plenitudinem. Idest, esse & in se ac absolutè longe maximas, & comparatiuè maiores perfectionibus aliorum sanctorum, ac nulla ex parte deficientes. Hæc omnia ex iacto fundamento perspicuè sequuntur. Nam cum nullum sit diuinum munus puræ creaturæ concessum, quod maternitatem æquat; quippe quæ fines diuinitatis attingit, vt loquitur D. Thomas 2. 2. q. 103. art. 4. ad 2. dubitare non licet, quin muneri sublimissimo, perfectiones longè maximæ sint adiunctæ, spectando eas absolutè. Et hoc supponunt Patres, quotiesque de B. Virginis perfectionibus agunt. Sic Sophronius serm. de Assumpt. descripta eximia Dei in B. Virginem largitate. [Talibus (inquit) decebat Virginem, oppignerari muneribus, vt esset gratia plena, quæ dedit cælis gloriam, terris Deum.] Perfectiones enim longè maximas complexus est, per illam gratiæ plenitudinem quam Gabriel Virgini est gratulatus vt sentit etiam S. Thomas 3. p. q. 7. art. 10. & attigerat S. Hier. epist. 104. quæ est ad Principiam, ac copiosè Rich. à S. Laurentio l. 1. de laud. B. Virg. cap. 4. Eodem pertinet, quod Virgo *gratiarum mare* appellatur, In quam rem Petrus Chrysologus serm. 146. accommodat illud, *Congregationes aquarum, appellauit Maria*. S. item Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 4. §. nec non Bonau. in spec. Virg. lect. 3. & 7. aptant Virgini illud Siracidæ, *omnia flumina intrant in mare*. Ad idem perfectionum Deiparæ principium, spectans D. Thomas opusc. de charitate, dixit de B. Virgine. [Hanc fecit Dominus, infinitam imaginem bonitatis suæ.]

3. Insuper non licet in dubium reuocare, quin agendo de perfectionibus ad sanctitatem animæ pertinentibus, hæ perfectiones Deiparæ, ita dicendæ sint longè maximæ, vt infra Christum sint maiores quàm vspiam alibi, quod

ex terminis notum esse, pronunciat Albertus in Mariali à c. 69. Nemo enim qui Matris Dei dignitatem perspexerit, de ea Virginis quoad tales gratias supra quoscunque sanctos inferiores præcellentia, ambigere poterit. Hoc sensu iuxta S. Gregorium in lib. 1. Reg. *ferè initio*, Deipara est mons supra verticem montium. Nec refert, si de gloria id accipias: Est enim commensa gratiæ, & donis spectantibus ac sanctitatem, hîc in via comparatis. Alij ad Virginem accommodant illud Psalmi 86. *fundamenta eius in montibus sanctis.* Sic Hugo Cardinalis, & Arguanus ad eum Psalmum. Subscribítque latè Benzonius in eum Psalmum c. 6. Præiuerat verò S. Germanus orat. de adorat. Zonæ Deiparæ, *inhtio.* Nec plus voluit S. Anselmus lib. de Conc. Virg. cap. 18. cum dixit, decuisse tantam esse Virginis puritatem, vt maior sub Deo non possit intelligi. Nempe in puris creaturis, & de potentia ordinaria, dimissis quæ multi circa illud S. Anselmi dictum proponunt apud Carthusianum lib. 2. de Deip. art. 1.

Denique indidem liquet de perfecta extensiuè decorum Virginis vbertate, quam item ratam esse apud omnes concessimus: alioqui enim decederet aliquid de illa gratiæ plenitudine, quam in B. Virgine celebrant Patres. [Quod per partes datum est aliis, tota simul venit in Mariam gratiæ plenitudo:] ait S. Hieron. serm. de Assumpt. Et idem habet S. Hildefonsus serm. 3. eiusdem argumenti. Consentit his verbis Petrus Chrysologus serm. 143. [Singulis gratia se est largita per partes. Mariæ verò simul se totam dedit gratiæ plenitudo.] Autor item sermonis quarti super *Salue Regina* apud Bernardum in calce sermonis, tractans illud, *mille clypei pendent ex ea* quod ad Decalogum à Virgine seruatum refert, sic habet alloquens Virginem. [Non est dubium te benedictam intellectu, & affectu, & actu, hunc super omnes mortales Decalogum habuisse & obseruasse, vnde prorsus meritò mille clypei ex te dicuntur pendere: Et non solùm clypei, sed & omnis armatura fortium. Nihil est enim virtutis quod ex te non resplendeat, & quicquid singuli habuere sancti, tu sola possedisti.]

Egregiè decursis variis gratiæ plenitudinibus, quas omnes in Virgine notare liceat, id illustrat S. Bonauent. in speculo Virg. c. 7. Toletus in c. 1. Lucæ annot. 67. & Benxonius in explicatione salutationis Angel. c. 13.

Dubium duplex circa prædicta.

4 HÆc cum apud omnes sint rata, superest tamen circa ea, nonnulla ambiguitas. Nempe circa id quod primò diximus, perfectiones Deiparæ esse admetiendas maternitati diuinæ, dubium est, an hoc ita accipiendum sit, vt omnis perfectio commensa ei titulo, id est non excedens tantam dignitatem, sit Virgini tribuenda; An verò admittendum sit, esse certos denique fines perfectionum titulo maternitatis consentaneos, quantumuis maternitatem non excessuros, quos Deiparæ decora non transgrediantur, & quis eorum limes sit statuendus. Deinde circa id quod præterea certum esse diximus, de

perfectionibus Deiparæ intensiuè & extensiuè, plenis, ambigi meritò potest, quantoperè prouehenda sit cum intensiuè tum extensiuè, ea plenitudo perfectionum Deiparæ, quam generatim loquendo omnes agnoscunt. V. G. an intensiuè consideratæ dotes Virginis, tam perfectæ sint, vt nequeant communicari maiores puræ vlli creaturæ; Extensiuè autem tam multæ sint, vt nulla omnino vlli creaturæ sit concessa perfectio, quam B. Virgo non sit consecuta.

Primum, quomodò penes maternitatem definiendæ perfectiones B. Virginis, expeditur.

5. PRior dubitatio sic expedienda est, vt negemus quæcunque non excedunt dignitatem matris Dei, esse illi communicata de facto. Hoc videtur esse contra Catharinum l. 4. contra Caietanum, §. *reijcit*, pag. 377. vbi ponit vt principium certum quod nemo ausit reprehendere, quod quicquid gratiæ potest excogitari sub Christo, B. Virgini sit de facto concessum. Quod principium recidit in istud, omnia quæ matris Dei dignitatem non excedunt, eique infra Christum conferri possunt, collata esse censenda sunt. Id tamen puto falsum. Nam dignitas matris Dei, tanta támque eminens est, vt nullum possit esse donum depressius vnione hypostatica, quod illam excedat. Quare si hac rubrica dirigeremur, vt omnem perfectionem, fundamentarium illud decus non excedentem, vellemus concessam Deiparæ, exhaurienda aliquatenus circa eam esset Dei potentia, quatenus extra ordinem vnionis substantialis cum Deo, omnes planè perfectiones sine meta & termino essent in illam congerendæ; quod neque factum est, neque fieri potuit, cum productis quantiscunque talibus perfectionibus, aliæ semper & aliæ quæ reipsa productæ non sunt, producendæ supersint: & illæ ipsæ quæ productæ sunt, infinitis accessionibus perfici semper ac cumulari possint. Nihil porrò producibile excessurum esse dignitatem matris Dei, perspicuè habetur ex tanta sublimitate diuinæ maternitatis, qualem Patres describunt, & nominatim S. Bern. hom. 2. super *missus est*, & S. Anselmus, l. de excell. Virg. à c. 9. Idem habetur ex ea D. Thomæ doctrina, quam tradit 1. p. q. 25. art. 6. ad 4. nempe quod sit infinitas quædam dignitatis in maternitate Dei, eo quod sit suprema quædam coniunctio cum persona essentialiter infinita. Idem S. D. 2. 2. q. 103. art. 4. ad 2. hanc coniunctionem, ait esse affinitatem cum Deo, quæ post vnionem personalem, puræ creaturæ incommunicabilem, supremum verticem ordinis gratiæ occupat, nec potest adæquari vllo inferiori ornamento, quia improportionabiliter excedit omnia.

Fateor quod si hæc perfectio spectaretur nuda, & absque connaturalibus suis consectariis, dignius & aptabilius foret, esse sanctum, & potiri gratia Dei inferioris ordinis, quàm esse matrem Dei; iuxta doctrinam D. Augustini epist. 38. & l. de sancta Virginit. c. 3. ac Autoris quæstionis 136. ad orthod.

eius dignitatem. Proportione ergo seruata, eodem modo philosophor de perfectionibus B. Virginis, cum Gersone t. 1. tract. de susceptione humanitatis Christi, veritate 12. & 16. easque perfectiones à Deo taxatas pro arbitrio dico; ita vt tametsi potuisset & maiores & plures addere, nec ea additio excessura fuisset dignitatem matris Dei; voluerit tamen eas intra talem modulum contineri, nec vlteriùs protendi. Domini enim sunt cardines terræ, & eius est, gratiæ terminos constituere qui præteriri non poterunt, vt S. Greg. exposuit.

Hinc apparet, quàm absurda sit eorum philosophandi ratio, qui quotiescunque de assignanda B. Virgini aliqua perfectione incidit sermo, feruntur in partem affirmantem, cœco impetu, dummodò non implicet contrad. perfectionem de qua agitur communicari puræ creaturæ. Huiusmodi ratiocinatio est planè fallax, nec debemus tali rubrica dirigi in tribuendis Deiparæ aliquibus perfectionibus aut priuilegiis, sed quamuis sint decora possibilia, nec dissentanea statui puræ creaturæ, videndum est an voluntas Dei tulerit ea communicari: de quo ex verbo tradito, vel scripto, diligenter perpensis pronunciandum est: vel ex principiis generalibus quæ inde colliguntur, nominatímque ex eo quod mox subjiciemus circa dona ad sanctitatem animæ spectantia alicui sanctorum communicata, atque adeò etiam communicanda Deiparæ.

Expeditur Alterum dubium, quomodò perfectiones Virginis summa intensiuè.

8. POsterior dubitatio superiùs proposita, sic expedienda est, vt quod attinet ad perfectiones spectantes ad animæ sanctitatem ac puritatem, perfectiorémque cum Deo coniunctionem, B. Virgini, & alicui, vel multis sanctis communes, nulla de facto communicata sit alicui sanctorum in auctiore gradu quàm B. Virgini, tametsi nihil fuit quod vetaret, quominus si Deo visum fuisset, auctior ac cumulatior perfectio alicui alij sancta posset communicari. Hoc genus perfectionum, non esse de facto communicatum in altiore gradu vlli alteri sancto præ Deipara, constitutum est superiùs tractando secundum, quod ratum esse apud omnes diximus. Potuisse autem si Deo visum fuisset, & spectata sola potentia absoluta, communicari aliis sanctis tales perfectiones in gradu maiori quàm Deiparæ, debet esse extra dubium. Quis enim limites ponit diuinæ potentiæ & arbitrio hac in parte? Aut cur gradus perfectionis ex se possibilis, nec habens repugnantiam vllam cum pura creatura; non potuisset ei communicari diuinitùs, etiamsi non esset communicatus B. Virgini, eius quidem capaci, nihil tamen habenti quod eum à Deo velut extorqueret, ita vt negare illi non potuerit, si alteri concessum vellet? Manifestum est, ista cum pleno Dei in dona gratiæ dominio, non cohærere.

9. Itaque cum grano salis accipiendum est, quod ait Richardus à S. Lau-

rentio lib. 1. de laud. B. Virg. c. 4. *pag.* 38. existimans ex eo quod B. Virgo sit plena gratia, inferri nullum ei deesse gradum gratiæ. Nam plenitudo excludit vacuitatem, vt liquet ex vase corporeo, quod tamdiu aliquid vacuitatis habet, quamdiu plus aliquid potest capere. Ex quo colligit, omnem quidem aliam puram creaturam, aliquid vacuitatis habere, quia maiorem gratiam recipere potuit: Deiparam autem, cum fuerit gratia plena ex cœlesti oraculo, non potuisse maiore gratia donari, quæ cum puritate creaturæ ad diuini alicuius suppositi consortium minimè euectæ, cohæreret. Hoc dico condiendum esse, ne desipiat. Nam plenitudo gratiæ & perfectionis, quæ Deiparæ certa est ex sacris oraculis, & doctrina Patrum, non est censenda esse huiusmodi, vt excludat incrementum possibile; ac proinde vt extra Deiparam similis gratia non possit esse intensiuè maior atque perfectior. Monstratum quippe est, absurdè tales frœnos diuinæ largitati erga alias puras creaturas forte injiciendas. Sed ita accipienda est plenitudo gratiæ prædicta, quantum attinet ad intentionem, in qua nunc versamur, vt nulli alteri puræ creaturæ, auctior de facto communicata sit gratia ac perfectio, ex iis quæ ad animæ sanctitatem & puritatem, ac maiorem cum Deo coniunctionem spectare queunt. Id quod secundo loco ratum ac fixum apud omnes esse præmisimus. Aliqui tamen DD. aiunt gratiam esse concessam B. Virgini, qua nulli puræ creaturæ maior concedi potuit, quia agunt de dignitate maternitatis, quæ tanta est, vt nulla pura creatura possit dignitate & sublimitate tituli, altiùs efferri. Ita se exponit Pelbartus, cuius præter cæteros erat assertum prædictum lib. 1. Stellarij parte 2. c. 8. eóque refert quod habet S. Thomas in 1. d. 22. art. 2. q. & 1. p. q. 27. art. 6. quod Deus non potuerit facere meliorem Verbi sui matrem quàm fecerit, quoad perfectionem essentialem, id est quoad dignitatem matris, quamuis potuerit perfectiorem condere quoad perfectionem accidentalem, siue quoad quæcunque dona gratiæ, quæ & in B. Virgine, & alibi, esse potuissent auctiora, & intensiuè perfectiora, si ita visum Deo fuisset.

Quomodò perfectiones Virginis, si extensiuè summæ, declaratur.

10. IAm si spectetur maior perfectio extensiua donorum de quibus agimus, hoc est spectantium ad maiorem animæ puritatem & sanctitatem, conjunctionémque cum Deo; si inquam quæratur, an B. Virgo spectando multitudinem ac numerum huiusmodi donorum, vlli sanctorum concedat, atque adeò sítne aliquod tale donum alicui puræ creaturæ concessum, quod B. Virgini sit negatum; statuendum est vt certum, ex doctrina SS. & congruentissima ratione, B. Virginem, hac quoque ex parte, sortitam esse plenitudinē gratiæ & nullo destitui dono aut priuilegio, ex iis de quibus agimus, quod alicui alteri sanctorum concessum sit diuino munere. Hæc est aperta mens S. Bernardi epist. 174. negantis, fas esse vel per suspicionem cogitare, quod tantæ matri non sit concessum quicquid vel paucis mortalium constiterit esse collatum. Idem habet S. Damasc. orat. 1. de assump. & Idiota l. de contempl. B. Mariæ

c. 2. ac vt videtur Richardus Victorinus initio libri de differentia sacrificij Abrahæ & Mariæ. Ait enim, indubitanter attribuendum esse B. Virgini quod est optimum; quia nemo censuerit, aliquem sanctorum ei præferri vel etiam æquari posse. Idem ferunt illa apud Patres frequentia, cæteris per partes, Mariæ autem gratiæ plenitudinem fuisse debitam ac concessam. Ita autor libri de oper. Christi Card. apud Cyprianum serm. de natiu. Christi, Sophronius serm. de Assumpt. Pet. Chrysol. serm. 143. Petrus Dam. & Laur. Iustin. serm. de Assumpt. Subscribunt eidem principiò passim Scholastici, vt Suarez t. 2. 3. p. d. 1. s. 2. Vasq. 3. p. d. 114. c. 3. *initio* & d. 119. c. 3. item *sub initium* Valentia 3. p. d. 2. q. 1. p. 5. & passim cæteri, astipulatúrque manifesta ratio: quia quoad dona & priuilegia spectantia sanctitatem maiorem, certum est, Deum nullam puram creaturam æquè amasse, ac matrem suam. Quomodò ergo ei negauerit donum aliquod ex prædictis, quod alteri puræ creaturæ communicatum voluerit? Habet hic locum argumentatio Origenis hom. 11. in Lucam. Inde enim probat, Ioannem Baptistam familiariter cum Deo egisse, quod Mosi id concessum legamus; constet autem Baptistam, & Mose & omnibus natis mulierum, fuisse maiorem.

Non quæcunque Sanctorum priuilegia, Virgini concessa.

11. Sed aduertenda diligenter est limitatio quam adhibuimus principio proposito: Nimirum nulli sanctorum communicatum esse donum quodpiam aut priuilegium ex iis quæ ad sanctitatem ac puritatem animæ, maiorémque cum Deo coniunctionem pertinent, quod non sit communicatum Deiparæ. Nam cætera charismata, quæ Apostolus non annumerauit melioribus, id. dona gratiarum gratis datarum, & priuilegia quæ animam beneficiarii arctiùs & meliùs Deo non nectunt, nihil est necesse, Deiparæ assignare, si alicui sanctorum concessa fuerint. Qua de re inferiùs occurrent exempla, tractando sigillatim varia priuilegia à nonnullis tributa B. Virgini. Quis verò diffiteatur, donum & priuilegium aliquod Dei esse sacerdotium, siue potestatem conficiendi corpus & sanguinem Domini, absoluendíque à peccatis? Item Pontificatum summum, & administrationem clauium cœli? Est tamen extra controuersiam, huiusmodi priuilegia aliis plerisque sanctorum communicata, ad B. Virginem non pertinuisse.

Quare laxiùs quàm par fuit, axioma propositum vsurpauit Chrystophorus Castro cap. 5. Histor. Deip. n. 15. cum existimauit, ex eo quod Patres asserunt dona aliis sanctis collata, B. item Virgini collata fuisse, inferri legitimè, omnia planè charismata & priuilegia, siue Angelis siue hominibus concessa, Deiparæ quoque esse collata. Profértque præter cætera, exemplum cibationis per Angelos, quod putat certò inferri esse concessum B. Virgini, quia certum est, tale priuilegium aliquibus sanctis diuino munere obtigisse. Nec dissimiliter Mandoça l. 2 florum sacrorum problem. 5. n. 36. ex eo principio similiter intellecto, infert B. Virginem aliquos ab inferis ad agendam pœnitentiam eri-

puisse, quia hoc priuilegium legitur concessum aliquibus sanctis.

Hæc nego inferri ex prædicto principio, siue verum sit, ita quandoque accidisse, siue non sit verum; de quo ex probatis historiis pronunciandum est, aut aliunde quàm ex proposito principio. Iuxta quod fatendum esset, omnia prodigia quæ circa aliquos sanctos acciderunt, locum multo magis habuisse in Deipara. V.G. dicendum esset, Deiparam priusquàm matris vtero funderetur, edidisse clamorem in Dei laudem, quia ita contigit S. Geraldo Comiti teste S. Odone in eius vita: vel latrasse intra matris vterum, vt accidit S. Vincentio Ferrerio, quod habent eius acta apud Surium 5. April. certo præsagio quod allatraturus esset vitia. Nascente S. Heriberto lux magna nec minor Solari meridiana noctis tenebras discussit, vt scribit in eius vita Rupertus c. 1. Idipsum nascente B. Virgine contigisse fingendum erit, si verum sit propositum principium. S. Cunegundes, filia Belæ Regis Vngariæ, coniux Boleslai Poloni & in coniugio virgo, nascens non vagiit aut fleuit, sed articulato & claro sermone Hungarico, protulit hæc verba, *Aue Regina cælorum, mater Regis Angelorum*, vt scribit Vvadinghus tomo 3. annal. 1322. De Philippo, Flandrorum piissimo Comite, proditur quod tertio à natiuitate die contentissimè clamauerit, *euacuate mihi domum*. & ita habet *eius Epitaphium apud Claram Vallem.* Dicendum ergo erit, Deiparam nascentem salutasse Deum, aut Angelos, vel Christum venturum aut inclamasse euacuandam satanæ domum. Cunæ S. Epiphanii Ticinensis, typica luce fulgere sæpè sunt visæ; vt scribit in eius vita Ennodius, vt futuram (inquit) eius claritatem, lustrans eum, & præcedens fulgor ostenderet. Idem ergo de B. Virgine asserendum erit; nec omittendæ erunt apes quæ S. Ambrosij infantis labiis insederunt. Sexcenta huiusmodi proferri possent, quæ nemo non videt falsa esse ac ableganda; ac proinde principium ex quo inferrentur, repudiandum est.

PARS PRIMA.

HOMO EXTERIOR VIRGINIS, foris conspicuus.

1. VT ORDINATA sit tractatio, agam primo loco de iis quæ spectant ad B. Virginem, consideratam, quoad ea, quæ ex se hominibus apparent, pertinéntque ad exteriorem hominem, vt Apostolus loquitur; cuiusmodi sunt quæ ad naturalem originem, & constitutionem, ac consequentes eam naturales perfectiones; item quæ ad Virginalem integritatem, coniugium, maternitatem, ac obitum spectant. Deinde secundo loco tractabo interiorem hominem; id est perfectiones gratiæ augustissimo Dei sacrario collatas, & quoad animæ substantiam, cui gratia sanctificans insidet, & quoad facultates, concludámque per statum gloriæ, cuius gratia est semen. Vtrobique ea duntaxat complectar quæ potiora videbuntur, & maioris vtilitatis, nec prorsus vacua difficultatum: Præmissa autem solida veritate, semper subnectam & euerram gerras quæ occurrent, & furfures doctrinæ, quos vel inconsulta pietas, vel erronum improuidentia admiscuerit.

2. Nolo tamen in fundamentario illo errore quo Collyridiani B. Virginem rebus creatis exemerunt, & Deitate insanissimè donarunt, moram vllatenus facere; quod ea blasphemia tantæ fatuitati sit coniuncta, vt ne confutationem quidem deposcat. Tametsi neque eam prætermisit S. Epiphanius hær. 78. *in fine*, & hæresi 79. *per totam*. Insanissimè quosq; Albanenses B. Virginem, Angelum fuisse censuerunt, si vera sunt quod de eis recitat Guido Carmelita tract. de eorum erroribus cap. 5. Catharos posteriores siuè Valdenses, idem somniasse refert qui eos vidit & audiuit Reynerus l. contra Valdenses c. 6. Vt tamen S. Athanasius optimè dixit epist. ad Epictetum, & idem S. Epipha. hær. 77. [Quæ ita palam vitiosa ostenduntur, ampliùs exercere & curiosiùs inuestigare non oportet, vt ne contentiosis velut ambigua putentur. Hoc verò solùm ad talia respondere ac dicere satis est, quod non sunt hæc Catholicæ Ecclesiæ, neque patres hoc docuerunt aut senserunt.]

PVNCTVM I.

VIRGINIS CONCEPTIO.

1. POst diuturnum certamen seculorum, quæ vt Damasc. orat. 1. de Natiu. Virg. scitè dixit, de gloria excipiendæ & orbi inferendæ matris Dei depugnabant, quando venit plenitudo temporis, & decreta in diuino consistorio, ante tempora secularia, juuandi & erigendi collapsum hominem, beata & pridem exspectata opportunitas appetiit, miserante tandem Deo, & viscera sua super humanum genus non claudente, facta est conceptio [sanctissimæ, & præ omnibus sanctis colendæ, castissimæ & immaculatæ, perbenedictæque, gloriosissimæ, & excellentissimæ omnium creaturarum, gratia plenissimæ, gaudium facientis & tribuentis, dominæ nostræ, propriè, natura, & veritate, solius Dei Genetricis semper Virginis Mariæ.] Elogiolum est Sanctissimæ Virginis, quod ei pangitur ad calcem narrationis de S. Martini Papæ exilio, inter Anastasij collectanea.

Parentes Virginis sanctissimi, Ioachim & Anna.

2. COncepta porrò est, ex parentibus sanctissimis, & Regiæ stirpis, quorum coniugio nullum vnquam simile fuit in omni diuina charitate & honestate, vt loquitur S. Birgitta in serm. Angelico c. 10. Ioachimo inquam & Anna. Nam sic dictos esse B. Mariæ parentes, rectè contra Centuriatores id inficiantes confirmat Canysius lib. 1. Marial. c. 4. Hoc itaque ratum esto. Nec video, cur Petrus Damiani serm. 3. de Natiu. Virg. nolit de Virginis parentibus quæri. [Nonnulli (inquit) dum plus sapere, quàm oportet sapere gestiunt, quis pater, vel quæ mater Beatæ Mariæ fuerit, studio superfluæ curiositatis inquirunt. Sed aliquis lector nimis inutiliter quærit, quod Euangelista narrare superfluum duxit. Si enim huic notitiæ, vtilitatem inesse cognosceret, nequaquam nobilis Historicus rem necessariam silentio præteriret. Sciendum verò est, hunc esse morem Scriptoribus sacri eloquij, vt sicut student semper silere, quod obest; sic etiam referre despiciant, quod scire non prodest. Aliquando autem in sacra scriptura, certi causa mysterij aliquid prætermittitur, vt ipso quasi clamante silentio, magnum aliquid sentiatur.] Et mox. [Matthæus igitur qui viri proposuerat genus describere, illius scilicet, de quo per Prophetam dicitur; *Ecce vir Oriens nomen eius*; eruditè per Ioseph descendere voluit: Mariæ verò parentes ponere, superfluum iudicauit.] Quid

quod S. Augustinus 23. contra Faustum c. 9. *ad finem*, quod pater Deiparæ, nomen esset Ioachimo, petitum ait ex apocrypha scriptura, quo ipso significat id esse fabulosum & respuendum.

Verùm S. Augustinus duntaxat improbat, quod ibi refert de quodam Ioachimo è tribu Leui oriundo, patre Deiparæ. Id enim meritò repudiatur, cum Ioachim Deiparæ pater, fuerit è tribu Iuda. Itaque quod D. Augustinus, non agnoscat, Ioachimum fuisse Deiparæ patrem, non pugnat cum veritate proposita. Silentium autem de his SS. parentibus à Petro Damiani memoratum, facilè rejicitur. Non sanè tacuerunt de his beatis parentibus, permulti Patres, qui etiam eorum sanctitudinem eximiam fuisse, vt exploratum statuunt nominatímque Epiphanius orat. de laud. Virg. & Damas. orat. 1. & 3. de Natiu. Virg. Videsis quos prætereа adducunt, qui *hoc beatum par*, (vt Damasc. orat. illa loquitur) cumulatè exornant; Castro in Histor. Deip. c. 1. Spinellus in Throno Dei c. 18. Baptista Poza l. 2. Elucid. tract. 8. c. 3. Canisius l. 1. de Deip. c. 4. qui ferè argumentantur ex fructu, siue ex prole. Nam si ex fructibus arbor cognoscitur, & quod apud Aristotelem 2. phys. tex. 59. dixit Protarchus, [Fortunati sunt lapides ex quibus altaria fabricantur,] profectò cum fructus immediatus horum beatorum conjugum, fuerit sancta Dei mater, mediatus verò fuerit Christus Dominus, perspicuum esse debet, maximam fuisse horum beatorum coniugum sanctitudinem.

Iuuat hoc sanctæ illius Synoridis encomium ex fructu quem orbi dedit, verbis Fulberti Carnotensis serm. 3. de Natiu. Virg. adscribere. [Felix (inquit) sancta coniugalis Societas, quæ tale ac tantum, specialéque vel singulare decus profudit in orbe, de concesso nuptiali contubernio, &c. Meritò siquidem huius sanctæ Virginis, multùm adeò laudandi sunt & extollendi sanctissimi procreatores, qui in cunctis institutionibus tantos ac tales se præstiterunt, vt non immeritò de eorum stirpe prodiret talis successio, quæ fieret & priscis ætatibus & subsequentibus, exemplum totius bonitatis. Felix & præ cœteris patribus felicior, qui tantæ prolis meruit vocitari pattator. Felix etiam, qui non plures, sed vnam promeruit suscipere natam, quæ vnicum conciperet & proferret Dei Filium. Nec enim decebat, vt huius singularis Virginis sanctissimi progenitores, fœdarentur plurimorum propagatione filiorum, qui erant futuri vnicæ matris Domini, prouisores & educatores egregij. Verè beata, & in omni veneratione habenda, & quodam priuilegio sacro prædicanda mater huius sanctæ, quæ omnium antecessit matres, in concipiendo & generando eam, quod suum & omnium generaret Creatorem. Gaude & lætare ô felix pro tali filia, quoniam tali dote donata es, qua nulla ante te, vel postea meruit antecelli.] Vides vnde Fulbertus, beatos Deiparæ parentes celebret, nempe ex prole, vnde etiam argumentatos in eam rem cœteros, affirmabam.

Erant stirpis Regiæ.

3. ET indidem probatur, eos fuisse Regiæ stirpis, hoc est Dauidicæ. Nam Christum Dominum fuisse ex semine Dauid, innumeræ Scripturæ contestantur: atque adeò Deipara & vlteriores Christi progenitores, saltem Ioachim, (de Anna eius coniuge haud ita liquet) ex Dauide ortum duxerunt; siue per Salomonem, quod late contendit Pineda l. 7. de Salom. c. 26. siue per Nathanum, alium Dauidis filium, vt aliis videtur. Vtrumlibet verò statuatur, nostra parum refert. Nam etiamsi gloriosius esset Ioachimo, per Salomonem è Dauide prodiisse; quod sic non modo ratione trunci, siue Dauidis, sed etiam ratione multorum progenitorum immediatorum, esset ex regio semine: tamen vel ex vno parente Dauide, & nobilitas cana, & regia stirps Ioachimi, abundè firmatur. At fuisse Ioachimum ex familia Dauidis, perspicuum est; cum ex traditione certa, tum ex B. Virginis desponsatione cum viro ex tribu Iuda, & de familia Dauid, vt disertè habent S. Matthæus, c. 1. & S. Lucas c. 3. Nam cum B. Virgo esset parentibus vnica, atque adeò hæres, non poterat alteri viro quàm de familia sua nubere, & quidem propinquissimo, vt colligitur ex cap. vltimo Numer. & ex coniugiis Tobiæ iunioris, ac Ruthæ. In hac re immensi sunt interpretes Matthæi 1. & Lucæ 3. vbi nominatim Tol. ab annot. 56. Latè item ex Scholasticis Suares t. 2. 3. p. disp. 2. s. 3. Vasq. disp. 127. Optimè inter Patres Damasc. orat. 2. & 3. de Natiu. Virg. Quid quod verisimillimum est, quod sentit Castro in histor. Deip. c. 1. n. 7. nempe Ioachimum esse illum ipsum Heli, cuius Christus Lucæ 3. dicitur filius, verbis illis; *Et ipse IESVS erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph, qui* (videlicet Christus, ita enim relatiuum illud *qui*, aptat Autor. qq. vet. & noui Testam. 2. p. q. 56.) *fuit Heli*. Sanè vt benè perspexit Sancius in c. 1. Ieremiæ, n. 10. *Heli* portio est nominis *Hiliacim*, siue *Heli ioacim*, quarum altera duntaxat, ex vsu Hebræo, appellari quandoque reperiuntur, quibus nomen è duabus illis partibus nexum erat; ita vt quandoque *Heli*, quandoque *Ioachim* dicerentur. Annuit quoad sic binomium Ioachimum, Galatinus lib. 7. c. 12. & Manuel Sa, Lucæ 3. Cum ergo series procreationis Heli ex Dauide, tam clara sit apud Lucam; manifestum manet quod de eius auita & gentilitia nobilitate & claritudine diximus. Eundem exortum ex Dauide, ad B. Annam extendit S. Ambrosius lib. 3. in Lucam. An verò dicendum sit eam fuisse filiam Heli illius à S. Luca memorati, atque adeò S. Lucam genus Christi per maternam lineam ad Dauidem per Nathanum reduxisse, sicut S. Matthæus monstrarat eum ratione matris esse filium Dauidis, ex Salomone, per paternam Ioachimi lineam; hoc inquam an sit dicendum, versat eruditè de more Franc. Lucas ad c. 3. Lucæ vers. 23.

Censu

Census illis mediocris, & exorata tandem fœcunditas.

4. VT tamen humana omnia caducitati sunt obnoxia, nec sors splendida & secundùm seculum apprimè clara, cuiusmodi est prolis Regiæ, stabilior est æstuariis, vt pereleganter, disserit Philo ad finem libri quod Deus sit immut. nec humanæ quælibet celsitudines, fixæ diu perstant, sed potiùs non secùs ac omnium breuissimo spatio euanescunt, vt idem Philo l. de Ioseph, *sub medium*, ac libro de somniis, egregiè prosequitur; homo de Regia Dauidis familia, mediocri censu & ad tenuitatem potiùs accedente, vitam exigit cum vxore fœmina lectissima; cui æquè ac viro vnum votum erat, nec diuitias nec paupertatem ambire, sed necessariorum vsu contentos, incedere in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela; de augenda autem re familiari, sollicitudinem abjicere; quinetiam de facultatibus qualescunque possidebant, partem Deo & sacris ministris, partem egenis studiosè decidere in more habebant; in eum nominatim finem, vt si ita Deo videretur, prolem qua carebant, susciperent. Quam petitionem, Spiritus ipse sanctus afflabat, & vegetabat; alioqui enim fatua fuisset prolis per eos suscipiendæ petitio, vel exspectatio: Tum quia erant ambo senes, vt docent Epiph. in Virg. encomio, Germ. Constantinop. orat. de Præsent. Andreas Cretensis orat. 1. de Assumpt. & passim alij. Tum etiam quia ambo steriles erant, vt liber de ortu B. Mariæ Hieronymo adscriptus prodidit, & adductus proximè Andreas, nec non Simon de Cassia. l. 2. in Euang. c. 1. aliíque permulti tradunt. Scitè Damascenus orat. de dormit. Deip. Annæ vocabulum interpretatus *Gratiam*, sterilitatem B. Annæ refert ad gratiæ tunc temporis sterilitatem, quæ in hominum animis fructum edere minimè posset. Quare pij coniuges incentore & impulsore Spiritu sancto, in spem contra spem ferebantur; & quâ ieiuniis (vt Germanus supra obseruat) quâ eleemosinis, (vt habet historia adscripta Hieronymo,) maximè verò iugi oratione, (de qua testantur Damasc. 4. fidei c. 15. Epiph. in Virg. laudat. & Antiochus hom. 107.) interposito item voto consecrandi Deo quam suscepissent prolem, (teste Nysseno orat. de Natiu. Dom. & Damasceno 4. fid. c. 15. & idem ex Alcorano refert. Dyonis. Cartus. l. 1. de laud. Deip. art. 5.) exorarunt numen, vt per hoc miraculum sterilium ac senum sobolem suscipientium, via sterneretur ad miraculum omnium maximum, quo Dei Filius ex Virgine incorrupta, non ita multo post, procreandus erat, vt Damasc. scitè dicit orat. 1. de Natiu. Virg. & S. Germanus orat. de eodem argumento. Similitérque S. Chrysost. hom. 49. Genes. conceptus variorum antiquorum ex sterilibus parentibus, refert ad concilium Dei, mollientis viam ad fidem mysterij natiuitatis Christi ex Virgine: quod egregiè quoque tradit Basilius Seleuciæ, orat. 2. de Iona.

5. Ad eum ergo modum gratia naturam correxit, & beatissima hæc infans concepta est, si præuiam Dei largitatem in senum ac sterilium fœcundatione excipias, planè cæterorum infantium more. Nam Deus quidem, auxilio in-

debito roborauit iam marcentem vtriusque coniugis naturam & Ioachimo quidem vim contulit vt posset fructuosè vti coniugio; emortuam verò vuluam Annæ, ad idem ex parte sua præstandum roborauit; ídque ad miraculum pertinuisse, negare non licet: Sicque verum monstratur, quod dixit Damasc. orat. 1. de B. Virginis Natiuit. [Illud excelsi brachium, obtusum naturæ ligonem Spiritu sancto tanquam digito suo exacuens, viuam scalam sibi ipsi condidit.] Et eodem pertinet quod collaudato B. Annæ ventre, [qui viuum cœlum, cœlis ipsis latius peperit, & tanquam beata area, viuifici frumenti segetem tulit,] subjungit exclamans, [ô miraculorum miracula, & rerum admirandarum, res maximè admirandæ!] Verè enim ad miraculum pertinuit, illa anus roboratio ad concipiendum, nec minus valet de hac Anna quod de Samuelis matre dixit Chrysostomus homil. 2. de Anna, initio, eam fuisse fœtus sui, patrem simul & matrem, quatenus precibus extorsit à Deo vim quam natura nec ipsi nec patri dabat: Cætera autem omnia quæ ad hunc conceptum interuenerunt, naturalia fuerunt, & qualia in cœteris siue coniugibus concipientibus, siue liberis naturaliter conceptis, vt disertissimè docet S. Epiphan. hær. 79. & S. Ansel. serm. de concept. Itaque & consuetum coniugum commercium est adhibitum, & ex deiecta per commercium conceptus materia tacitis incrementis (quod expressè habet Damasc. orat. 1. de Virg. natiu.) formatus & ad incrementum debitum perductus est fœtus, sole ac cœlo aliisque vniuersalibus & particularibus humanorum conceptuum fouendorum & promouendorum causis, influxum suum contribuentibus, per integrum nonimestre, quo abditus materna aluo solitis secundinarum inuolucris obuolutus, vinculisque alligatus fœtus, maturitatem ad exitum necessarium expectauit.

Furfur doctrinæ, ac primùm quod virgo non esset Adamica.

6. HÆc sunt, quæ solidè, circa Deiparæ conceptionem passiuam, ex Patribus & probatis autoribus proferenda habui. Nunc subtexenda sunt quæ alij improbabiliter circa hunc B Virginis conceptum proposuerunt. Et imprimis cum omni detestatione repellendus est Paracelsus, qui vt non tantùm circa rem medicam quam tractabat, ineptiret, transmutans eam in Alchymiam, sed etiam vt circa res sacras audaciam proderet, qua valebat; Deiparam Abrahamí quidem filiam secundùm promissionem fuisse admisit, non tamen Adami & Euæ, ex quibus,& eorum semine prodiisse illam negauit lib. 2. Chym. c. 2. blasphemum hoc stultiloquium, fusiùs redarguunt Canisius lib. 1. de Deip. c. 3. *initio*, Valent. 3. p. d. 2. q. 1. p. 2. & Delrio polemica 4. *initio*. Sed non est longa confutatione opus. Nam S. Lucas c. 3. Christi genealogiam ab Adamo repetit; non alia sanè ex causa, quàm quia Deipara ex qua Christus carnem accepit, orta est ex Adamo. Idque conuenientissimum fuisse, vt quod primi parentes perdiderant, soboles eorum recuperaret, sicque maius cordolium crearetur diabolo, docent sæpè SS. Patres. Bern. pulcherrimè serm. 2. de Pentec. & homil. 2. super *missus est*. [Deus (inquit) qui non solùm potenter,

ſed etiam ſapienter quęcumque voluit fecit, ſicut in omnibus operibus ſuis quaſdam rerum vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem ſeruare conſueuit: ita in hoc quoque tam magnifico opere ſuo, noſtræ videlicet reparationis, non tantùm potentiam ſuam, ſed & prudentiam oſtendere voluit. Et quanquam illud aliter quomodò vellet perficere potuiſſet, placuit ei tamen eo potiùs & modo & ordine hominem ſibi reconciliare, quo nouerat cecidiſſe: vt ſicut Diabolus priùs ſeduxit fœminam, & poſtmodùm virum per fœminam vicit: ita priùs à fœmina Virgine ſeduceretur, & poſt à viro Chriſto apertè debellaretur; quatenus malitiæ fraudi, dum ars pietatis illuderet, ac maligni fortitudinem Chriſti virtus contereret, diabolo Deus & prudentior appareret & fortior.] Alios profero agens de cauſa Chriſti effectrice l. 3. ſ. 2. c. 3. Et ita etiam ferunt illa Geneſ. 3 *ipſa conteret caput tuum*, quod de ſemine mulieris primæ, caput ſerpentis contrituro, pronunciatum eſſe, palam eſt. Vbi verò illud, *fecit ex vno, omne genus hominum*, ſi Deipara non eſt ex Adami ſemine? Tandem quomodò potuit Virgo eſſe ex ſemine Abrabami, & non eſſe ex ſemine Adæ, qui Abrahamum procreauit? Quare valeat delrius ciniflo, nec ad hanc ſacram fornacem in qua eſt quartus ſimilis filio Dei, (vt Anaſtaſius l. 4. Hexaemeri Deiparam nominauit) ſpurcum halitum attollat nequam flaturarius, ne abſumatur atque deflagret.

Item quod parentes Virginis fuerint ab vtero, ſancti.

7. IAm conditionem parentum, ex quibus proximiùs quàm ex Adamo concepta eſt Deipara, aliqui ita magnificant, vt eos quoad animæ quidem dotes, non modò pios & exquiſitè ſanctos fuiſſe dicant, quod Iam præmiſimus (abſque tamen ea minimè admittenda auxeſi & odioſa comparatione pro qua copioſè laborat Auendanius Serm. de S. Ioachimo, diſcurſu 4. quod ſcilicet S. Ioachim ſit omnium totius Eccleſiæ ſanctorum, infra Virginem, ſupremus; quod ipſum rationes eius, de S. Anna probarent, ſi eſſent ſolidæ,) ſed etiam à matrum vtero iuſtificatos aſſerant: Quoad fortunæ verò decora, ſplendidiſſimos, & inter ciues ſuos facilè principes. Ita quoad vtrumque, Recentior eruditus & ingenioſus. Nam ſanctificationem in vtero tam S. Ioachimi, quàm S. Annæ, affirmat l. 2. tract. 8. c. 3. Splendorem verò familiæ eorundem, exhibet l. 2. tract. 9. c. 1. & 2. Et ſubſcribunt Spinellus l. de Throno Dei c. 18. ac Morales l. 1. in Matth. tract. 6. n. 3. & tract. 11. n. 25. adducens pleroſque alios. Præiuerat Iacobus ille, è quo narrationem de exorato Virginis conceptu, deſcripſit S. Euſtathius in comment. ad Hexaem. *pag.* 54. quam cum Proteuangelio Iacobi in Orthodoxographia edito, malè confundit Allatius in notis *pag.* 285. Hæc ſunt, quæ circa parentum B. Virginis conditiones, ab aliqoibus ſunt prodita.

Sed non ſunt his prærogatiuarum fucis, ornandi Deiparæ parentes. Nam eorum quidem iuſtificationem in vtero, gratis & falsò inuehi, monſtraui agens de præpropera iuſtificatione ſanctorum. Nec ſunt ſanè adeò facilè conuel-

lendi generales fidei canones, quibus statuitur, omnes nasci & fundi ex vtero, filios iræ, nisi desit speciale priuilegium, cuius hîc inuehendi nullum suppetit fundamentum, præter proportionem maioris inæqualitatis quam sanctitati parentum Deiparæ, ad sanctitatem Ioannis in matris vtero sanctificati, assignant, qui pro hoc B. B. Ioachimi & Annæ priuilegio certant. Verùm explorata est, potéstque merito videri falsa: nec vt verè admitteretur, fas esset inde colligere, priuilegium de quo agimus: quia occasio accursus Christi, & infantis Baptistæ, digna Deo visa est, ob quam ad Christi illustrationem sanctificaretur, & Spiritu Sancto repleretur, iam ex matris vtero, vt Angelus pronunciarat. Nihil autem tale contigit circa Ioachimum & Annam, cum adhuc in matrum suarum vteris delitescerent. Quare non sunt adepti gratiam sanctificantem, nisi post ortum ex vtero.

Nec non quod fuerint ditissimi.

8. SPlendorem verò familiæ & amplissimas facultates, reponant inter horum sanctorum conjugum decora, qui beatum dixerunt populum cui hæc sunt. Nos ista fortunæ ludibria, numeramus in bonis quæ affluunt plerisque qui sancti non sunt, plerosque autem sanctos, deficiunt. Tantúsque est Deiparæ fulgor ex generatione Regis Regum, vt præ eo omnis ex auorum titulis claritas, tenebrescat; omnis ex parentum apibus gloria, non secus ac fumus euanescat. Nec is profectò fuit sensus sanctorum, quòd parentes Virginis, adeò copiosi, & locupletes, ac splendidi fuerint quàm comminiscuntur Recentiores. Et vt taceam, quod Damascenus orat. 1. de Assumpt. Deip. & Eusebius Cæsar. in epistola quam ex eo refert Franciscus Ximen. l. 2. c. 143. disertè agnoscunt, Ioachimum oues pauisse; (id enim largum patrimonium non excluderet, vt ex Iacobo liquet, & ex iis quæ de pastoritij muneris magnificentia, disputat Philo l. de sacrif. Abelis & Caini, ac initio libri de Ioseph.) vt inquam hoc tenuium Ioachimi facultatū argumentum non vrgeam, quia verè non est efficax; quis non videat, vnicam filiam horum coniugum, quam dilapidatæ parentum substantiæ, nemo vel per suspicionem ream egerit, eo non fuisse deuenturam, si parentibus tam copiosis, támque splendidis procreata fuisset, vt fabro mannuum suarum labore se sustentanti, nuberet? Idem argumentum vrgeri potest ex variis euentibus, in quibus Deipara se prodidit minùs benè constitutam ab humanis facultatibus. Vt cum prægnans non inuenit locum in diuersorio; Item cum ad redimendum filium, non agnum anniculum, quod diuites faciebant, sed tenuium proprium munus, intulit templo. Sunt alia huiusmodi, quæ expendunt Pelbartus lib. 7. Stellarij, p. 2. art. 3. cap. 10. & Rich. à S. Laur. lib. 4. de laud. Deip. agens de Virginis paupertate, *pag.* 279. Quare ad populum phaleras.

9. Deiparæ parentes, non fuerunt copiosissimi & splendidissimi, vt recentiores, inde Beatissimæ eorum infanti lenocinantes, pronunciant. [Liber nunc (ait Petrus Damiani serm. 2. de Nat. Virg. *in fine*) pro ædificatione nostra

in regulam diuinæ iustitiæ parumper radios mentis infigere; & qualiter omnipotens Deus, electos suos deprimi temporaliter sinat, quos extollere in æternum decreuerit, indagare: vt enim nunc de cæteris sileam, hæc eadem beatissima Virgo,.cuius hodiernam Natiuitatem debitis veneramur obsequiis, ante constitutionem mundi in consilio æternæ sapientiæ electa, & prælecta, licet de regali fuerit stirpe progenita, nulla tamen humanæ dignitatis altitudine floruit, nullis rerum temporalium diuitiis abundauit.] Esto verò, daremus patentes Virginis, iure hæreditario fuisse dominos regni Iudæorum, vt volunt qui Christo illud dominium titulo generationis ex B. Virgine arrogant, quod habet disertè Petrus Blesensis sub initium tractatus de peregrinat. Ierosolymit. (quanquam satis video quàm hoc ius, dubium vel etiam nullum, fuerit tempore Christi & B. Virginis) aliud tamen est iure ac titulo locupletissimum ac vel Regem maximum esse, aliud possessione & facto, vt quotidiana exempla demonstrant. Non est igitur B. Virgo orta parentibus teipsa copiosissimis. Neque tamen quod nugiuendi quidam sectarij è contrario asseruerunt, tantùm vt Virginem depreciarent; censendum est, parentes Virginis (quos Damascenus orat. de dormit. Deip. inter Pastores, facultatibus instructos describit) fuisse adeò egenos, vt inter vrbis suæ quisquilias,& prorsus infimæ sortis homunciones numerandi essent. Refert hoc, & meritò rejicit Canisius l. 1. de Deip. c. 4.

Et quod genuerint absque vsu coniugij.

10. EX his parentibus conceptam esse Deiparam absque coniugali commercio, aliqui honestati (vt putabant) seruientes asseruerunt, nudum osculum interuenisse fabulantes. Hunc fuisse suo tempore sensum vulgi, scribit Pelbatus l. 4. stellarij parte 1. art. 1. Refert etiam Molanus l. 3. de imag. c. 55. Robertum de Licio acriter conclamantem in imaginem abs se visam, qua exhibebantur Ioachim & Anna, osculum sibi palam figentes ad auream portam, cum hac epigraphe subiecta imagini, *taliter concepta est B. Maria:* quod depromptum esse ex vitiata lectione proteuangelij Apostolo Iacobo in Orthodoxographia adscripti, suspicatur Molanus; eo quod ibi referatur Annam post Angeli reuelationem, occurrentem, Ioachimo in porta, eiúsque collo circumfusam, esse sibi gratulatum diuinum munus, atque dixisse; *quæ eram sterilis, in vtero habebo.* Quod postremum verbum, corruptè in præsenti legerunt ij quos aiebam fabulini. Nempe quasi dixisset. Anna, *quæ eram sterilis, in vtero habeo.* Vt vt sit, mera fabula est, quod B. Virgo sit ad eum modum accepta. More enim cæterorum fœtuum humanorum, ex permistione coniugum conceptam fuisse, disertè tradit. Iacobus ille à sancto Eustathio adductus, & Petrus Damiani s. 3. de Natiu. Virg. verbis illis. [Per coitum quidem est genita, sed non per efficaciam coitus enixa.] Idest, aliter concepit ipsa Christum, quippe absque coitu; aliter concepta est, per parentum scilicet commistionem. Perpulchrè Theophanes in Symphonia veteris ac noui Testa-

menti, adductus à Turriano l. 2. de Eccles. contra Sadeelem cap. 3. id ait ab Isaia prænunciatum, cum Virginem virgæ de radice egredienti, Christum flori comparauit. Nam radix non est quid simplex & vnius formæ, sed ex diuersis partibus constat, quibus qualitatem terræ attrahit, & in vnum corpus coalescens, arborem super terram producit. Sic Virgo iuxta hunc autorem ex maris & fœminæ coniunctione, prodiit. Christus autem est flori collatus quia ex sola Virgine absque alterius coniunctione est eggressa, vt flos & virga. Idem habet S. Fulbertus serm. de Natiuit. B. Virginis, nec non S. Epiph. hær. 79. admonens quod circumfertur ex historia de ortu Deiparæ, nempe Angelum Ioachimo apparuisse in deserto, ac dixisse, *vxor tua concepit*; ita accipiendum esse, vt non pugnet cum conceptione ex vsu coniugij: ac proinde sensum esse, *vxor tua concepit, secundum Dei præscientiam*, in qua quæ facienda sunt, censentur iam facta, iuxta illud *qui fecit qui futura sunt*. Quare S. Epiph. illud *concepit* interpretatur *concipiet*; vtique (vt disertè admonet) non absque coniugij vsu, qui etiam præcessisse potuerat, quamuis conceptæ prolis annunciatio postea sit facta.

Saltémque adiuncto ei vsui, raptu.

11. ALij ita admiserunt adhibitum esse ad hanc conceptionem coniugale commercium, vt tamen prorsus abfuerint à coniugibus ei operam dantibus, motus concupiscentiæ. Ita significatum putant ea reuelatione à B. Virgine facta S. Brigittæ quam Cartusianus l. 1. de laud. Virg. art. 6. recitat, & habetur apud ipsam sanctam Brigittam l. 1. c. 19. verbis illis. [Coniugium patris mei, & matris, tanta castitate coniunxit, vt tunc non inueniretur castius coniugium, & nunquam conuenire vellent, nisi iuxta legem, solummodò causa suscitandæ prolem. Et cum sibi nunciatum esset ab Angelo, quod Virginem parerent, vnde salus mundi procederet, magis voluissent mori, quàm carnali amore conuenire, & voluptas in eis mortua erat. Tamen pro certo dico tibi, quod ex charitate diuina, & ex verbo Angeli nunciantis, conuenerunt carne, non ex concupiscentia aliqua voluptatis, sed contra voluntatem suam, ex diuina dilectione; & sic ex semine eorum, per diuinam charitatem, caro mea compaginata est.]

Videtur idem velle S. Hildefonsus serm. de Natiu. Virg. cuius initium est *Audite fratres*. Sic enim loquitur de SS. Virginis conceptione. [Maria virgo, non sic est nata, sicut solent pueri vel puellæ nasci. Sed Anna sterili & patre iam senes, extra consuetudinem mulierum, post refrigescentem calorem, & sanguinem iam tepidum in pectore refrigescentem, & omnem amorum libidinis discessum, mundo corde & corpora ab omni pollutione carnali orta est. Sic enim Dominus voluit, vt de tali vasculo mater sua nasceretur.] Nec obscurè idem tradit Fulbertus serm. 3. de Natiu. B. Virginis, cum ait, haud esse dubium quin in huius prolis conceptione. [Vtrumque parentem, viuificus & ardens Spiritus singulari munere repleuerit, quódque ab eis sanctorum

Angelorum custodia seu visitatio nunquam abfuerit.]

12. Audi etiam S. Germanum orat. de Natiuit. Deip. *sub finem.* [Precibus horum (Ioachimi & Annæ) dedit sterili sobolem, quam ad Deum fusa proseminauit oratio, & coniugi fructum quem spes progerminauit, flósque perpetuò florens efflorauit æstu expertis prolis. Facta mater quæ antea sine sobole; & surculum progerminans, quæ germen nunquam produxerat. Et quid hac quæso sobolis germinatione venerabilius? Quid magis inopinatum, quàm Dei matrem cernere? apertum quidem sed non corruptum vterum, non seminati ventris fructum castitatis proferentem, ac Virginem è sterili & orba germinantem?] Dei matrem, *æstus expertem prolem,* dixisse videtur S. Germanus, eámque è sterili effloruisse precibus proseminatam, vt significaret, eum procreationis modum ex parte parentum, quem inuehi ab aliquibus diximus. Nimirum à Galatino lib. 3. de arcanis cap. 8. cui præiuerat Robertus Guaguinus in Tractatu Metrico de Conceptione B. Virginis contra Vincentium de Castro Nouo, vbi illum conceptionis modum fusè stabilit, nominatim ex eo quod omnibus consentientibus possit dæmon hominis dormientis semen sine voluptate eius decidere, & inde formare prolem in vtero fœminæ. Concludit post multa.

Sacro igitur compluta caro diuinitùs imbri,
Dans operam gnatis, non cupit & generat.
Non dederim cunctis hoc munus, sed quibus alget
Mens vitio, & totam spiritus intus alit.

Itaque iuxta Guaguinum, non fuerit id peculiare decus parentum Deiparæ, sed aliis quoque sanctis & maximè spiritualibus coniugibus idem contigerit, quod in solis Deiparæ parentibus agnouisse diximus Galatinum. Et subscripserunt Fernand. in c. 29. Genes. s. 14. n. 4. & sectione 9. n. 15. Ioannes Maria Zomarus lib. 2. de Eminentiss. Deiparæ perfect. cap. 17. num. 9. Spinellus libro de Throno Dei c. 18. n. 8. ac Nouarinus in vmbra Virg. c. 35. n. 1220. qui cum Galatino, existimat id esse commodum ad auertendum à Deipara peccatum originis. Nam quemadmodùm iuxta D. Augustinum 12. Ciuit. c. 26. in statu innocentiæ coniuges ad procreandam prolem conuenissent [sine libidinis morbo, & sine ardore ac illecebroso stimulo, cum animi & corporis tranquillitate;] ita hi sanctissimi coniuges, Ioachimus & Anna, priuilegium status innocentiæ, ob innocentissimam prolem ex eis concipiendam nacti, caruerunt inter concipiendum œstro illo quod vulgares coniuges in illo opere occupat, & impotentissimè abripit, absorpta ratione, & infessa intra illum delectationis sensibilis gurgitem, ex fomitis effrœnatione existentem, iuxta illud S. Augustini 14. ciuit. c. 16. [Cum *libido* dicitur, nec cuius rei sit *libido,* additur, non ferè assolet animo occurrere nisi illa, qua obscœnæ partes corporis excitantur. Hæc autem sibi non solùm totum corpus, nec solùm extrinsecùs, verum etiam intrinsecùs vendicat, totúmque commouet hominem animi

ſimul affectu cum carnis appetitu coniuncto atque permixto; vt ea voluptas ſequatur, qua maior in corporis voluptatibus nulla eſt: ita vt momento ipſo temporis, quo ad eius peruenitur extremum, penè omnis acies & quaſi vigilia cogitationis obruatur.]

13. Caruerunt igitur ſancti hi coniuges eo furore, iuxta hos Doctores: habuerunt autem è contrario, defœcatiſſimum actum contemplationis, & ardentiſſimæ deuotionis voluntatem ſumma ſpirituali dulcedine perfundentis: nec aliter eos ſpiritualiter inebriantis, (quanquam ſaluo rationis vſu) quàm corporaliter inebriatus ſit Loth, cum filias ſuas faceret matres. Et verò quis motus concupiſcentiæ, & ardorem libidinis excitaſſet in his ſanctis coniugibus? Corpus certè eorum frigebat, & vt de Zacharia & Elizabetha Ioannem concipientibus, ait Petrus Chryſol. ſerm. 91. [Tranſierat tempus carnis, voluptatis cauſa, cupiditatis ſenſus.] Deum ignitabuli illius emortuos ardores, & reſtinctos ignes reaccendere, par non fuit. Igitur carneæ fuligines è libidinis vaporario, & motus verè pudendi inde exiſtentes, prorſus abſuerunt à commercio parentum, quo B. Virgo concepta eſt, iuxta autores prædictos. Nec tantùm SS. hi coniuges Virginem abſque vllo prorſus peccato ſuo genuerunt, (quod probabile eſſe ait S. Bonau. in 3. d. 3. p. 1. art. 1. q. 1. ad 4. meritóque S. Vincentius ſerm. 2. de Natiu. Virg. ſtatuit vt planè verum;) ſed etiam abſque carnis motibus, & ſenſu voluptatis conceperunt.

Subſcriberem, ſi priuilegij quod inuehunt, diuinas tabulas, ex ſcripturis & traditione proferrent. Sed cum nihil tale adducatur, ſtandum eſt iuri communi, vt factum disertè eſt à S. Bernardo epiſt. 174. *ſub finem*, agnoſcente, non defuiſſe libidinem inter maritales complexus Ioachimi & Annæ, quibus Deipara concepta eſt. Et quanquam fateor, defuiſſe prorſus peccatum coniugum, ſic conuenientium, quod S. Bernardus videtur negare; tamen libidinem, ideſt concupiſcentiæ motus, quibus obſcœnæ partes corporis excitantur, iuxta S. Auguſtini doctrinam 14. ciuit. c. 16. perperam hìc negari, concedo. Nec motus illos concupiſcentiæ Deus excitauit, (tametſi cum peccata non ſint, nihil vetuiſſet, Deum ipſum, vel eius iuſſu SS. Angelos id præſtitiſſe;) ſed naturaliter conſequebantur, ex reddito diuinitùs membris generationi deſeruientibus vigore & calore, ad huiuſmodi functionem neceſſario. Idque niſi fateamur quoad hos SS. coniuges, æquè admittendum erit, Abrahamum & Zachariam, ac ſi qui fuere alij, prolem diuino beneficio adepti poſt tranſactum tempus carnis, eodem priuilegio fuiſſe honeſtatos, quod nemo hactenus finxit præter fortè Guaguinum ſupra adductum ſed hac in parte explodendum, æquè ac cum de Baptiſta ibidem canit,

Conuerſa eſt natura, parit longæua virago,
Non ſatus incluſum ventre ſalutat herum.

An Baptiſta non ſatus? Sed ad rem. Igitur Virginis parentes, aliter filiam genuiſſe, quàm cœteros parentes liberos ſuos gignant, nihil perſuadet. Hinc verò

verò offici nitori huius conceptus, haud aptè dicitur. Non enim proles inquinatur peccato originali ob parentum inordinationem in commixtione, tametsi ita sensit Faustus Rheg. l. 1. de gratia & lib. arb. c. 2. & vt videtur S. Ildephonsus serm. 1. de Purif. sed non rectè. Nam licet parentes, absque vllo sensu libidinis, & ordinatissimè ac nitentissimè congrederentur; proles tamen macularetur peccato originis, quod præcisè adiungitur propagationi ex Adamo, vt præter cæteros benè in hanc rem prosequitur Soto lib. 1. de natura & gratia c. 9. *sub finem.*

Item quod genuerint ex materia Adami innocentis.

14. MAteriam ex qua corpus Virginis in conceptione coaluit, sunt qui assignant valdè illustrem; quippe quæ in Adamo adhuc innocente, formaliter & actu præfuerit, & ab eo fuerit diuinitùs separata, ad compingendum suo tempore corpus Virginis, priusquàm Adam innocentia & fœlici illo statu excideret. Habet hanc doctrinam Christoph. Auendanius in Mariali agens de natiu. Virg. discursu 1. Et probat ex eo quod S. Lucas genealogium Christi ex Adamo per Deiparam, obsignat verbis illis, *qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Quod est dicere, Adamum fuisse quidem mediatum Virginis patrem, non tamen in qualicunque statu spectatum; sed cum adhuc essent Dei, nec peccato oblitus, transisset in mancipium satanæ. Tunc enim, (inquit Autor prædictus,) [reseruauit Deus de carne Adæ, vt inde formaret corpus quod futurum erat totius puritatis & munditiæ receptaculum.] Eóque refert, quod habetur in 6. Synodo actione 11. & 12. [A diuinitate, assumpta est nostra natura, illa quæ ante peccatum creata est, non quæ post præuaricationem vitiata.] Confirmat idipsum ex S. Ambrosio, cuius hæc verba refert. [Expiata est à Spiritu sancto caro Domini, vt in tali corpore nasceretur, quale fuit Adæ ante peccatum.]

15. Hæc doctrina, non potest excusari eo quod à Concionatore prolata sit. Nam & scriptis est commissa, quibus æstus oratorius non potest obtendi: & quod maximè aduertendum est, idcirco debuit accuratiùs expendi, quia in concione proponebatur. Non dico debere concionnatores, siue de B. Virgine, siue de aliis argumentis disputent, subtilitates scholasticas, & quæstionum difficilium implexitates in populum spargere, quod aliqui parum cordatè faciunt. Tantum itaque dico, quæ ad populum proponuntur, eo ipso quod simplici plebeculæ proponuntur, debere esse vndecunque solida, & ab omni doctrinæ fermento aliena: Cuiusmodi cèrtè non est, quod hìc asseritur de materia è qua formatum est corpus Deiparæ. Si enim Deus reseruauit carnem ab Adamo innocente decisam, è quo Adami membro truncato eam carnem abstulit? Quid verò pro ea suppleuit, vt pro costa in Euæ substructionem ablata? Vbi porrò eam carnem reseruauit? Reseruatio enim illa fert, vt caro aliqua in hunc vsum seposita, sit decisa ex carne Adami, priusquàm is inficeretur peccato. Vbi ergo carnem sic sepositam, & per tot secula asseruandam,

reposuit Deus? Aut quomodò inde compactum suo tempore est corpus Deiparæ, quod constat non ex carne Adami immediatè, sed ex semine coaluisse? Nisi si fingamus, ea carne ex Adamo decisa, diuinitùs suppeditata, cibatos esse Virginis parentes, & ex eo cibo in materiam accommodatam fœtui ritè conuerso, efformatum esse corpus Virginis; quod quantis diuinationibus sit refertum, me tacente res loquitur. Tale quid autem somniasse vel sextam Synodum, vel S. Ambrosium, est apertè falsum. Tantum quippe significarunt, nitorem & innocentiam humanitatis à Verbo assumptæ. Multo minus sic ineptiuit S. Lucas, cum dixit, Adamum cum factus est, fuisse Dei; vt voluerit figmento proposito astipulari, qui apertè tantùm voluit, Adamum non à creato parente genitum esse; vel cæteros quos recensuerat, eodem modo quo ipse ortos fuisse. Duplicis verò illius ordinis, à Luca & Matthæo in Christi genealogia texenda seruati, pulchram rationem dabit Paulinus l. 2. contra Felicem *in fine*.

Verùm iam fastidio abuti lectoris otio in his insulsitatibus refellendis, quæ tametsi aliquid habere videantur affine sententiæ Galatini l. 7. de arcanis c. 4. quæ priùs fuit. Magistri sententiarum in 2. d. 30. *in fine* de portiuncula substantiæ Adami, ad quemcunque nostrum illibatè & irresolubiliter deriuata; fortéque ad illius fabellæ similitudinem, ista quoque sit concinnata; plurimum tamen inter se differunt: éstque ista multo absurdior, cum carnem iam carnem, sepositam & reseruatam in vsum fabricandæ Virginis comminiscatur, quod non dicitur in illo Magistri commento ab omnibus exploso, & latè à Suare t. 2. 3. p. d. 44. sect. 2. Itaque peruelim ego sanè, eos qui vel dicunt ad populum, vel quæ dixerint scribunt, & diffundunt per orbem, abstinere tam crudis ineptiis, quæ cum ad hæreticos & erga fidem malè animatos permanant, mirum quantum rebus nostris incommodent; & quibus sannis impiorum, objiciant quæ essent omni veneratione prosequenda. Sed tanti plerisque est ineptire, & audire propolas inauditorum antehac mysteriorum.

Insuper quod in momento, átque adeò exclusa astrorum cooperatione, genuerint.

16. SVnt qui præterea, ad augenda decora & prærogatiuas conceptæ Virginis, negent cooperatum Solem & astra generationi Deiparæ, ex coniugali parentum commercio conceptæ, vt in cæteris conceptionibus cooperantur, iuxta illud *Sol & homo, generant hominem*. Inde hoc negat Poza l. 2. tract. 16. c. 1. quod caro Deiparæ in momento sit formata & figurata, vnde non potuerunt cœli vel astra ad eam conceptionem concurrere, cum lentè duntaxat & successiuè operentur. Vel si quod ferunt reuelationes B. Amedei Minoritæ cuius laus est in Chronico Minorum p. 3. l. 6. cap. 30. anima infusa est corpori Deiparæ, sex horis ab vsu matrimonij parentum, carne præter morem breui illo tempore, formata atque configurata; tam exiguus fuit cœlo-

rum in hunc conceptum influxus, vt pro nullo haberi possit.

Fundamentum illud de formatione & figuratione momentanea corporis Deiparæ, statim atque coniugale parentum commercium antecessit, multipliciter stabilit Poza l. 3. tract. 2. c. 4. allegatis pro eadem opinione Philippo Malla qui Parisiis claruit sub finem seculi penultimi, & Iacobo Granado l. de concept. B. Virginis. Rationes quoque proferuntur, sed illa duntaxat est alicuius momenti, quod eadem die, 8. scilicet Decembris, conuenerint parentes Deiparæ, & animata sit proles. Nam historica narratio de ortu Deiparæ apud Hieronymum, disertè prodit, Ioachimum Hierosolimis repulsam passum à summo sacerdote, ob sterilitatem in festo encœniorum quod exeunte Nouembri celebrabatur, regressum esse Nazarethan, seu potiùs in montem vicinum, vbi mœrore contabescens, diuino viso de futura vxoris grauidatione certior est factus. In quo regressu & mœrore, clarum videtur insumptos esse paucos illos dies qui procurrunt à finito sub extremum Nouembrem festo Encœniorum, ad octauum vsque Decembris quo Ioachimus diuino monitu domum repetiit, & rei vxoriæ operam dedit. Et quamuis non omne illud tempus esset insumptum, priusquàm Ioachimus domum & vxorem reuiseret, perinde esset ad rem præsentem. Nam certum est, Deiparam natam esse 8. Septembris, vt habet certa Ecclesiæ traditio, consignata in omnibus antiquis Ecclesiasticis tabulis, & firmata consensu omnium Doctorum. Cum ergo à die 8. Sept. ad 8. Dec. regrediendo, non nisi nouimestre solidum decurrat, quod ab animatione fœtus ad extremam vsque confirmationem & plenam maturitatem debet intercedere; concluditur necessariò, octoginta illos aut paulo pauciores dies, qui à commixtione parentum ad inde conceptæ fœmellæ animationem de Medicorum ac Philosophorum sententia interueniunt, cum fœtus naturali more conformatur, non præcurrisse animationi B. Virginis, ex quo materia ad eam concipiendam maternæ aluo iniecta est. Ac proinde necessariò sequitur, moras ordinarias animando, humano conceptui necessarias, non esse circa Deiparam seruatas.

Quandoquidem ergo fateri cogimur, animationem corpusculi virginei, præter naturæ vsum ac leges breuiorem solito fuisse; ita vt cum alij fœminei fœtus octaginta circiter dies ab ingesta materia ad eius animationem deposcant, hìc tamen manifestum sit, vix nisi de octiduo certari posse, an sit animationi materiæ collectæ præmissum quidni vltrò demus, quod statim apparet esse verisimillimum, ne illam quidem paucorum dierum nemoram pro qua tricari liceret, interuenisse: Deo ad hoc singulare opus suum præsidente tarda molimina? Argumentum in speciem validum.

17. Mihi tamen ea momentanea materiæ aptatio ad animationem, & subita post commixtionem coniugum prolis animatio, nullo modo probatur cum sit contra Patres vt monstraui, contineátque ingens miraculum, quod pro solo Christo agnoscit Ecclesia. Itaque tametsi admitto, Deiparam fuisse conceptam 8. Decembris, vt necesse est fateri, si verum est, eam post solita nonimestris in vtero commorationis spatia, natam esse octaua Septembris quod

debet esse extra dubium, tamen nego, tempus aptandæ materiæ necessarium, non præcessisse. Nec enim 8. Decembris dicitur concepta Virgo, quia eo die est anima corpori immissa: sed quia interposito ea die congressu, à quo computatur nonimestre prolis in vtero; facta tunc est seminum permistio, & materiæ fœtus collectio, quæ est conceptio prima. Qua ratione non quatitur autoritas libri de ortu Deiparæ apud S. Hieronimum. Quanquam si quateretur, non multum referret. Nam tametsi eius libri fidem propugnat Castro in histor. Deip. ad calcem, contexens autorum Catalogum, *in Hieronimo*, itémque Spinellus in Trono Dei c. 18. n. 5. Poza l. 2. tract. 15. c. 1. & Canisius l. 1. Mar. c. 12. tamen infirmam admodùm esse eius autoritatem, euincunt Canus 11. de locis c. 6. Baro. in appar. n. 33. Sixtus Sen. l. 2. Bibl. *in Matthæo*, & Molanus l. 2. de imag. c. 29. ac ante hos omnes S. Ansel. l. de excell. Virg. c. 2. ac Fulbertus serm. 2. & 3. de Natiu. B. Virginis. Repudiauit quoque iam olim eum librum Monachus quidam Corbeiensis, contra quem scripsisse Hincmarum prodit Flodoardus l. 3. Histor. Rem. c. 23. sed ita tamen scripsisse ait, vt fateretur, [præfatam historiam nos habere ad lectionem, non ad proferendam autoritatem.] Non obscurè igitur, Hincmarus quoque, tametsi eum librum magnificè describit & auro ac ebore conuestiri curauerat, (id quod ibidem c. 5. narrat Flodoardus) non censuit illius libri autoritatem esse admodùm firmam. Itaque Deiparam, tacitis incrementis, & more cæterorum fœtuum humanorum, vt supra cum Epiphanio & Damasceno loquebamur, conceptam & animatam esse, nullus dubito. Quo constituto, ruit fundamentum negandi cælos ac solem in hanc generationem æquè ac in cæteras influxisse; nimirum quia non potuerunt agere nisi successiuè; quam cooperandi tarditatem, subita corporis efformatio & animatio exclusisset.

Et quod fœtum ediderint absque ordinariis vasis, & tegumentis.

18. QVia verò in lenta materiæ ad animationem aptatione, & corporis iam fabricati, dum planè perficitur, consummata elaboratione, vsui sunt secundinæ, idest variæ inquam membranæ quibus corpusculum fœtus fouetur, & excrementa secernuntur; admittendum omnino est, hujusmodi inuolucra corpori Deiparæ intra maternum vterum non defuisse: quicquid sit, an defuerint Christo, de quo nonnulla est ambiguitas, præsertim ob canonem Trullanum, vt inferiùs prosequemur. At quoad B. Virginem, nulla occurrit vel apparens ratio dubitandi, tametsi recentiorum nonnulli, rem exploratam in dubium reuocarunt. Similitérque statuendum est de vena ambilicari, qua fœtus matri connectitur, & de omnibus quæ ad alios fœtus humanos interueniunt. Nihil enim in hoc puncto singulare habuit conceptus passiuus B. Mariæ, quoad ipsam prolam, ac ferè etiam quoad matrem eius B. Annam; cui nonnulli recentiores, longa decem mensium fastidia de quibus

Plinius l. 7. c. 6. prorsus adimunt; eo duntaxat nixi fundamento, quod scribat S. Birgitta 1. reuel. c. 9. B. Annam aluo gerentem, omnibus incessisse lætitiis. Hoc tametsi est magna ex parte verissimum, tam quoad initia deprehensæ conceptionis,& absterri opprobrij sterilitatis,quo pij parentes pro illius gentis vsu ad eam diem sorduerant, quàm pro reliquo tempore grauiditatis, cui orbis vniuersi gaudium ex diuina reuelatione agnoscebant esse consertum. Tamen fingantur cogitatione, Regina quæ diutissimè mœrens quod nullos è matrimonij prato flores, per multa annorum curricula legerit,quamuis ad totius regni bonum prolem cupidissimè expetiisset; tandem prægnans facta, in summa deprehensæ conceptionis lætitia adiunctorum prægnationi fastidiorum bonam partem gaudij sui vbertate obruat, nonnullam etiam partem experiatur. Videsis num de B. Anna, philosophari ad eum modum congruat,vel etiam oporteat.

Clausula Rythmica de B. Anna Christi auia, sanctóque eius auo Ioachimo, & Virginis Matris per eos conceptione.

PLacet insulsitates hactenus propositas, condire apposito pio rythmo Iambico, de B. Anna, & Deiparæ ex ea Beatóque Ioachimo conceptione: sed presso scriptoris nomine, exemplo lacedæmoniorum, quos autor est Philo l. quod deterius potiori insidietur, & Isido. Pelus. l. 3. epist. 232. rectam sententiam, tacito autore improbo referri voluisse. Sic habet rythmus.

Salue parens sanctissima,
Sacro beata coniuge.
Sacratiore Filia,
Nepote sacratissimo.
Domo quid hac illustrius,
Ornatiusve? Quæ altera,
Tam multiplex habuit decus?
Tantum vna monstrorum tulit!
Hic hic maritum annis grauem,
Effœta anus facit patrem:
Est Virgo fœta, filia;
Nepos, Dei Verbum, ac Deus.
Gener pudicus se negat
Partus parentem vxorij
At integram iurat, neque
Riuale pallet suspicax.
Ergo Anna mater optima
Cumulatiùs multo tuas
Lachrymas Deus solatus est
Quàm vel Rebecca, vel Saræ.
Vel illius quæ te refert.
Et rebus & vocabulo
Quæ dum silenter anxij
Proferret æstus pectoris;
Visa est Heli multo mero
Amens, parúmque sobria.
At te pio cum coniuge,
Amore prolis annua
Templis ferentem munera
Procax sacerdos reppulit.
Heus inquit, hinc mihi ocyus
Profana vota tollite.
Ipsi simul procul, procul
Aris sacris absistite
Vestran' Deo donaria
Futura grata creditis?

Quorum pudenda nuptiæ
Præter libidinem nihil,
Luxum & senilem scilicet,
Tanto tulere tempore.
Quò se locorum verterent
Vultus pudentum coniugum,
Repulsa quos tam fœda, tam
Insignis exanimauerat?
Ioachim pudorem non ferens,
Gregum ad suorum pascua
Se proripit; Tristis suam
Recepit Anna se domum.
Largis vterque fletibus
Votisque pertinacibus,
Orare non cessat Deum,
Vt probè probrum tolleret.
Cœlum penetrarunt preces
Adest ab astris Angelus
Qui prole promissa graues
Luctus iuberet ponere.
Surgunt alacres, inuicem
Narrare visa gestiunt;
Porta maritus aurea
Se quæritantem coniugem
Offendit; hîc lætus stupor
Dulces vtrique lachrymas
Excussit; hinc modicos lares,
Iunctis reuisunt gressibus.
Haud vana vox oraculi,
Lusit piam seruum fidem,
Bis luna nata quinquies
Anum videt puerperam.
Tanto quidem felicius,
Fœcunda quanto serius,
Fit Anna filiæ parens,
Nec filiæ cuiuslibet;
Sed filiæ quæ fertilis
Eademque Virgo gigneret.
At quem beata gigneret
Summi parentis filium.
Qui sceptra terræ & ætheris,
Cum Patre habet communia,
Qui Deus & idem homo, necis
Autore vincto per necem;
Vitam reduxit mortuis,
Aperuit in cœlos iter.
O térque quatérque, & ampliùs
Parens beata, nam potes,
Iuua preces mortalium
Tuo vacantum cultui,
Nam te patrona quilibet
Speramus assequi; modò
Voles, volétque & Filia.
Nec huic petenti pusio,
Negare quicquam nouerit.
Amat parentem filius.
Neque Filio negat Pater
Amans & ipse Filium.

PVNCTVM II.

NATIVITAS VIRGINIS, ET *eius adjuncta.*

1. EXACTA à conceptu nonimestri periodo, beatissima infantula edita in lucem est, Angelis (Quod habet B. Brigitta in serm. Angel. c. 7.) festiuè plaudentibus, gloriámque in excelsis Deo, & in terra pacem hominibus, pro tam bona Dei optimi maximi voluntate concinentibus.

Tempus & locus, Natiuitatis Deiparæ.

ANnum editæ in lucem Virginis, de quo disputant, Canisius l. 1. de Deip. c. 11. & Castro c. 2. histor. num. 8. signare necesse est penes annum editi ab ea Christi, indéque de anno Augusti & Herodis Idumæi pronunciandum. Infinitam diligentiam probauit hac in parte Poza l. 1. Elucid. Mensem ac diem, compertum habemus ex Ecclesiastica traditione, quæ fert, editam Deiparam 8. Septembris. Ac vt mysterio responderet temporis circumstantia, beatam infantem, quæ solis Iustitiæ aurora in Canticis dicitur, Ruperto teste l. 6. comment. in Cant. itémque Innocentio serm. 2. de assump. Virg. Philippo Abbate, Hugone Victorino serm. 34. S. Bonau. in specu. c. 9. Petro Damiani insigniter ser. 40. Richardo à S. Laur. l. 7. de laud. Deip. *pag.* 463. ferunt illucescente aurora esse natam; quod ex reuelatione quadam prodidit Azor t. 2. l. 1. c. 19. q. 8. & Poza l. 1. tract. 3. c. 5. Sed Guliel. Durandus quem allegant l. 7. ration. c. 28. n. 2. non refert reuelatum esse, Deiparam natam esse in aurora, sed in nocte; & quod ibi addit tres celebrari sanctas natiuitates; Ioannis, vt luciferi, Mariæ vt auroræ, Christi vt solis; non plus probat B.Mariam esse natam in aurora, quàm probet Christum esse natum de die; quem constat natum media nocte. Est igitur duntaxat mystica & symbolica expressio Virginis per auroram. Nec tamen sollicito vel conuello persuasionem illam de Deipara sub auroram nata, vel in aurora. Nam id quoque tempus, noctis nomine venire potest, cum non sit dies adulta. Vnde quod ait Durandus, reuelatum esse, Deiparam noctu natam, potest de tempore illucescentis auroræ verum esse.

2. Locus Natiuitatis Deiparæ, fuit Bethlëem, iuxta Christianum Druthmarum in c. 1. Matth. ac Theophilactum in c. 2. Lucæ, ac veterem Rabbinum adductum à Gallatino l. 7. cap. 12. Alij natam dicunt Deiparam, Sephori Galileæ ciuitate, quam S. Hieron. l. de locis Hebr. vocat Diocæsaream. Ita

sub disjunctione Abul. in c. 2. Matth. q. 91. At natam Hierosolimis Deiparam, affirmat Adricomius in descriptione Ierusalem n. 37. Nec Barrad. t. 1. l. 6. c. 5. *in fine*, dissentit. latè autem consentit Poza l. 1. tract. 8. cap. 3. adducens S. Brigittam l. 5. reuel. c. 13.& antiquum Hodæporicum Gulielmi Bandenseli, nec non Cotouicum l. 2. Itinerarij, & alios plerosque oculatos testes, qui referunt demonstrari Hierosolimis domum, iuxta probaticam piscinam, vbi Deipara affirmetur nata. Addunt aliqui, non aliunde tunc primùm inditam esse, nec inde multo post ablatam probaticæ, illi piscinæ, virtutem curandi ægros in illam demissos, quàm ex vicinia domus, in qua Deipara lucem primùm vidit: quæ idcircò à Damasceno orat. 1. de Natiu. Virg. dicta est *sancta probatica*. Hoc idem Poza fusè prosequitur l. 2. tract. 7. c. 2. Ad extremum alij quos magno numero appendit & sequitur Benzonius, in Psal. 86. c. 21. ac nominatim Hippolitus apud Nicephorum l. 3. c. 3. & liber de ortu Deiparæ apud S. Hieronimum, ex recentioribus autem Castro in histor. c. 2. contendunt B. Virginem natam esse in Nazareth Galileæ, quam fuisse sedem habitationis Ioachimi, receptissimum est apud veteres. Postremæ huic sententiæ, haud inuitus subscribo, quod non videam, cur S. Anna, quæ potiùs, (vt de Elizabetha legimus) quod ex vtero senectutis ac sterili fusura esset infantem, abscondisse se non modico tempore videri potest; ad partum, captarit solem amplissimæ metropolis, mutata adeò serò antiquæ commorationis sede Nazarena.

Angelo in Natiuitate concreditam, qui negarint.

3. PRædicto igitur loco ac tempore, nata est Deipara, haud absque præuiis miraculis, vt coniectat S. Anselmus l. de excell. Virg. c. 2. An autem eidem, statim ac nata est, pro cæterorum infantium more, Angelus custos sit datus, variant sententiæ. Negunt Mayro. & eum secutus Pelbertus Rosario 2. V. *Angeli* 10. §. 122. & l. 5. Stellarij p. 2. art. 1. *sub finem*, qui contendunt Deum seipso suppleuisse munus Angeli Deiparam custodientis, ideòque non fuisse Angelum illi ad custodiam necessarium, siue vt auerterentur pericula, siue vt conferrentur lumina, aut gustus bonorum curarentur. Admittunt tamen datum esse Deiparæ à natiuitate, Angelum ad famulatum, imo quod (quod nulli fidelium dubium esse ait Fulbertus serm. 3. de Natiu. B. Virginis) Angelos multos stipatores, quibus vnus aliquis nobilissimus præesset, quem fuisse Gabrielem, ex communi existimatione tradit Pelbartus. Aut non multum, aut nihil ab hac sententia abest Poza l. 2. tract. 16. c. 3. nam tametsi agnoscit, assignatum Deiparæ Angelum custodem; negat tamen aliquid ad custodiam pertinens executum vnquam esse, vel ad id fuisse assignatum. Itaque non aliter habuisse se putat, quàm habitum pœnitentiæ, qui Deiparæ collatus est ad merum ornatum, etiamsi semper futurus esset otiosus. Admittit tamen concedenda esse Angelo illi custodi nonnulla ad obsequium pertinentia, vt manifestationes diuinorum mandatorum peculiarium, exhibitionem precum

à Deipara fusarum pro aliis, vel pro seipsa Angelos interpellante ad repræsentandas Deo huiusmodi preces, & si quæ sunt alia ad custodiam non attinentia, sed ad obsequium duntaxat. Quæ tamen circa nos ab Angelis prout custodibus benignè præstantur, puta dæmones coercere, immissas ab eis prauas cogitationes auertere, vel deinceps immittendas præcauere, plenè illustrare mentem, & propensionem in bonum promouere; hæc Angelo B. Mariæ custodi (quem c. 5. censet fuisse Michaëlem, quippe Angelicorum spirituum supremum;) negat autor prædictus; quem proinde aiebam, parum aut nihil abesse à sententia Pelbarti ac Mayronij, negantium Angelum Deiparæ custodem, nec agnoscentium assignatum esse ei Angelum, nisi famulum multis aliis beatis spiritibus ad idem obsequium à Deo destinatis præfectum idem significat. Becanus opusc. 14. c. 9.

Contrarium verius.

4. Mihi tamen magis arridet sententia quæ simpliciter admittit, Deiparam Angelo custode non caruisse. Tradit eam Abulensis in c. 8. Matth. q. 60. Suarez l. 6. de Angel. c. 17. Mendoça l. 2. florum sacrorum problem. 8. Albertinus l. de Ang. custode c. 4. Ex Patribus idem disertè tradunt S. Ildeph. serm. 5. de assumpt. Sophro. serm. de assumpt. S. Bernardus epist. 77. Ratio est, quia tametsi Angelus non potuit erga B. Virginem præstare omnia illa que Angelus custos exhibet passim hominibus tutelæ suæ concreditis, potuit tamen pleraque præstare; vt auertere externa mala, edocere de variis rebus hic & nunc faciendis, illustrare quoad varia pro diuinæ sapientiæ arbitrio. At hæc satis supérque sunt ad statuendum, Deiparam non caruisse Angelo custode. Sicut tametsi paruuli recens educti ex vteris matrum, non sint alterius Angelicæ custodiæ capaces quàm liberationis ab externis periculis; tamen admittimus, eos statim ab ortu, accipere à Deo Angelum custodem. Hunc Angelum respectu Deiparæ fuisse Gabrielem, communissima persuasio est, hausta ex variis Patribus, quos in hanc rem profert Feuard. in Append. ad Castrum V. *Angelus* hær. 3. & Christophorus Castro l. 2. histor. n. 9. Nec videtur probandum quod Abul. q. illa 60. commentus est, de multiplici pro variis temporibus Angelo custode Deiparæ; quasi ab ortu ad Incarnationem Verbi, vnum aliquem è minoribus Angelis habuerit custodem; quia tunc non habebatur nisi vt priuata persona: postea verò cum concepit Christum, quia spectabatur vt persona publica, mater Dei, acceperit sublimiorem Angelum; qui se subduxerit & priori locum cesserit, post Christi mortem, iam consummata humanæ salutis negotiatione. Hoc nego videri admittendum. Nam Deipara in conspectu Dei semper fuit persona publica, & dignitatis præcellentissimæ, qua non excidit post expletam humanæ salutis procurationem: vt proinde independenter ab ea procuratione, ratione solius suæ personæ, eundem semper de Angelorum primoribus vnum, hoc est Gabrielem, sortita sit diuina designatione custodem.

Temperamentum Virginis, præcellentiſſimum.

5. EDitæ per ſingulare miraculum ex annoſis & ſterilibus parentibus puellæ, ac in ipſo ortu, Angelo præcellentiſſimo concreditæ, naturalem corporis perfectionem, facile eſt ex eo deprehendere, quod Dei perfecta ſunt opera. Quis verò dubitare poſſit, quin Deus qui ex hac puella, Chriſto ſuo carnem quandoque decerpturus erat, ita vt eius aliqua portio futura aliquando eſſet caro ipſiuſmet Dei, vt piè admodùm conſiderat Petrus Damiani ſerm. 1. de Natiu. Virg. non ſpecialiter prouiderit, vt corpus illud in ſuo genere maximè perfectum & optimè conſtitutum euaderet? Non dico Temperamentum B. Virginis, fuiſſe *ad pondus*, vt vocant; quaſi ſcilicet in ea omnes primæ qualitates, ſaltem ratione totius corporis, habuerint æqualitatem: quod contendit Ioannes Maria Zamorus l. 2. de Eminentiſſ. Deipa. perfect. c. 29. refellendus per ea quæ de talis Temperamenti ad humanam vitam ineptitudine, diſputata ſunt cum de mixto. Non igitur tale Temperamentum Virgini arrogo; ſed illud in quo eſt æqualitas Iuſtitiæ; ita vt & omnes partes ſingillatim, & corpus vniuerſum in B. Virgine exquiſitè fuerit temperatum. Multipliciter id à poſteriori probat Dionyſ. Cartuſ. l. 1. de laud. Deip. artic. 35. ſed optimè confirmatur ex Chriſti conſtitutione corporea, præcellentiſſima & optima. Nam proles, parentibus conſtitutione & habitu corporis reſpondere ſolet, præſertim matri, quia ab ea plus accipit proles. Vnde illud Fabri inſtit. de nuptiis in rubr. n. 1. [Vt plurimum pueri matrizant. in corpore.] Quæ etiam eſt ratio, ob quam cum de ſeruitute agitur, partus iuxta vulgare effatum, ſequitur ventrem, quia ſeruitus tenet ſe ex parte corporis, quod à matre eſt præcipuè. Habétque eo magis locum hæc ratio inter Chriſtum & Deiparam, quàm inter alias matres & fœtus earum; quod cæteræ matres non conferunt planè totam materiam è qua fœtus compingitur, & è qua habitus corporis in fœtum deriuatur. At B. Virgo, totam materiam & qua Chriſti corpus coaluit, ſola ſuppeditauit. Itaque neceſſe eſt, eam temperamento, & habitu corporis, quàm ſimillimam fuiſſe Chriſto; de quo nemo ambigit, quin fuerit corporis temperamento intra humanam ſpeciem perfectiſſimo & optimo.

Non æquo Chriſti & Deiparæ temperamenta, cum Spiritus ſanctus corporis Chriſti opifex, facilè quiuerit, materiam quam aſſumebat in Chriſti corpus & Verbi Dei tabernaculum, diſponere accidentariò atque perficere, iuxta exigentiam finis in quem deſtinabatur, ſupra perfectionem accidentariam & bonitatem temperiei qua pollebat in corpore Deiparæ. Tantùm igitur dico, bonitatis illius ac perfectionis, qua benedicta illa materia in ſolo ſuo exornabatur, coniecturam non leuem peti poſſe, ex perfectione, quam in Chriſto eſt nacta. Neque enim Spiritus ſanctus, niſi lectiſſimam materiam, iámque ex ſe probè affectam, adhibuiſſet ad tantum opus, vt in ſimili de materia corporis Adæ, philoſophatur Philo in Coſmopoeia. Neque tamen tam præcellentem illius materiæ perfectionem vendito, vt iuxta aliquorum opinationem, mira-

culum fuerit procreari ex ea fœminam, non marem. Nam præcellentia illius, prouisa diuinitùs est talis, quæ sexui fœmineo, non virili consentanea esset, quod facile est intelligere etiam sistendo intra prouidentiam naturalem, & secluso speciali miraculo.

Sanitas inde ac pulchritudo, omnino eximia.

6. QVia verò temperamenti præcellentiam sequitur sanitas corporis, & venustas siue pulchritudo, meritò DD. passim agnoscunt vtrumque illud decus humani corporis, eximium in B. Virgine fuisse. De perfecta sanitate verum quemcunque morbum excludente, ita Galat. l. 7. c. 10. Caiet. opusc. de spasmo Virginis, siue t. 2. opusc. 13. §. *quoad secundum.* Molanus l. 3. de imag. c. 32. Suar. t. 2. 3. p. d. 2. s. 2. Poza. l. 3. Elucid. tract. 10. c. 5. Nec refragatur Abul. in c. 12. Leuit. q. 13. tametsi contrarium ei tribuit Suarez. Neque enim Abulensis, morbum simpliciter dictum Virgini tribuendum contendit, pro quo solo excludendo per vniuersam Deiparæ vitam satagimus. Quinetiam Molanus loco allegato, post Echium & Clyctouæum quos adducit negat Deiparam in extrema vita ægrotasse, vel infirmitate esse vexatam, aut debilitate prostratam, qua de re inferiùs.

7. Perfectam pulchritudinem Virginis, reuocat aliquoties in dubium Abulensis parado. 1. c. 88. sed non potest vlla ratione, vel negari vel ambigi quin B. Virgo fuerit corpore pulcherrima. Quod mihi satis persuadet illa Philippi Abbatis ratiocinatio l. 2. in cant. c. 1. [Quod illa Virgo quam sibi ab æterno in Matrem Dei Filius prælegit, in qua tempore congruo sumens carnem membris contractioribus se coëgit: de qua nasci voluit, sepe carnis, nouo genere non abruptâ; cuius factus est filius ante partum & post partum castitate penitus incorruptâ: quod illa, inquam, Virgo inter cæteras, hoc est, præ cæteris mulieribus fuerit speciosa, æstimo dignum credi, nec est fides huiusmodi vitiosa. Neque enim est credibile, vt Deus, Dei filius Matrem elegerit fuscam, luscam, strumâ notabilem vel gibbosam: & non magis vultu niueo, colore roseo, gratis oculis, pleno corpore speciosam, vt quæ ad officium dignius præ cæteris mulieribus est electa: esset non solùm quauis turpitudine non infecta; sed & specie corporali cunctis pulchrior & perfecta.]

Idem mulpliciter confirmat Cartus. l. 1. de laud. Deip. art. 34. passímque tradunt Patres Andr. Cret. orat. de assumptione vocat, Virginem [à Deo sculptam statuam, rectè descriptam viui archetypi imaginem.] Rich. Victor. suo c. 26. in cant. vultum ei tribuit Angelicum, S. Bern. serm. 2. super *Missus est*, vocat [corporis decore præfulgidam.] Epiph. in encomio, [totam speciositate plenam.] Placet iudicium Richardi à S. Laurentio l. 5. de Deip. tit. de corporali pulchritudine Deiparæ, vbi de ea minutissimè acturus, præfatur [si quis quærat de pulchritudine corporali diuæ Virginis, congruentissimè mihi videtur posse dici & credi, eam præ filiabus hominum speciosam, quæ speciosum forma non solùm præ filiis hominum, sed etiam præ millibus Angelorum,

ſuæ carnis ſubſtantia veſtiuit, vnigenitum Dei. Non enim conuenienter tota pulchra & ſine macula appellaretur, niſi ſecundùm diſpoſitionem & figuram corporis, & colorem faciei, pulcherrima & ſine macula appareret.] Subſcribunt vna voce Scholaſtici, ac interpretes, S. Thomas in 3. d. 3. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 1. S. Antoninus 4. p. ſummæ tit. 15. c. 10. §. 2. Malon. ad c. 11. Palæoti de Syndone Chriſti n. 11. & c.14.n. 16. Maier in c. 1. Lucæ. Poza l. 3. tract. 11. c. 1. & ſeqq. Viegas in c. 12. Apocal. comment. 2. ſ. 3. & ſeqq. Bonifac. l. 1. hiſtor. Virg. c. 7. Moral. l. 2. in Matth. tract. 10. Fuſiſſimus in hoc puncto eſt Magnus Albertus l. de laud. B. Virginis à c. 42. ad 47.

8. Ago porrò (& agunt etiam hi omnes) de natiua & connaturali Virginis pulchritudine. Nam ſupernaturalem ſplendorem quem Dominus multo magis matri ſuæ quàm Iudithæ contulerit, etiam in corpore, nunc non attendo: quamuis liber de Infantia Saluatoris, ita prodat de Virgine, vt ſcribit ſupra Richardus à S. Laurentio: adducens inſuper ex Euangelio Nazaræorum, Ioſephum poſt Chriſti conceptionem non potuiſſe in eam oculos defigere, præ micantibus inde radiis. Id quod Hugo de S. Caro Matth. 1. refert ex Chryſoſtomo, apud quem nihil inuenio. Idem refert Celada in Iudith figurata n. 57. ex S. Hilario Matth. 1. ſed ibi quoque fidem allegantis deſidero. Confirmat eum ſplendorem vultus Virginei, & micantes ab eo cœleſtes radios, Cartuſ. l. 1. de laud. Virg. art. 36. exemplo Moſis, cuius vultus ex diuino alloquio cornutus ideſt radioſus apparuit. Addítque Malonius ad c. 11. Palæoti de ſacra Syndone n. 11. idem conſtare debere, ex eo quod viri plerique ſancti, radiante vultu ſint viſi, vt monſtrat ex vita S. Philippi Nerii. Quid quod S. Dyoniſius, vt ex Vbertino l. 4. arboris vitæ c. 38. aliiſque recentioribus iactatur, cum ad Deiparam acceſſiſſet, ex tanto fulgore vultus eius, prorupit in tantam admirationem, vt profeſſus poſteà ſit ſe eam pro Dea fuiſſe habiturum, præ tanta luce & pulchritudine, niſi fides obſtitiſſet? Ego viſam interdum Deiparam ſic collucentem, nolim ire inficias. Non eſt tamen hæc pulchritudo de qua agimus: quia illi radij extra corpus beatum, & Chriſti transfigurationem, non videntur fuiſſe quid internum ſubiecto, ſed tantùm in iudicio vel oculis conſpicientium, quantum neceſſe erat, vt inde conjicerent ſanctitatem animæ: ac etiamſi quid internum fuiſſent, erant tamen ſupra naturam ſubiecti. Nos verò hîc agimus, de pulchritude natiua, & temperamentum ac ſtructuram corporis conſequente, quam in B. Virgine dicimus fuiſſe eximiam.

9. Quod autem longè admirabiliſſimum eſt, nec ſine diuino ſpeciali beneficio toti naturæ indebito contingere potuit, non erat ea pulchritudo illectamentum libidinis, qui eſt næuus pulchritudinis corporeæ exquiſitioris, vt monſtro in Morali diſtinct. 1. num. 76. ſed conuenientes ad ſanctum amorem pudicitiæ inflammabat; impuris autem ignibus æſtuantes, non ſecus ac ventus roris refrigerabat, vt affirmant paſſim DD. nominatímque Alenſ. 3. p. q. 49. memb. 3. art. 1. S. Thom. art. illo 2. quæſtiuncula 1. ad 4. S. Bonau. in 3. d. 3. 1. p. diſtinct. art. 2. Gabr. ibid. q. 2. art. 3. dub. 1. Simon de Caſſia.

l. 2. in Euang. c. 22. Cantipratanus lib. 2. Apum c. 29. num. 5. Cartuſ. ex Henrico de Haſſia. l. 2. de laud. B.Virg. art. 2. Gerſo ſerm. de concept. B.Virg. & ſerm. de Natiu. conſid. 3. Maier in c. 1. Lucæ. Malonius ad c. 11. Palæoti de ſacra Sindone n. 11. Matthias Naueus orat. 2. de S. Ioſeph, Benzouius l. 3. in Cant. Deip. c. 34. dub. 10. Fauet S. Ambroſ. l. de inſtit. Virg. c. 7. & S. Bern. ſerm. de 2. feria hebd. pœnoſæ. Hoc habeo perſuaſiſſimum. Nam cum imago Deiparæ obiecta conſpectui, reſtinguat libidinem, & caſtitatis amorem immittat, vt eſt teſtatiſſimum, quidni conſpectus prototypi, idem præſtiterit?

Virgo, deliciæ, & vnigenita parentum.

10. INfantulam ea pulchritudine & elegantia corporis conſpicuam, & in ſenectute procreatam poſt longæ ſterilitatis mœrorem, adamatam à parentibus ſi dixero, abutar lectoris otio. Quis enim in tot flagrantiſſimi amoris capitibus, friguiſſe cenſuerit optimorum parentum pectora, erga filiolam tot prærogatiuis iam tunc nitentem, nec primogenitam modò, ſed etiam vnigenitam? Fabulantur enim qui Annæ anteriores aliquos liberos agnoſcunt, (vt refert Molanus l. 3. de imag. c. 28.) eámque tertiò nuptam fingunt, & ſingulas ex ſingulis viris genuiſſe filias, quarum filij dicti ſint in Euangelio *fratres Domini*, id eſt conſobrini, ſicut ipſæ leguntur dictæ *ſorores* B. Virginis. Verùm hæc mera eſt inſcitia Hebraici idiomatis, iuxta quod cognati & propinqui, tametſi non germani, dicuntur fratres & ſorores. Idque niſi agnoſcamus, fatendum erit, Chriſtum Dominum cuius fratres & ſorores memorantur Matth. 13. & Marci 6. habuiſſe germanos, quod blaſphemum eſſet, & contra Deiparæ integritatem. Maria itaque Salome, & Maria Cleophæ, dictæ ſunt ſorores B. Virginis, non quia ex eodem B. Annæ vtero fuſæ, ſed quia filiæ duarum germanarum B. Annæ, atque adeò quia cognatæ B. Virginis, vt habetur ex fragmento Hippoliti Martyris, quod recitat Nicepho. l. 2. c. 3. & plenè confirmant Caniſius l. 1. Mar. c. 4. Ianſenius c. 143. Concordiæ. Canus 11. de locis c. 5. Caſtro in hiſtor. Deiparæ c. 3. n. 16. nec in horum ſyllabum aggregandus, homo impius & damnatæ memoriæ, Henricus Cornelius Aggrippa l. de B. Annæ Monogamia, & vnico puerperio; pro quo malim adducere, concinnè omnino de eo differentem Fulbertum ſerm. 3. de Natiu. Deip.

Nomen Virginis, Maria.

11. ADuenientibus Nominalibus, quæ octauo die, non minùs quàm circa mares celebrata videntur, adhibito vice circumciſionis, (quam ridiculè Strabo l. 15. fœminis quoque adminiſtratam confinxit,) ſacramento legis naturæ, piè omnia, ac ritè ex vſu maiorum ſunt vſurpata. Nomen dilectiſſimæ infantulæ, pij parentes dixere *Mariam*, non ſine præuia reuelatione, vt habet liber de ortu Deiparæ apud Hieronimum & Fulbertus ſerm. 1. de Natiu. Virg. fuſéque confirmat Benzo. in Pſal. 86. c. 40. Quàm autem variæ

ſint nominis illius notationes, & quomodò ſingulæ ad Virginis maieſtatem & ſublimitatem inſinuandam ſint accommodatæ, fusè monſtrat Rich. à S. Laurent. l. 1. c. 3. Aug. Anconit. lect. 3. ſuper *Miſſus eſt*. Caniſius l. 1. Mar. c. 1. Bonauent. lect. 3. ſpecul. Spinellus in Throno Dei c. 4. à n. 11. Caſtro c. 2. hiſtor. *in fine*, Toletus in c. 1. Lucæ annotat. 61. Delrio Polemica. 2. qui rectè explodit Druſum Nouatorem lib. de nomin. noui Teſtamenti à quo otioſi minutiloquij, & improbandæ diligentiæ damnatu diſquiſitio de Mariæ nomine. Nos ſacros DD. potiùs audiamus, qui ſtudiosè de hoc nomine, & eius ſignificationibus ac notationibus egerunt.

Singularis eſt ethymologia quam S. Ambroſius propoſuit l. de inſtit. Virg. c. 5. tuetúrque pro viribus Poza l. 2. tract. 17. c. 11. vt idem ſonet MARIA, quod *Deus ex genere meo*. Nihil tamen in vocis cortice occurrit, in quo ea notatio fundari poſſe videatur. Nam quæ Caſtro ſupra n. 11. excogitauit, videntur diſtorta. Frequentiſſimum eſt, vt credatur ſignificari Mariæ nomine, *myrrham maris*. Ita Epiph. in encomio & Hieron. l. de nomine Hebr. & latiſſ. Delrio polem. 2. Iuxta alios Maria ſignificat *ſtellam* aut potiùs *ſtillam maris*. Significat ſtellam maris, iuxta S. Hildefonſum ſerm. 1 de Aſſumpt. & Fulbertum ſerm. 1. de Nat. Significat verò ſtillam maris, iuxta Alcaſarium c. 12. Apocal. annot. 2. Alij Mariam idem ſonare dicunt, quod *illuminatricem*, vel *illuminatam & illuſtrem*. Sic Thomas opuſc. 8. eodémque videtur recidere quod alij dixerunt, Mariam idem ſonare quod *doctricem*, vel *magiſtram*. Nam magiſtri maximè proprium eſt, illuſtrare & illuminare. Et fortaſſis deflexum eſt ad hanc nominis notationem, ab illa alia latè à Galfrido in allegoriis Tilmanni ad c. 24. Numer. & à Petro Damiani declarata, ſerm. de Epiph. & tacta à Goffrido ſerm. 4. de Natiu. Dom. qua Maria cenſetur ſignificare *ſtellam maris*. Nam ſtellæ in horrore tenebrarum illucent nauigantibus. Multa ex proximè dictis, S. Epiph. orat. de laud. Virg. his verbis complexus eſt. [*Mariam* interpretari ſolemus *dominam*, atque etiam *ſpem* Peperit enim Dominum, qui eſt ſpes totius mundi, nempe Chriſtum. Rurſum nomen illud *Maria*, interpretatur *Myrrha maris*. Myrrha verò aliquis dicet, (quod ego etiam aio) de immortalitate, in mari hoc eſt, in mundo. Mare autem dicet vniuerſum mundum, cui virgo ſerenitatem & tranquillitatem contulit, dum portum peperit Chriſtum. Rurſum itaque præclaræ puellæ Mariæ beatum nomen interpretatur *illuſtrata*; vt pote quæ illuſtrata ſit à filio Dei, & cunctos, vſque ad terminos terræ credentes Trinitati, illuminauerit:] Vides quàm abfuerit ab Eraſini impietate S. Epiphanius. In Colloquio quippe de Naufragio, Eraſmus ridens nautas, quod in diſcrimine, B. Virginem appellaſſent *ſtellam maris* & *portum ſalutis*, quod nunquam opinor nauigauit? Olim Venus curam agebat Nautarum, quia nata credebatur ex mari. Ea quoniam deſiit curare, ſuffecta eſt huic Matri non Virgini, Virgo Mater.] Proh ſcelus! Sed Eraſmus eſt qui iſta effutit.

12. Cæterum hæc omnia parum quadrare Hebraicæ nominis analogiæ, monſtrat Angelus Caninius l. de locis noui Teſtam. c. 13. & Guido Fabricius

Lucæ 1. ad verſ. 27. obſeruantes, Hebraicè nomen *Maria* biſyllabum eſſe, & ſcribi *miriam*; nec aliud ſonare quàm *ſublimem* vel *excelſam*, & *eminentem*, quod voluiſſe videntur, qui hoc nomine ſignificari dixerunt *Dominam* pro qua notione excluſis aliis omnibus certat Cornel. in c. 15. Exodi v. 20. Eſt quippe Domini propria, eminentia atque ſublimitas Franciſcus tamen Lucas Matth. 1. verſ. 16. hanc notionem *Domina maris*, ab illa alia per Caninium prolata, & Delrio improbata polem. illa 2. ſecernit, & vtramque quadrare Syriaco & Hebraico idiomati, breuiter tradit. Omiſi ridiculam nominis *Maria* notationem, è Victorino Strigelio cuſam, qua impius Lutheri combibo, nomen *Mariam* deducit à Saxonico nomine *Iammer*, ſignificante *miſeram*. Digna chamo & frœno ethymologia. Scatent libri miris effectibus huius ſanctiſſimi nominis, quos proinde velle illuſtrare, perinde eſſe videatur, ac ipſi ſoli lumen affundere. Claudat agmen qui decora multa nominis *Maria*, egregiè paucis illis verbis complexus eſt Petrus Chryſologus ſerm. 146. [Nomen hoc, prophetiæ germanum eſt hoc renaſcentibus ſalutare, hoc virginitatis inſigne, hoc pudicitiæ decus, hoc indicium caſtitatis, hoc Dei ſacrificium, hoc hoſpitalitatis virtus, hoc collegium ſanctitatis. Meritò ergo matris Chriſti nomen eſt hoc, maternum.]

Furfur doctrinæ, de B. Annæ puerperio, abſque dolore.

13. QVæ circa natiuitatem Deiparæ, eiúſque adiuncta à nonnullis ſunt iactata, hæc occurrerunt. Fuit qui ſine matris dolore fuſam ex vtero dixerit ſanctiſſimam infantem, argumento ducto ex eo quod Iochabel Moſis mater, autore Ioſepho l. 2. antiq. adeò facilè enixa eſt, vt partus planè latuerit exploratores à Pharaone ſubmiſſos, quod non contigiſſet ſi inconditis eiulatibus compleſſet omnia. Igitur abſque dolore peperit. Nec aliter fuſam è matris vtero S. Liduuinam autor eſt Thomas à Kempis p. 1. vitæ eius c. 1. Hæc ſi conceptis in peccato fœtibus ſunt conceſſa, quanto magis credendum eſt, conceſſa Deiparæ naſcenti, vt quæ Euæ planctum ablatura veniebat, ſub communi cæterarum matrum gemitu, non emitteretur ex vtero? Quid quod in ſtatu innocentiæ fuiſſet partus abſque matris dolore? vt probat S. Thomas 2. 2. q. 164. art. 2. adducto S. Auguſt. 14. Ciuit. c. 26. Congruum ergo fuit, vt ea prærogatiua, ob prolis præſtantiam, concederetur B. Annæ vt quemadmodùm abſque voluptate concepit, ita abſque dolore pareret: & proles quæ naſcendo lætitiam inferebat orbi vniuerſo, matrem non laceraret immanibus cruciatibus, quales ſolent eſſe parientium, iis ſimillimi quos patiuntur queis anima à corpore per violentiam auellitur, vt S. Baſilius obſeruauit in Pſal. 114. ad illud *Circumdederunt me dolores mortis*, Sic pro leni & cuiuſuis doloris expertæ S. Annæ puerperio grauis & doctus recentior decorum Virginis ſtudioſiſſimus.

Sed diſſenſit meritò Peramatus tract. de eo quod accidit miraculoſum in concept. Mariæ. Nam tametſi verum eſt S. Annam, (vt circa fœtus geſtatio-

nem dicebam) præ gaudio conceptæ prolis optatissimæ, & consecuturo inde orbis bono, plurimùm de partus doloribus remisisse; tamen vt prorsus abesset dolor in tanta diuulsione variarum partium, præsertim senio obduratarum, contingere citra miraculum non potuit. Huius autem miraculi reipsa positi, fundamentum idoneum non profertur. Nam quod adducitur de matribus Moysi & S. Liduuinæ, non vrget; tum quia facilis & expeditus partus qualem puerperæ illæ dicuntur sortitæ, non est necessariò expers dolorum; (quanquam de matre Mosis etiamsi præ metu abfuerint clamores inconditi, nihil est quod tantam partus facilitatem suadeat) Tum quia non si quid ad sanctitatem non pertinens alicui fœminæ est concessum, inferre licet, æquè esse concessum Deiparæ, multo minus eius parenti. Similiter admitto, concessas esse Deiparæ illas prærogatiuas status innocentiæ, quæ ad sanctitatem pertinebant. At B. Annæ nihil tale debebatur, quippe conceptæ in peccatis. Præterquàm quod parere absque dolore, non pertinet ad vitæ sanctitatem, nec inde decedit aliquid veritati gaudij quod Deiparæ natiuitas orbi intulit. Non enim si partus Reginæ diu exspectatus, regnum vniuersum gaudio complere dicitur, absque parentis dolore peragi affirmatur; vt proinde non oporteat nos esse sollicitos, de tam indebito priuilegio partui B. Annæ tribuendo sine fundamento.

Item de ortu infantulæ, absque vagitu & fletu.

14. ÆQuè rejiciendum est vt destitutum solida ratione, quod apud eundem recentiorem continenter additur, habétque etiam Christophorus Auendanio serm. de Natiu. Virg. discursu 5. de sanctæ huius infantulæ natiuitate absque vagitu & lachrymis. Probatio adducitur, ex perfecta sapientia Virgini à conceptu indita, & ex graui constantia, qua visa primùm huius mundi fabrica, non plorarit. Inde enim ab infantibus primàm vocem emitti cum ploratu, tanquam prophetantibus in quantam malorum voraginem veniant, obseruauit S. Aug. 21. ciuit. c. 14. Quanquam est etiam physica causa lachrymatũ & vagituum infantium communi lege nascentium, mutatio videlicet pristini domicilij, mollis, calidi & obscuri, cum frigido, ac lucido, qui visum præstinguit. Item compressio in exitu, in tanta ostij ad hanc lucem patentis angustia, præsertim in primo partu. Sicut tamen in statu innocentiæ, specialiter prouidente Deo, puerperium absque vllo fœtus dolore & lachrymis peractum esset, vt ex S. Thoma, Bonauentura, atque Richardo statuit Pelbartus Rosario 2. V. *homo* §. 57. ita infantulam prærogatiuis status innocentiæ potientem, absque vagitu & lachrymis editam, censendum est. Ita Autores prædicti.

Huic sententiæ non subscribo. Nam sapientia Virginis quam posteà expendam, nunc autem suppono, tantùm abest vt mœrendi & lachrymandi causas illi eriperet, vt potiùs cumularet, cum distinctissimè perspiceret, quanta esset mundi in quem tunc primùm prodibat, calamitatum feracitas. Nec cum hoc tenero & molli animæ sensu, pugnat constantia, quæ quidem vera constantia

ſtantia ſit, & in rigorem ſaxeum, non degenerarit. Cauſas verò Phyſicas ploratuum & vagituum, æquè virginem naſcentem occupantes, ac cæteros fœtus cum pariuntur, impeditas diuinitùs eſſe, quominus in effectus hos ſuos prorumperent; qua facilitate dicitur, eadem negatur. Imo maximo iure negatur. Quorſum enim Chriſti naſcentis vagitus & lachrymas agnoſcamus, (iuxta illud hymni ſacri. *Vagit infans inter artla conditus præſepia*; & iuxta PP. paſſim, nominatimque S. Anſelmum l. de excell. Virg. c. 4. Auguſtinum in ſermonibus de Natiu. Dom. non ſemel, S. Maximum homil. 1. de ieiun. Quadrageſ.) Chryſoſto. homil. 2. in Luc. Leonem ſerm. 2. de Natiuit. c. 4. matris autem naſcentis aliam fuiſſe conditionem ſtatuamus? Mirabilis ſanè eſt raciocinatio Auendanij loco allegato. Chriſti enim lachrymas agnoſcit, non modò in ortu ex vtero matris, ſed etiam intra matris vterum, iuxta doctrinam Garſiæ de locis affectis diſp. 51. c. 2. agnoſcentis ploratum & vagitum infantium: in maternis viſceribus. Matrem tamen Chriſti, negat naſcentem fleuiſſe, quia nullæ cauſæ morales fletuum noſtrorum in natiuitate ei conueniebant: non peccatum à quo plane futura erat immunis, non peccandi pericula, non creaturarum rebellio, cum eſſet ſanctiſſima & ab omni malo immunis. Hæc ſi pro excludendis Deiparæ naſcentis lachrymis valerent, multo magis excluderent Chriſti naſcentis, aut in matris vtero latentis lachrymas, quas bonus hic Homerus admittit. Sed aliud eſt plebem concionando mulcere, aliud veritatem Theologicè premere.

15. Concidit quoque ex eo Chriſti exemplo, argumentum ex analogia cum paruulis in ſtatu innocentiæ naſcituris, à quibus beatus ille ſtatus, vagitum & lachrymas excluſiſſet. Chriſtus enim cui multo magis quàm matri, prærogatiuæ ſtatus innocentiæ fuiſſent debitæ; quoad pœnalitates noſtras, eandem nobis cum aleam ſubire lubens voluit. Idem igitur de matre dicamus, quam Pelbartus l. 5. ſtellarij p. 2. art. 2. c. 4. *in fine*, bene admonet magis appropinquaſſe ad ſtatum innocentiæ, & prærogatiuas quas in eo habuiſſent homines, quàm vlla vnquam proles puræ creata in ſtatu naturæ lapſæ appropinquarit; tametſi non eaſdem reuera ſit adepta conditiones, quas in illo ſtatu habuiſſemus, quod attinet ad naturalem diſpoſitionem.

Cœterùm ſi B. Virgo ob rationem ab aduerſariis propoſitam, nata eſſet abſque vagitu,& cœteris infantum motibus, dicendum ſimiliter eſſet, nunquam vagiuiſſe in infima ætatula, nec alios infantum motus ſubiiſſe; ſed admittendum eſſet, talem reipſa in tota infantia fuiſſe B. Virginem, qualem Baptiſtam infantem licentia Poëtica depingit his verſibus S. Paulinus carm. 5.

Labitur interea cunarum tempus, in ipſis
Extat diuini ſpecies manifeſta vigoris;
Blanditiæ riſuſque ſilent, incertáque ceſſant
Murmura, ſerietas laſciui praua ſenſus
Iam tenera informat venturis moribus ora.

Verùm hæc de Ioanne poeticè dicta, non sunt, (vt sonant,) accommodanda Deiparæ.

Insuper de eiusdem corpore, in ortu, nitentißimo ac fulgidißimo.

16. PLanè nitentem corpore, nec siue cruore siue sordibus vllis oblitam, exiisse è maternis penetralibus beatam hanc infantulam, significarunt aliqui: esséque mentem S. Hildefonsi inde confirmat Poza l. 3. tract. 9. c. 4. quod serm. de Nativ. cuius initium est, *audite fratres,* hæc verba habeat, [non sic est nata, sicut solent pueri & puellæ nasci, sed mundo corde & corpore ab omni pollutione carnali, orta est.] Sanè B. Edmundum, nomen sortitum à summo nitore cum quo è materno vtero prodiit, ita vt pannis quibus natus illico est inuolutus, cum summa obstetricum admiratione nulla adhæserit labes aut macula, proditum est, in eius actis apud Surium 16. Nouemb. Quanto magis eadem mundities nascentem Virginem decuit? Et ex eodem principio concludit Poza l. 2. tract. 15. c. 3. verum esse quod Patriarcha Hierosol. ex antiquioribus monumentis retulit; vultum nascentis Virginis, radiasse sicut solem, & in toto Orientis Deiparæ corpore, insolitum fulgorem micuisse. Nam ita legimus accidisse in natiuitate S. Heriberti à Ruperto descripta, & in natiuitate SS. Auiti, & Suiciberti, nec non Gregorij septimi.

Hæc omnia carent solido fundamento, & cum non vacent insignibus miraculis, perperam jactantur vt vera, nullo prolato vel rationis vel certæ autoritatis idoneo suffragio. Sanè principium illud quod non sit Virgini negandum priuilegium quod aliis concessum esse constiterit, disjecimus in superioribus; & eius inanitas extra priuilegia ad sanctitatem pertinentia, inde in re de qua agimus manifestissima est, quod alioqui congeremur dicere, omnia quæ circa infantium natiuitatem contigerunt mirabilia, circa Deiparam nascentem, æquè contigisse. V. G. scribit S. Odo l. 1. vitæ S. Geraldi Comitis c. 3. sanctum hunc infantem, antequàm matris vtero funderetur, ter ingentem clamorem edidisse in Dei laudem. Dicamus ergo, æquè Deiparam sub tempus natiuitatis, clamasse in vtero, & gloriam ac honorem Dei annunciasse iam tunc vniuerso mundo. Dagoberti Regis ex Ragnetrudæ filius, non plus quàm triginta dies natus, cum baptizaretur à. S. Amando, nec vllus esset ex innumeris qui aderant qui baptizanti responderet, ipsemet cunctis audientibus respondit, *Amen,* vt est apud Aimonium l. 4. c. 20. Dicamus sanctissimam hanc infantulam, in ea ætatula similiter elocutam. Hæc quis non videt nugatoriè affirmanda? Igitur admittamus, Virginem eadem qua cæteros infantes corporis conditione prodiisse è materno vtero. Quod non negauit S. Ildefonsus, cuius sensus duntaxat fuit, Virginem longè alio modo quàm cæteros infantes natam esse, quippe miraculo, ex senibus & sterilibus conceptam absque peccato, quæ fuit valdè singularis & pura natiuitas, præ vulgaribus

natiuitatibus. Sordes autem illas quæ apud Deum ſordes non ſunt, & ex naturali conditione ortus humani communi more procedentis, illinuntur fœtui exorienti, non video cur debeamus B. Virgini naſcenti affuſas diffiteri, & nitentiſſimum ac fulgentiſſimum corpus eius agnoſcere.

Præterea de eius pulchritudine ſemper conſtante, nunquam vieta.

17. EOdem loco habeo, quod de perenni, ac nunquam decurſu temporum marcente Virginis pulchritudine, lego apud quendam ingenioſum recentiorem; ita vt B. Virginem iam ſeptuagenariam, eodem pulchritudinis flore vernantem ſtatuat, quo in iuuentute & pueritia; argumento ducto ex Sara, quæ nonagenaria, primæuam pulchritudinem ſeruauit. Quo refert illud Heſichij homil. 2. de Deipara, eam vocantis, *virgam ſemper viridem.* Quod ſi Zona Deiparæ, vt ſcribit Euthymius Monachus orat. de Zona & faſciis Deiparæ, apud Surium 31. Auguſti, ferè exacta ſeculorum decade apparebat recens, & colore prorſus immutata; quanto iuſtius videtur; eandem prærogatiuam intemeratæ, & nullis ætatum iniuriis detritæque ſpecioſitatis, corpori Virginis attribuere, vt nihil de eius ſumma amabilitate decederet, quantiſlibet labentibus annis?

Hæc, & nonnulla etiam leuiora in hanc rem, is quem retuli ingenioſus ſcriptor, quæ non perſuadent intentum. Nam tametſi B. Virginem etiam ætate maturam, priſtini decoris ac florulentæ formæ partem aliquam retinuiſſe, non videtur dubium; (id quod æquè de Sara inſinuauit Moſes, & paſſim conceditur) tamen vt vel Sara, vel Deipara, in ſenio inaratam planè rugis faciem, & eadem qua in annis iuuenilibus venuſtate amœnam, retinuerint, accidere naturaliter non potuit. Vt autem per miraculum accideret, neceſſarium non fuit, præſertim ad eandem amabilitatem retinendam: cum ſit cuique ætati ſua conueniens pulchritudo, ſanctam amabilitatem fundans, quæ in Virgine ad ſenium prouecta, innumeris amoris incentiuis cumulabatur. Imo non expediuit, Virginem iam anum, eum formæ intemeratum florem qui pro oſtento notatus fuiſſet, retinere; ne improuidè, aliquid in eius corpore ſupra humanam naturam ſuſpicarentur. Itaque ſicut mortem, ita hoc mortis præludium, ſalua valetudine, & excluſa morboſitate naturaliter aſſectans annoſitatem, cadere in Deiparam nihil vetuit. Eſto eius Zona, quia nihil inde timeri poterat erroris, vel periculoſæ admirationis, imo decus Virginis iam beatæ inde augendum erat, fuerit diuinitùs donata ea perennitate coloris, & pulchritudinis immutabilitate nunquam decidua. Id quod circa reculas multorum aliorum cœlitum, qui viuentes temporis iniuriis obnoxij fuerant, deprehendimus. Quod denique Heſychius Deiparam vocauit *virgam ſemper virentem,* pertinet ad nunquam temeratam eius virginitatem, atque adeò extra rem præſentem adducitur.

De eiusdem item fragrantia insigni, ab ortu primo.

18. LEgo insuper apud nonnullos, corpus Deiparæ iam à prima natiuitate, diuinum quendam spiraſſe odorem. Ita vt de Virgine longè veriùs quàm de illa fabuloſa Æneæ parente, dici poſſit illud principis Pœtæ,

Dixit, & auertens roſea ceruice refulſit.
Ambroſiaque comæ diuinum vertice odorem
Spirauere?

Ita Fernandius in c. 49. Geneſ. ſ. 9. n. 18. & Carthag. l. 2. de B. Virgine hom. 5. præiuerátque Cartuſ. l. 1. de laud. Virg. art. 36. cuius illa ſunt verba. [Cur non putetur credibile, quod Virginea eius caro dulcem ſit ſortita odorem?] Idem confirmant aliqui, ex eo quod Chriſtus iuxta S. Bonauenturam in ſpeculo c. 8. erat odore deliciosus, partímque ex hoc ſuauiſſimi odoris afflatu, vltra micantes ex eius vultu radios, deprehenſam à Simeone in templo B.Virginem cenſet ſupra Fernandius.

Non ſubſcribo; quia tametſi corpus & Chriſti & Deiparæ, olida & graue olentia non fuiſſe conſtat, tamen ſpiraſſe diuinum odorem, indéque fuiſſe notabilia, alienum eſt ab ea ſimplicitate in dotibus exterioris hominis, quam Deus in his generis noſtri exemplaribus, micare voluit. Deinde fragrantia corporis, qualem habuiſſe fertur Alexander, ex præferuida corporis temperie exiſtit, quæ Chriſtum & Virginem dedecebat, quippe minus facta ad virtutem. Quare ſpiritualem & myſticam fragrantiam, è Chriſti & Virginis corporibus extitiſſe, lubens concedo, non item ſenſibilem; cuius artificio quæſitæ, multa proba leguntur paſſim, etiam apud Ethnicos, vt dico l. 6. de virtut. num. 181. ſapit enim effœminationem & mollitiem, iuxta illud Arbitri à S. Hieronimo adductum, [non benè ſemper olet, qui benè ſemper olet.]

Lactis quod Beata infantula ſuxit, energia in prædictarum prærogatiuarum radicem.

19. VEtùm quod hæ omnes corporeæ prærogatiuæ, beatiſſimæ infantulæ, acceſſiones ſint perfectiſſimæ illius ſanitatis quam ei omnes meritò tribuunt, vt vidimus; non eſt hîc prætermittenda inſignis circa eam corporearum perfectionum radicem anomalia doctrinæ, in quam nuper non ſine admiratione incidi. Eſt igitur qui affirmet, lactis quo beatam infantulam aluit S. Anna, eam fuiſſe vim & efficacitatem, vt ab omnibus morbis Virginem per vniuerſam vitam exemerit; ac etiam abſque alio nouo cibo per quantalibet temporum ſpatia, (etiam ad annorum ſeſquimillenarium) prorogare potuerit vitam eius, nullo morbo labefactatam, aut fame tentatam. Ita Chriſtophorus

Auendanius diſcurſu 4. de B. Anna. Qui vt id probet, aſſumit, lactis ab infante hauſti, magnam omnino eſſe vim ad pronitates morales, & firmam valetudinem. Primum monſtrat ex S. Iuſtino, quem ait libro 34. lupinæ Romuli lactationis, adſcripſiſſe, & ipſius Romuli, & populi Romani, lupinos mores. Alterum ſupponit vt clarum, ex lactis conuerſione in alitum, & vi afficiendi corpus quod lacte cibatur, quæ vis eo potentior & auctior eſſe debet, quo lac purius & perfectius extiterit. Ex eo igitur quod B. Annæ vbera, lactè de cœlo repleta fuerint, ſupra lactificam in anu naturæ vim; colligit prædictus Autor, lac quo Deipara infans lactata eſt, fuiſſe perfectiſſimum. Imo ſtatuit tanquam certum, inſitam illi fuiſſe à Deo efficacitatem, perpetuandi vitam vegetam, & morbis quibuſuis liberam, qua pollebat fructus ligni vitæ. Quis enim credat, Deum minùs liberalem videri voluiſſe erga lac quo paſta eſt Virgo infans, quàm erga fructum lignì vitæ? Atqui fructum ligni vitæ ea efficacitate donatum eſſe conſtat, vt ſemel ſumptus, vitam abſque vlla cibatione, ad annos ſeſquimillenos poſſet fouere, nullis tentatam morbis, nulla preſſam inualetudine. Igitur lac quod Virgo infans ex B. Anna ſuxit, tali efficacitate non caruit. Ex quo illa Deiparæ per annos vndecim quibus in templo delituit, perpetua inedia, nullo cibo ſuſtentata, niſi imaginario. Ambroſia enim, quam ei per illud tempus S. Germanus Orat. de Præſent. & Andreas Cretenſis Orat. de Aſſumpt. porrectam ab Angelis dicunt, cibus fuit duntaxat imaginarius, atque fictitius. Quod ſi Virgo, ab anno vndecimo, Ioſephi iam contubernalis, vſa eſt communi cibo; non id fecit ex neceſſitate vitam fulciendi per cibum; ſed vt coniugatas mulieres commoneret officij, in communi cum viris menſa, & iiſdem amborum dapibus. Inſuper quia fructus ligni vitæ, (æquè ac manna iuxta Abulenſem in c. 17. Exodi q. 8.) comedentem à morbis omnibus præſeruabat, & iuxta D. Thomam 1. p. q. 94. art. vltimo, ſenium ac vetuſtatem eliminabat, & prohibebat acceſſu; Ita lac quod ſuxit Deipara, obſtitit, ne vllis vnquam morbis, ſeniòve corriperetur; ita vt ne per annos quidem quingentos, vel minimam floris faciei attritionem fuiſſet ſubitura. Tandem conceptio paſſiua Deiparæ, fuit abſque peccato, quia Angeli in B. Annæ viſceribus ſelegerunt materiam ad infantulæ formationem; vnde & defectus voluptatis in parentibus generationi eius dantibus operam, & matris Annæ puerperium abſque dolore: cuius prærogatiuæ in B. Anna, ea quoque fuit cauſa, quod mortalis culpæ ſemper pura & exſors fuit. Tam mirabili itaque infantulæ conceptioni, & matris partui tam ſingulari; par fuit ſubiungi lac admirabile, iiſdem potiens prærogatiuis quibus donatus olim fuerat fructus ligni vitæ, idoneus vnica comeſtione prorogare vitam ad annos ſeſquimillenos, & ſenium ac omnes morbos præcludere. Hæc omnia diffuſiùs expaſſa, Auendanius. Mihi ſuccum exprimere, ſat fuit.

20. Hìc multa diſſimulanda video. Puta, quod Iuſtinus Trogi ſector, Ethnicus Hiſtoricus, in S. Iuſtinum Martyrem transformatur: Quod vnica cibatio ex fructu ligni vitæ, ſtatuitur fuiſſe vitam protogatura, definitè ad annos mille quingentos: Quòd Deiparæ cibus per annos vndecim quibus in

templo hęsit, quem aliqui Patres ei ab Angelo porrectum dicunt, non nisi fabulosus & imaginarius fuerit: Quod B.Virgo anno ætatis vndecimo, Iosepho nupserit: Quod per annos vitæ 70. eóque ampliùs, non senuerit vnquam, nec flos primigeniæ pulchritudinis eius marcuerit, vel per annos quingentos, fuisset atterendus: Quod manna, aduersus morbos omnes præsentissimum ac certissimum alexipharmacum Hebræis fuerit, tempore quadragenariæ peregrinationis: Quod Angeli in B. Annæ vtero, materiam proli formandæ appararint atque collegerint; indéque factum sit, vt parentes Virginem absque voluptatis sensu genuerint; & mater eam ob rem, ac etiam quia expers semper fuerat lethalis culpæ actualis, absque dolore pepererit; quasi nulla puerpera, Euæ hæreditatis particeps, & in dolore pariens, immunis fuerit à culpa lethali. Hæc omnia dissimulata volo, vt tantùm attingam cardinem rei in qua versamur. Rogo quæ illa argumentatio? Fructus ligni vitæ, poterat omnes morbos, ac senium, & cibi alterius necessitatem per annos mille quingentos auertere. Igitur id quoque poterat lac quod B. Virgo suxit ex Anna matre. Hoc non est argumentari, sed verba in ventum fundere. Nam vis illius fructus è ligno vitæ decerpti, erat naturalis eius proprietas, vt rectè statuunt D. Thomas 1. p. q. 97. art. 4. Scotus, Durandus, Gabriel, & alij in 2. d. 19. Molina de opere sex dierum disp. 28. Suares l. 3. Cosmop. c. 15. à num. 3. Valles. c. 6. hieroph. Delrio in c. 2. Genes. n. 40. & passim alij. Lac item quod B. Virgo ex matre suxit, quantumuis supra vires naturæ in B. Anna iam effœtæ suppeditatum diuinitùs, erat tamen lac eiusdem speciei cum vulgari lacte, quo infantes passim aluntur. Ergo dicere, lac B. Annæ, habuisse proprietates fructus ligni vitæ, est confundere naturas rerum, per confusionem proprietatum. Quod si velimus aduersario dare, vim fructus ligni vitæ fuisse supernaturalem, ne sic quidem potest eius argumentatio subsistere. Nam effectus supernaturales rerum naturalium, pendent à libera voluntate Dei, res naturales obedientialiter assumentis ad causandos eiusmodi effectus. Talem ergo effectum vnius rei, æquè adscribere alteri rei absque suffragio diuinæ autoritatis, voluntarium planè est & explodendum. At par non fuit, (inquit Aduersarius,) Deum minùs esse liberalem erga lac B. Annæ, quàm fuisset erga fructum ligni vitæ. Ain? Hoc ipso argumentandi modo probare licebit, lac B. Annæ, contulisse B. Virgini gratiam ex opere operato; ne Deus minùs liberaliter egisse videatur cum lacte B. Annæ, quàm acturus esset cum aqua Baptismi. Quid quod lac B. Annæ non fuit pretiosius lacte quo Deipara Christum aluit? Et tamen Christus ei lacte pastus, & senuisset, & sicca morte obiisset, iuxta S. Augustinum l. 2. de peccat. mer. c. 29. nisi anteoccupassent carnifices. Fateamur ergo, lac B. Annæ, tanquam valdè purum & bonum, contulisse non parùm ad naturales pronitates, & bonam temperiem, ac sanitatem infantulæ. Prodigiosis tamen illis efficacitatibus quas retulimus, fuisse destitutum.

De efficacia nominis MARIA, *ex opere operato, ac supra nomen* IESV.

21. TAndem quoad illud natiuitatis adiunctum de quo postremo loco egimus, hoc est quo ad nomen *Mariæ*, est qui affirmet, nomen B. Virginis, ex institutione Diuina, quatenus ad nostram vel aliorum salutem expedit, conferre effectum ex opere operato, vt faciunt Ecclesiastici exorcismi. Quod de nomine IESV, censuit Serarius in c. 2. Iosue q. 14. & Grethserus l. 4. de Cruce c. 44. 45. 48. & 62. Operatur enim pleraque mira, supra id quod proferentis religio aut pietas exegisset. Idem proportione seruata, ad nomen B. Virginis extendit Auendanio serm. de nomine *Mariæ*, discursu 1. & Poza l. 2. tract. 17. c. 5. Imo multo magis, idem de hoc nomine valet, si verum est quod idem præmiserat c. 4. & latè etiam confirmat Mendoça in floribus sacris l. 2. problem. 2. ac Morales l. 3. in Matth. tract. 5. n. 33. videtúrque disertè tradi à S.Anselmo l. de excell. Virg. c. 6. nempe quod Deus, prolato Virginis nomine, celeriùs & lubentius expromat clementiam, quàm prolato IESV Nomine.

22. Neutrum horum placet. Nam nihil est quod suadeat, nomen MARIA esse ex opere operato vtile, eáque prærogatiua quam Christianis sacramentis assignamus, potiri; sin minùs quoad effectum, (neque enim hoc nomen infert gratiam sanctificantem) at saltem quoad efficiendi modum, siue independenter à condicionibus proferentis. Esto enim, interdum Deus ad testandum honorem SS. matri suæ debitum, velit vt prolato, etiam absque fide, ad impetrandum Mariæ nomine, mirum aliquid efficiatur, non tamen semper & vbique idem præstat: quod tamen necessarium esset, vt effectus illi, dici possent per hoc nomen præstari ex opere operato. Quæ mihi ratio æquè persuadet, frustra idem affirmari de IESV nomine, tametsi longè iustiùs, nomini super omne nomen idem tribueretur, quam nomini Mariæ. Nec libenter audio contentionem fieri vtilitatum pronunciationis horum nominum, quam à D. Anselmo esse institutam, non rectè dicitur. Tantùm quippe asseruit, aliquando faciliùs exaudiri, qui interpellat B.Virginem, eámque adhibet peruentricem, quàm qui rectâ & absque hac mediatrice, accedit ad Christum: quod longè aliud est, quàm vniuersaliter cum Recentioribus prædictis asserere, vtilius esse proferre nomen *Mariæ*, quàm nomen *IESV*.

Quis verò ferat quod apud Moralem supra n. 34. habetur, ex proposito fundamento, ob quod promptiùs exoratur remedium per Virginem quàm si Christus rectâ adiretur, assumi aliquale probabile fundamentum ad excusandam aliquorum ignorantiam, qui credunt magis peccari ipsam Virginem offendendo, quàm Deum. Referunt eam ruditatem Hostiensis in c. 2. de celebr. Missarum, & Greg. Lopes in l. 2. tit. 28. parte 7. V. *Sancta*. Verùm ea ruditas plusquàm asinina est, nec vlla ratione ferri potest, aut debet, cum blasphe-

miam sapiat. Tantum abest, vt censeri possit aliquale probabile fundamentum habere in doctrina proposita; quæ vel hoc nomine explodenda denuò esset, si tantæ barditati & impietati, viam muniret, aut quoquo modo suffragaretur. Omisi fatuitatem Mahometi qui ex eo quod B. Virgo sit nominata *Maria*, intulerunt eam fuisse eandem cum Moysi sorore, quod frustra refellunt Leo sapiens Epistola Parænet. ad Othmarum Saracenorum Principem *initio* & Cantacuß. orat. 3. in Mahumetem, *in fine*.

PVNCTVM III.

VIRGINIS PVERITIA PRÆSENTATIO IN templo illibatæ semper integritatis votum.

1. FOELICITER nota omnium seculorum lætitia, fœliciter in paterna domo Nazarethi crementum cœpit, & more infantium cæterorum exegit infantiam.

Virgo in templo oblata.

EAndem iam trimulam, (tametsi hic ætatis terminus non est planè certus, vt notat Molanus l. 3. de imag. c. 49.) parentes ex voto anteriùs concepto, obtulerunt Deo, ministraturam illi in habitatione sancta. Ita enim tametsi grunnientibus in contrarium Sectariis, & eam præsentationem figmenti insimulantibus, profitetur Ecclesia, instituto in eius rei memoriam anniuersario festo, quod plerique Patres habitis ea die homiliis exornarunt. Deflorauit eas Patrum homilias, acerrimus Virginis gloriæ vindex, Petrus Canisius, hoc festum propugnans lib. 1. de Deip. c. 12. & multa etiam in eam rem collegit Castro histor. Deip. c. 3. Præiuerátque Franc. Turrianus, quem sub Pio 5. cum de huius festi expunctione è Romano Calendario ageretur, prolatis grauissimorum Patrum testimoniis, firmasse huius festi celebrem apud antiquos venerationem; & religiosi studij munus accepisse à Deipara, mortis ea die oppetitionem, scribit Ribad. l. de Scrip. societatis, *in Turriano*.

Regressis domum parentibus, sanctissima puella, inter religioni addictas viduas atque innuptas virgines, sacris exercitationibus quas S. Ambrosius descripsit l. 2. de Virgin. & S. Brigitta l. 6. c. 59. ac Ludolphus vitæ Christi parte 1. c. 2. nec non Gerso 4. p. serm. de Annunc. intra templi septa, communi si externam spectes speciem ratione viuendi, sed non communi modo, annos complures exegit, ad desponsationem vsq; [in domo Domini plantata, (inquit Damasc. 3. fid. c. 15.) & impinguata, instar oliuæ frugiferæ, virtutum omnium

omnium domicilium efficitur; vt quæ videlicet ab omni huiusce vitæ & carnis concupiscentia mentem abstraxisset, atque ita Virginem vnâ cum corpore animam conseruasset; vt eam decebat, quæ Deum sinu suo exceptura erat. Sanctus enim ipse cùm sit, in sanctis requiescit. Ad hunc igitur modum sanctitatem consectatur, sanctúmque & admirabile, ac summo Deo dignum templum extitit.] Quod plantatam ait in templo Virginem, ibíque rigatam adoleuisse, seiunctam ab omni inquinamento carnis & spiritus, videtur à Damasceno expressum ex Chrysostomo qui homilia 3. de fide Annæ, concinnè sub ea allegoria describit Præsentationem & commorationem Samuelis in antiquo tabernaculo, deducti illhuc & oblati ab Anna matre, æquè ac Virgo æquè filia lachrymarum & votorum nouæ Annæ, ab ea in templum deducta est. Locus est bellissimè huc cadens si quæ de masculina prioris Annæ prole, ait Chrysostomus leuicula generis commutatione ad secundæ Annæ filiolam accommodentur. Sic autem habet. [Ascendit igitur Anna in templum, & agnellam induxit in ouile, ac vitulam perduxit ad armentum, & in pratum deduxit rosam à spinis liberam; rosam inquam quæ nunquam marcescit, sed floret perpetuò, quæque possit ad ipsum vsque cœlum exilire, cuius fragrantia in hodiernum vsque diem, iuuantur ac reficiuntur omnes qui terrarum incolunt orbem. Tantus annorum numerus præteriit, & tamen virtutis illius fragrantia semper augescit, nec tanta temporis magnitudine, facta est languidior; talis est enim rerum spiritualium natura. Ascendit igitur præclarum illud germen transplantans; & quemadmodum industrij agricolæ primùm semen in terram deponunt, cupressi aut aliarum arborum similium; deinde vbi conspexerunt à semine factam arborem, non relinquunt in eadem terra, sed inde reuulsam plantulam, in aliud transferunt solum, vt terra in recens gremio suo exceptam illius radicem, puram & integram vim suam proferat ad nouam educationem. Itidem & hæc fecit mulier quæ prolem præter spem proseminatam in suo vtero à domo transtulit, & in templum transplantauit, vbi perpetuæ sunt fontium scatebræ, & irrigationes spirituales vt videre licuerit illud propheticum in illis impleri quod Dauid dixit ita canens: *Beatus vir qui non ambulauit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & super cathedram pestilentiæ non sedit, sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte; Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Neque enim post malitiæ experientiam, venit ad malitiæ remissionem, sed ab ipsis cunabulis ad virtutem transiliit: non habuit consortium cum consessibus iniquitati obnoxiis, neque communionem habuit cum conuenticulis impietate plenis: sed prima statim pueritia à mamma matris, venit ad mammam spiritualem. Et quemadmodum arbor perpetua irrigatione in magnam excrescit altitudinem; sic & hæc diuinorum eloquiorum doctrina, assiduè irrigata, ad virtutis fastigium peruenit.]

Inter religiosas verò actiones quas tunc piè frequentauit Virgo sanctissima, præcellit votum purissimæ Virginitatis, quod prima omnium vel tunc

concepit, vel iam conceptum firmauit. Vouiſſe namque Deiparam Virginitatem ſuam Deo, eſt extra dubium apud Catholicos. Quinetiam extuliſſe Deiparam virginitatis Deo conſecratæ vexillum, non modò in nouo Teſtamento, ſed etiam abſolutè & ſimpliciter, concors veterum ſententia eſt. Denique vel tunc primùm vouiſſe, vel votum priùs editum firmaſſe, ambigere non licet. Tria affirmo, ſigillatim attingenda.

Emiſſum ab ea Virginitatis votum.

2. PRimum eſt, Deiparam vouiſſe Deo virginitatem. Hoc omnes Catholici vt certum ſtatuunt, ex illis B. Virginis verbis ad Angelum nunciantem filij conceptionem, *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Quæ verba ferre votum virginitatis à Deipara emiſſum, latè & validè euincit Bellarminus l. de Monachis c. 22. videtúrque perſpicuum, ſi verborum cortex, & circumſtantiæ in quibus ſunt pronunciata, conſiderentur quod optimè præſtitit Franc. Lucas ad c. 1. Lucæ. Breuiter autem conficitur. Nunciabat enim Angelus Virgini, fore vt filium conciperet. Ad quem nuncium piè conterrita Virgo, reſpondet ſe virum non cognoſcere: qua loquendi formula, non ſignificat ſe nunc actu virum non cognoſcere, ſed non licere ſibi virum cognoſcere. Sicut cum dicimus, *non comedo carnes in quadrageſima*; ſenſus eſt, *non licet mihi veſci carnibus in quadrageſima.* At nulla potuit eſſe ratio, cur non liceret Virgini virum cognoſcere, niſi quia virginitatem Deo vouerat. Et ita hoc Virginis reſponſum accepere Patres, nominatim S. Aug. l. de ſancta Virginitate c. 4. Greg. Nyſſ. orat. de Natiu. Dom. Anſel. l. de excell. Virg. c. 4. Bern. hom. 4. ſuper *miſſus eſt*, & ſerm. in illud. *Signum magnum.* Optimè Hugo Victor. l. de perp. Virg. S. Mariæ c. 1. vrgens ſimilem modum loquendi, eorum qui certis rebus ex voto abſtinent, vt vino, & carnibus. Dicunt enim *non bibo vinum, non edo carnes*, quorum loquendi modorum ſenſus eſt, *non poſſum bibere, vel edere*, voti religione prohibitus. Et Zachæus iam compunctus, dixit, *dimidium bonorum meorum do pauperibus, & defraudatis reddo quadruplum*; ideſt promitto dare & reddere, ſimilis ergo ſenſus eſt illorum Virginis verborum, *virum non cognoſco.* Quæ verò in contrarium à Caluino & Petro Martyre, ad infringendam huius loci vim proferuntur; partim blaſphema ſunt & ſacrilegi probri in Virginem referta, partim frigida & nullius iudicij; quod quia diligenter monſtrarunt Bellarminus loco allegato, & Caniſius l. 2. Mar. c. 14. abſtineo pluribus.

Et quidem, ab ea prima abſolutè.

3. ADdebam, primam Deiparam vouiſſe virginitatem, quæ eſt conſtans Patrum doctrina. Ita enim benè multi quos adducunt Caniſius l. 2. Mar. c. 14. Henriq. l. 2. de Matrim. cap. 5. Vaſq. 3. p. d. 124. c. 5. Suares t. 2. 3. ℞ d. 7. ſ. 3. Barrad. tomo 1. l. 7. c. 10. Mendoça l. 2. florum problem. 6.

num. 39. & omnium pleniſſimè Sheſlogus t. 2. in Cant. Veſtig. 20. ſect. 2. ac tomo 1. anteloq. 7. ſectione 12. Nominatim verò ac adeò diſertè vt nullus tergiuerſationi ſit locus, ita tradiderunt Rupertus in Cant. l. 3. *ſub finem*, Aponius in c. 2. Cant. *ad verſ.* 12. Richardus à S. Laurentio l. 3. de Deip. priuilegio 1. Gulielmus Paruus ad c. 3. Cant. circa illud *aſcendit de deſerto*, Philippus abbas l. 1. in Cant. c. 7. S. Mectildis l. 1. gratiæ Spir. *ſub initium*, Bleſenſis ſerm. 1. de Aſſumpt. Goffridus Vindoc. ſerm. 8. Idem planè voluit S. Ambroſ. l. de inſtit. Virg. c. 5. cum dixit, Deiparam extuliſſe vexillum virginitatis, quod paſſim quoque aliis verbis tradunt Patres adducti à Sheſlogo S. illa 2. n. 32. Nec poteſt alia ratione valere, quàm ob emiſſum abſque anteriore exemplo à B. Virgine votum virginitatis. Nam fuiſſe qui ante eam celibes ac virgines vitam exegerint, non eſt dubium: ídque de Elia, Ioſue, Melchiſedeco, Eliſæo, Ieremia, affirmauit S. Ignatius epiſtola ad Philadelphios. Itaque eatenus B. Virgo dicitur leuaſſe ſignum virginitatis, & eſſe illius primipila & anteſignana, quatenus prima virginitatem adiuncto voto firmauit.

4. Prima inquam, non modò inter fœminas, ſed abſolutè. Nec id negant, qui aiunt B. Virginem, primam inter fœminas vouiſſe virginitatem, quod habent S. Ildefonſus ſerm. 5. de Aſſumpt. & Beda Lucæ 1. S. Anſel. l. de 4. virtut. B. Virg. c. 1. Hugo Victor. tomo 3. opuſc. de perpet. B. Mariæ virginitate c. 1. *ſub finem*. Non inquam iſti, & ſi qui alij ita ſunt locuti, cenſuerunt virorum quempiam B. Mariæ præiuiſſe in Virginitate voto firmanda: Sed ita Deiparam primam inter fœminas, in quo ſecus hoc decus maximè nitet, vouiſſe integritatem dixerunt, vt non aſſeruerint aliquem virorum ei præiuiſſe hac in parte. Quod diſertè negant cæteri iam adducti, qui vel ſimpliciter dicunt primam Deiparam nouiſſe virginitatem, vel nullo præcedente exemplo ita feciſſe. Quod planè voluit Hugo Victorinus libro illo de perp. Virg. B. Mariæ c. 1. *ſub finem* vbi inde maximè celebrat Virginem, quod neglectu carnali ſenſu Hebræorum, qui carnis ſationem adeò magnifaciebant, vt etiam legem Dei carnaliter intellectam traherent ad cœlibatus probrum; exarſerit tamen amore virginitatis, eámque voto firmarit. Conſentiunt Scholaſtici, & Interpretes paſſim, quos vltra 60. adducit Sheſlogus ſectione illa 2. n. 36. & addendus eſt Abelardus ſerm. de aſſumpt.

5. Contra tam multorum Patrum atque Doctorum vnanimem ſenſum, opponitur à quibuſdam, autoritas Ioannis Hieroſolymitani, qui videtur voluiſſe B. Virginem inſtitiſſe veſtigiis Eliæ. Sed hoc tantum valere quoad obſeruationem caſtitatis ex honeſtate. Temperantiæ, verúmque manere quod B. Virgo prima addiderit ei honeſtati religioſum voti ornamentum, attigi l. 3. de Chriſto ſect. 3. c. 9. Quod ſi id minus cuipiam arridet, non eſt illius Ioannis Hieroſolymitani autoritas tanta, quin facilè excuti poſſit. Neque enim eſt ille Ioannes SS. Hieronymo & Epiphanio æqualis, & apud eos tam malè audiens; ſed longè poſterior, vt Bellarminus l. de ſcriptoribus *in Ioanne Hieroſolymitano* admonuit, poſt Baronium anno 444. num. 18. vbi opus illud, cuiuſcunque ſit autoris, ſcatere fabuloſitatibus affirmat.

An primò in templo emissum.

5. Aiebam denique, B.Virginem, vel tunc primùm cum in æde sacra degeret, emisisse votum virginitatis, vel priùs emissum tunc firmasse, & ratum habuisse. De hoc secundò dubitare non licet, cum adeò frequens sit personis pietati addictis, identidem renouare sancta vota, & notas quibus se fœliciter pro Deo impediuerint crebrò astringere; à qua praxi nemo eximat Deiparam, qui de eius pietate ac feruore in obeundis religiosis officiis rectè senserit; eámque iam tunc temporis, *pretiosum vas virtutum*, vt Greg. Nicomed. orat. de præsent. ait, fuisse animaduerterit. Itaque dubitandum non est, quin B. Virgo si ante secessionem è paterna domo in templum vouit castitatem, iterauerit in templo & firmauerit; nec sæpè, sed sæpiùs votum illud, vt fert in simili vsus piorum.

An autem primò emiserit hoc votum inter commorandum in templo, non definio; quia valdè pia sententia fert, B.Virginem in primo momento sui esse, affulgente diuinitùs copioso lumine, ita se toto ex corde conuertisse ad Deum, vt simul illi animam & corpus consecrarit, & virginitatem perpetuam iam tunc vouerit: quod non est nouum inuentum, sed ab aliis iampridem propositum, vt videre est apud Iacobum de Valentia in illud cantici magnificat, *fecit mihi magna qui potens est*; subscribítq; Sherlogus Vestigatione illa 20. s.2.n. 37. & Barradius tomo. 2. l. 6. c. 3. ac Morales l. 2. tract. 6. n. 12. Non est certè verisimile quod ait S.Thomas 3. p. q. 28. art. 4. nempe B.Virginem non emisisse votum virginitatis ante desponsationem cum Iosepho. Hoc dico non esse verisimile; nam non apparet vnde fingi possit, B.Virginem quæ ad Gabrielis nuncij aduentum iam virginitatem vouerat, vt vidimus, votum illud adiunxisse duntaxat, post celebrata cum Iosepho sponsalia. Tantæ quippe virtutis noua honestas, quàm Deo placeat, virginem non latebat multo ante; eámque etiam non deficiebat boni tantoperè grati Deo, amplexandi voluntas. Quare vel in templo inter ministrandum Deo in habitatione sancta, votum Virginitatis priùs conceptum, ratum habuit, & sæpè sæpiùs iterata eius conceptione firmauit; vel illud ibidem primùm concepit, quod video placuisse nonnullis. Nominatim autem ita tenet Castro in Historia Deiparæ cap. 3. num. 17. Benzon. in Psal. 86. c. 22. & multis adductis Morales l. 2. in Matth. tract. 6. n. 11. videtúrque pro eadem opinione citari posse Vasquez 3. p. d. 124. c. 4. *in fine*; quamuis id in actu signato non dicat.

Quàm id votum Deo placuerit, expendit S. Ansel. l. de excell. Virg. c. 4. An verò tantus Deiparam virginitatis amor occuparit; vt posito æquali merito & acceptione Dei, prælectura esset virginitatem potiùs quàm maternitatem, quod latè excutit Corduba l. 1. q. 49. parum refert ad rem præsentem. Quanquam cum virginitas religiosè seruata sit virtus, non item maternitas Dei; nihil video vnde Corduba statuat, B. Virginem prælecturam potiùs maternitatem. Sunt qui addant, Deiparam voto virginitatis, adiunxisse votum

paupertatis, vt habetur apud S. Brigittam 1. Reuel. c. 10. At Spinellus l. de Throno Dei c. 37. n. 11. addit etiam votum obedientiæ. Cui verò? Hoc ille non exponit.

Furfur doctrinæ; Exclusio vagituum & risuum infantilium, à Virgine infante.

6. Circa proposita in hoc puncto, nonnullæ heteroclises occurrerunt. Aiebam, Deiparam, post Natiuitatem communi more cæterorum minusculæ ætatis, exegisse infantiam & pueritiam. Est qui aliqua singularia in hac Virginis ætatula notet; nimirum quod consueta infantium tempora pro risu & ploratu non seruarit. Non quod neget Deiparam risisse ac fleuisse in infantia; sed quod risus eius & luctus, à sola consideratione penderet. VG. fleret ob aliena mala atque peccata; rideret autem & gaudium interiùs conceptum effunderet exteriùs, ex Dei & diuinorum operum attenta consideratione. Vulgares itaque causas infantilium eiulatuum & tripudiorum, habuisse in Deiparæ infantia ac pueritia locum, diffitetur is quem dico recentior.

Sed malè. Nam ea infantiæ & pueritiæ adiuncta, in Christo ipso locum habuerunt, iuxta illud Zenonis Veronensis serm. 11. de Natiu. Dom. [mixtus humanæ carni, se fingit infantem.] Et illud, *vagit infans inter arcta conditus præsepia.* Quod Aug. serm. 9. de temp. ratum habet, dicens per hos vagitus, declinatos à nobis esse ploratus externos: itáque necessarium fuit, vt mysterium corporati, Verbi lateret, & omnia conuenienter peragerentur, exclusis monstrosis procedendi modis quos Deus solet auersari. Multo ergo magis fatendum est, idem seruatum esse in Virgine, etiamsi demus, quod is cum quo agimus supponit; nimirum perpetuum fuisse Deiparæ per vniuersam infantiam vsum plenæ rationis, diuino munere indultum in superiori parte intellectus. Nihilominus enim in portione inferiori (vt sic dicam) intellectus, prout scientia naturali & acquisita instructus, tenebat cursum suum, nec aliter functiones suas obibat, quàm in cæteris infantibus ac pueris soleat; quia sub diuerso lumine & speciebus operabatur. Et proportione seruata, idem statuendum est de appetitu subjuncto intellectui, & per eum regulato.

Item ieiunium lactentis, & an vltronea ablactatio.

7. Alterum singulare eiusdem infantilis ætatis Deiparæ, proponit autor quidam nuperus, quod sanctissima infantula, identidem tempore lactationis ieiunaret. Ita enim scribunt de S. Nicolao, & de S. Sisinnio, nec non de S. Stephano Diensi, qui eorum acta scriptis consignarunt, & de Ioanne Firmo Gretserus l. 1. de discipl. c. 14. Quod ergo hi sancti infantes, in futuræ sanctitatis præsagium, absque libertate & merito præstabant, hoc Deipara infans, diuino præuenta vberi lumine, liberè & cum merito præstabat,

K 3

identidem seruans in ea ætatula ieiunium, quod ex reuelatione quadam refert Franc. Ximenius l. 2. vitæ Christi c. 27. Affine est quod iuxta Nicephorum l. 1. c. 7. Deipara sua voluntate, non aliena arte, à materni lactis vsu est auulsa, vt contingit vulgaribus mammotreptis, quos nutrices apposito vberibus quopiam amarulento, ad solidiorem escam prouocant. Sicut ergo Deipara vltrò ac sponte cum visum est fronte materni lactis prorsus abstinuit; ita quamdiu lactatio durauit, identidem ad exercitium virtutis abstinentiæ dulci illa cibatione sibi temperauit, nec voluit papillas sugere.

Fateor quæ de ablactatione spontanea dicuntur, posse videri verisimilia, cum ab autore sint prodita non prorsus obscuro, qui ex vetustioribus monumentis pleraque hausit; & citra insolitum (certè non adeò stupendum) prodigium accidere potuerint. Facile enim in animum induxissent plerique mortalium, obfirmatam ab infante papillæ reiectionem non ex infantis arbitrio, sed ex naturali aliqua dispositione lac auersante proficisci: sícque declinaretur species miraculi, & stupor quem ingenerant euentus insoliti, cuiusmodi esset ablactationis arbitrariæ, quæ in aliam causam referri nulla ratione posset. Quare quæ de arbitraria per ipsammet infantem sui ablactatione sunt dicta, haud prorsus repudio.

At quæ de ieiunio lactentis infantulæ recitata sunt, voluntariè conficta existimo: non aliam ob causam, nisi quia aliis plerisque sanctis in prima ætatula idipsum accidisse, notatum est. Verùm non esse eam amussim fidelem, ad quam exigenda sint, quæ de priuilegiis Deiparæ proferuntur, notatum sæpissimè est superiùs. Non enim quæcunque sanctitatis promouendæ media ab aliquibus sanctis sunt vsurpata, necesse est fateri vsurpata item esse à Deipara: alioqui dicendum esset, Virgunculam sanctissimam à primis annis ternas noctibus singulis B. Dominici diuerberationes, & ferreum B. Gulielmi cilicium adhibuisse, aut alterius Dominici cognomento *loricati* ars triplex circa pectus, atque catenas, illigasse sibi; & tormenta quibus Christina mirabilis se diuexauit, sibi admouisse. Multo minus ergo, vrgemur concedere Deiparæ ea infantium miraculosa ieiunia, quæ non erant virtutis opera nisi obiectiuè, nec erant media promouendæ sanctitatis, sed tantùm præsignificationes eius aliquando consecuturæ.

Nec non ablactatæ cibatio per Angelos.

8. AVulsam ab vberibus, & à lacte semotam Virginem trimulam, mox, per quindecim gradus templi absque ductu progressam, (quod tamen planè incertum esse, monet Iansenius in psal. 119.) illatam ædi sacræ cum illius temporis Ascetriis, quas *Euangelizatrices virtute multa*, dictas psal. 67. censet Mendiza q. 2. posit. n. 5. fuerunt qui cœlesti alimento per Angelos pastam dicerent. Id S. Germanus orat. de Virg. præsentatione disertè prodidit, & annuit Andr. Cret. orat. de dormit. Virg. ac pleniùs etiam Georgius Nicomed. Orat. de Oblat. Virg. ac Cedrenus in Compendio Histor. Videtur

hoc admittere Suares tomo 2. 3. p. d. 7. *initio*, annuitque Ioannes Maria Zamorus lib. 3. de Eminentiss. Dei perfect. cap. 6. à num. 5. nec sinit de hoc dubitari Benzonius in psal. 86. cap. 40. traditione 9. qui id confirmant ex simili priuilegio concesso S. Paulo primo eremitæ. Et adduci æquè possunt, quæ de Baptista puero per Angelum in desertis nutrito, prodita sunt à Cedreno, & à Nicephoro l. 1. c. 14. & similia de S. Neophyto habentur in Menæis 11. Ianuar. ac de Abbatibus Apolline & Anupho apud Palladium in Lausiaca, & de Simeone stylite 24. Maij, ac de Codrato infante apud Metaphrasem 11. Martij. Ex quibus exemplis Poza l. 3. tract. 13. c. 8. probat quod Canisius l. 1. de Deipara c. 13. asseuerat. & Moral. l. 1. in Matth. tract. 10. num. 20. videlicet, Deiparam mox ab ablactatione in templum ductam, per Angelos fuisse enutritam; nec communi alimento, sed cœlesti, quale pro Enocho & Elia nonnulli meditantur; & quidam Patres de hoc Virginis statu agentes, *immortalem* aut *materia expertem cibum*, aut *ambrosiam* nominant; vt Germanus Andr. Cret. & Greg. Nicomed. locis allegatis, quos profert & sequitur Benzon. in psal. 86. c. 22. & c. 40. traditione 9.

9. Verùm inprimis hac ratione subruitur fundamentum, argumenti pro hac Deiparæ infantis cibatione petiti, ex nutricatione sanctorum aliquorum infantium per Angelos. Hæc enim, vt & cibatio Pauli primi Eremitæ, è qua Suarez ducebat argumentum, cibis communibus peracta proditur, cum tamen pro Deipara fingantur immortales cibi: qui cuiusmodi sint, intelligi non potest, quin planè euertatur ratio nutritionis, quæ sita est in destructione cibi, eiúsque conuersione in alitum. Non nego posse per Angelos curari succos aut cibos qui optimè nutriant, & præ omnibus cibis nostris vegetent ac fulciant vitam. Non id posse satanam à Deo non impeditum, docet exemplum iuuenculæ apud Prosperum in dimidio temp. cap. 6. quæ septuaginta fermè dies, totidémque noctes impasta exegit: nisi quod auis quædam noctis medio, ori nescio quid infundebat, vnde vigor & vita perennabat. Eam autem auiculam fuisse dæmonem tali specie obtectum, circumstantiæ illius negotij monstrant: & inde liquidò euincitur, quod auis illa iuuenculam increpasse proditur, quod accessisset ad locum sanctum. Hinc igitur patet, facilè esse SS. Angelis humanum corpus similiter vegetare, adhibito insolito quopiam, vel naturali vel factitio succo, aut edulio eximiæ efficacitatis quæ Angelos non latet. Nihilominus tamen nemo non videt, quoduis alimentum debere esse mortale: alioqui non aleret, quia non conuerteretur in alitum. Deinde non placet. Quod priuilegium cibationis per Angelos cibum mortalem suppeditantes, quibusdam sanctis ab humana ope seiunctissimis concessum, vt Baptistæ, & Paulo primo Eremitæ, & si qui fuere huiusmodi, extendatur ad Virginem in tanta frequentia versantem, præsertim per totum tempus commorationis in templo, quod non fuit exiguum, sed ad multos annos protensum, infra dicemus. At non solet Deus miracula veluti prodigere, in iis quæ neque absolutè necessaria sunt, neque munus diuinitùs collatum decent. Alioqui fingamus sanè, Deiparam cibis cœlestibus in vniuersa vita pastam, cibis nostra-

tibus non eguisse, prout aliqui malè feriati otiosè commenti sunt, referente ac refellente Clyctouæo l. de doloribus Virg. c. 13.

Et commoratio in Sanctis Sanctorum.

10. PEr idem tempus commorationis in templo, hæsisse semper Virginem in sanctis sanctorum, quæ erat templi pars penitissima & sanctissima, affirmant plerique Recentiores, imitati quosdam antiquos, vt Enodium apud Nicephorum l. 1. histor. c. 7. & Georgium Nicomediensem, ac Germanum Constantinopolitanum in orationibus de præsentatione. Quod adeo præcisè intelligunt ij quos dixi Recentiores, vt ne ad punctum quidem, per totos vndecim annos, quibus Enodius eam in adytis illis & sanctis sanctorum commorationem definit, Virginem inde egressam contendant: & propterea nullas ciborum aut potus reliquias ab ea egestas asserunt, ne vel indecoram loci sacri contaminationem admittant, vel morem in eo, aliqua intercisione abrumpant. Vt autem minùs absurdè & persuasu difficilia proferre videantur, obseruant post tot clades Hebræorum, tótque templi & sanctuarij direptiones, non eam fuisse apud Iudæos summam loci illius reuerentiam, quæ olim fuerat, cum illhic arca seruaretur, quod iam ab ætate Ieremiæ factum non erat. Quid quod interdictum de non intrando in sancta sanctorum, tantùm viguisse videtur pro tempore, quo solemniter agebatur res diuina, vt colligitur ex c. 16. Leuit. vers. 17. Eo autem tempore transacto, fas erat viris sanctitate insignibus eò commeare; ita vt testentur graues scriptores, vt Egesippus apud Eusebium 2. histor. c. 23. & S. Epiph. hæresi 78. S. Iacobo, ob vitæ notam sanctitatem, fas fuisse illhuc intrare. Puellæ igitur, tot mirabilibus diuinitùs circa eam editis insigni, commorationem in eo loco concessam esse, non debet incredibile videri. Ita quidem Recentiores prædicti, & nominatim Canisius obiter l. 1. de Deip. c. 13. Pleniùs Poza l. 2. tract. vltimo c. 2. & in apolog. l. 3. c. 5. conclus. 2.

11. Reuera tamen non persuadent. Nam tanta singularitas in plerisque adeò insolitis, ac nominatim in iugi secessione infantulæ trimulæ, ac vita absque iis naturæ necessitatibus transacta, quibus omnes sumus obnoxij, non habent sufficiens fundamentum in vnius vel alterius antiqui scriptoris testimonio, silentibus, vel etiam repugnantibus aliis. Præterquàm quod Enodius, quem cœteri videntur expressisse, facilè potest accipi, de habitatione in loco continuato sanctis sanctorum, idest in parte ædium templo adiunctarum. Qua ratione, nunc quoque dicere licet, Moniales nostras degere in templo, & in loco vbi Christus asseruatur: quia domus earum, continens & adjuncta est, templo in quo est corpus Christi, etiamsi non incolant immediatè ipsum templum. Idem ergo de Iudæorum templo affirmandum est. Sanè sacerdotes, genus hominum gloriæ templi impensissimè addictum, tantam contra omnem morem degendi in templi adytis licentiam, etiam quo tempore ibi rem diuinam ageret summus sacerdos, contra expressum Dei mandatum, nunquam

tole

tolerassent per tot annos. Gloriosior item de B. Virgine fama increbuisset, quàm ferant voces illæ Iudæorum, cum Christum vilipenderent; *Nonnè mater eius dicitur Maria*? Nam quæ à prima ætate, in tanta veneratione apud primores gentis illiùs fuisset,& tot prodigiis quot in narratione quam excutimus continentur, inclaruisset, nunquam tantoperè euiluisset, vt eius obscuritatem in filij probrum vertere possent: Imo quo magis in eum infensi fuissent, quod tali matre editus esset, studiosè celassent.

Confectio tunicæ inconsutilis, & vouendæ Virginitatis friuola causa.

12. Circa actus Virginis in habitatione sancta commorantis, pertinent ad hunc locum duo. Ac primùm consuisse B. Virginem in hoc secessu tunicam inconsutilem quæ Christo fuit vsui, quod ex Euthymio in Matthæum refert & approbat Benzon. in psalmum 86. c. 40. traditione 10. non nisi diuinando dicitur, nec est reuera assertum ab Euthymio, qui tantùm dixit, B. Virginem confexisse eam vestem, absque loci & temporis determinatione. Nec minus diuinanda dicitur, quod ea vestis initio paruula,cum Christo crescente cresceret, vt alij commenti sunt, tametsi non à Virgine confectam sed de cœlo missam asseruerunt, vt Goffridus Viterb. parte 14. Chron. Diuinatoriè item dicitur, quid quaque hora, Virgo in ea habitatione faceret, vt aliqui dicere non erubuerunt; quæ S. Bonau. piè meditando expresserat c. 3. medit. accipientes vt simpliciter gesta.

Secundò circà votum Virginitatis quod per hoc tempus commorationis in templo, vel primùm emissum, vel iteratum, & renouatum diximus, figmentum induxit Rupertus l. de læsione Virginit. c. 6. & l. 3. in Cant. ad illud, *in vno crine colli tui*, cum dixit; B. Virginem à nuptiis abhorruisse, & vouisse virginitatem, quia putauit se nullius viri corpore dignam. Hoc vel summam ignorantiam virginis sonat, si quod idem Rupertus paulo post, ad illud *quàm pulchræ sunt mammæ tuæ*, existimat; B. Virgo indignitatem ex parte sua agnouit; quæ verè nulla erat; nec ex humilitate quæ à falso abhorret eam agnoscere tenebatur, aut poterat: Vel superbiam non vulgarem, si indignitatem ex parte virorum statueret. Quia quamuis verè, nullus vir ea dignus esset, tamen humilitas ab ea æstimatione abhorrebat. Quare neutrum iudicium in Virginem cecidit; sed à nuptiis, voto interposito recessit,vt coram Deo esset sancta corpore & spiritu.

I.

PVNCTVM IV.

SPONSALIA, ET CONIVGIVM ratum, cum Josepho viro sanctissimo.

1. VIRGINEM intra annos aliquot commorationis in templo, nubilem factam, sacerdotes ex diuina inspiratione templo educunt, quod non deceret virginem nubilem hærere in templo, vbi sacerdotes sunt assidui, vt Gregorius Nyss. orat. de Natiu. Dom. ratiocinatur.

Virgo è templo educta desponsatur, & quorsum.

ADdit Nyssenus, ex eorundem sacerdotum deliberatione, Virginem pupillam cuius votum innotuerat, desponsatam esse viro de tribu sua; éique traditam, non vt marito liberis operam daturo, sed vt fido custodi integritatis. Adducit in eam sententiam alios Canisius l. 1. Mar. c. 11. Quanquam alij vt Franc. Lucas Matth. 1. ad vers. 18. post Hugonem Victorinum l. de perpet. Virginit. S. Mariæ cap. 1. *sub finem*, non minùs verisimiliter affirmant, eductam quidem à sacerdotibus è sacris penetralibus Virginem, tanquam viro maturam; & pro solemni gentis vsu, nuptui tradendam; cognatis autem vel parentibus, (si supererant,) permissam; ab iisdem desponsatam esse Iosepho, & intra aliquod tempus, iuxta morem patrium, vero eius coniugio illigatam. Annulum pronubalem quo Deiparam Iosephus sibi oppignerauit, religiosè seruant Perusini de quo commentarium edidit Ioannes Baptista Laurus, exscriptum in Chronico Deip. anno 1480. Quanquam scio alium præterea huiusmodi annulum, asseruari in Semimurensi Burgundiæ Prioratu, & alium in Monasterio Aquiscinctino apud Belgas, de quo multa Matthias Naueus orat. 11. de S. Iosepho. Addunt iidem autores posteriores, neminem cum desponsatio inita est, conscium fuisse voti virginitatis perpetuæ à Virgine emissi: ipsam autem Virginem, in huiusmodi sponsalia & coniugium consensisse, quod ex diuina reuelatione compertum haberet, fore vt huiusmodi matrimonium, voto abs se emisso nihil officeret. Nec tamen id votum latuisse Iosephum cum contraxit, affirmat ipsa Virgo apud S. Birgittam lib. 7. c. 25.

2. Diuini consilij circa hanc Virginis desponsationem nouem causas, prosequitur Rich. à S. Laur. l. 6. de Deip. *pag.* 410. Plerasque etiam proponit Toletus in c. 1. Lucæ annot. 55. Præcipuas quasque complexus videtur S.

Ambros. initio libri 2. in Lucam, dicens. [Benè vtrumque posuit Scriptura, vt & desponsata esset, & Virgo. virgo, vt expers virilis consortij videretur: desponsata, ne temeratæ virginatis adureretur infamia, cui grauis aluus, corruptelæ videretur insigne præferre. Maluit autem Dominus aliquos de suo ortu, quàm de matris pudore dubitare. Sciebat enim teneram esse virginis, & lubricam famam pudoris, nec putauit ortus sui fidem matris iniuriis adstruendam. Seruatur itaque sanctæ Mariæ sicut pudore integra, ita inuiolabilis opinione virginitas. Oportet enim sanctos, & ab his bonum testimonium habere qui foris sunt. Nec decuit sinistra virginibus opinione viuentibus, velamen excusationis relinqui, quòd infamata mater quoque Domini videretur. Quid autem Iudæis, quid Herodi posset adscribi, si natum viderentur ex adulterio persecuti? Quemadmodùm autem ipso diceret, *non veni legem soluere, sed adimplere*, si videretur cœpisse à legis iniuria, cùm partus innuptæ, lege damnetur? Quinetiam locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset & dolore iniuriam, & vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum. Quid quòd etiam fides, Mariæ verbis maior adsciscitur, & mendacij causa remouetur? Videretur enim culpam obrumbare voluisse mendacio, innupta prægnans. Causam autem mentiendi indesponsata habuit, desponsata non habuit: cum coniugij præmium, & gratia nuptiarum, partus sit fœminarum. Non mediocris quoque causa est, vt virginitas Mariæ falleret principem mundi: qui cùm desponsatam viro cerneret, partum non potuit habere suspectum.] Scitè quoque in hanc rem philosophatur Rupertus lib. 1. in Matth. qui post pleraque, concludit his verbis. [Nonne fuisset hoc margaritam valdè splendidam ante porcos mittere, Virginem prægnantem siue parientem, de semetipsa prædicare, vnde haberet in vtero, scilicet de Spiritu sancto. Fieret enim inquisitio vnde concepisset, vel à quo imprægnata esset, si virum non habens peperisset. Igitur laudi deputandum est eius de quo in vtero habebat, scilicet Spiritus sancti, spiritus consilij, quod mater eius desponsata erat, quia verè secũdùm hoc ipsum nomen vel præconium quo dicitur & est spiritus consilij, dignum se fecit, dignè prouidit, vt illa desponsaretur, & per hanc occasionem ab omni quæstione liberaretur. *Sponsus*, vel nomen *sponsi*, cœlestibus nuptiis secretum fecit; ianuas cubiculi clausas custodiuit, ita vt non foris omnino pateret transeuntibus, lux claritatis quæ intùs erat.]

3. Vix alias desponsatæ Virginis causas proferunt alij Patres, in hoc negotium inquirentes. Sed & harum causarum plerasque, non esse firmas monstrat Poza l. 2. tract. vlt. c. 7. Et eiusmodi nominatim putat esse vltimam à S. Ambrosio assignatam, vt scilicet partus Virginis, non innotesceret Satanæ: quam causam etiam S. Ignatius epist. ad Ephes. protulit, approbauitque S. Hieronymus Matth. 1. ac Basil. hom. de huma. Christi gener. & copiosè S. Bern. hom. 2. super *Missus est*; nempe [vt partus Virginis occultaretur diabolo, dum putat, Christum de vxore, non de Virgine esse generatum.] Dixi de huius rationis efficacitate quid sentiendum videretur, l. 1. de Christo. Id quod etiam latè versat Torres disp. 17. selecta dub. 5. parte 2. operis. Quantum de diuinis

consiliis balbutire possumus, pensatis omnibus negotij adiunctis, verissima diuini huius consilij ratio, petenda videtur, primò ex vitanda ad hanc modum B. Virginis infamia, cum deprehenderetur concepisse. Secundò ex necessaria Virgini societate viri, qui ad prolem educandam adiutor, & peregrinationum ad pueri tutelam obeundarum comes fieret. [Necessariò (concludit supra S. Bernardus) desponsata est Maria Ioseph, quando per hoc & à canibus sanctum absconditur, & à sponso virginitas comprobatur, & virginis tam verecundiæ parcitur, quàm famæ prouidetur. Quid sapientius ? quid dignius diuina prouidentia ? Vno tali consilio, secretis cœlestibus & admittitur testis, & excluditur hostis, & integra seruatur fama Virginis Matris. Alioquin quando pepercisset iustus adulteræ ?] Hæ videntur præ omnibus aliis desponsatæ virginis causis superiùs ex Ambrosio & Ruperto tactis, maximè idoneæ, & minùs tergiuersationi, vel calumniæ patentes.

Circa hanc doctrinam, duo sunt quæ dubitationem ingerunt. Vnum quàm sit certum B. Virginem contraxisse verum matrimonium cum Iosepho, vt asseruimus. Alterum quomodò hic contractus cum voto ab ea anteriùs emisso cohæreret. In priore puncto, errarunt hæretici, & minùs apte locuti sunt quidam Catholici. Nam inter hæreticos, Iulianus Celanensis dixit coniugium B. Virginis & Iosephi non fuisse nisi existimatum, cum defuerit coniugale commercium, quod Iulianus de coniugiis veritate & substantia esse censebat. E contrario autem Heluidius, quia hoc coniugium censuit esse verè & propriè coniugium, admisit Iosephi & B. Virginis, (post editum Christum,) carnale commercium. Eunomio idem tribuit Autor Operis Imperfecti in Matthæum homil. 1. sub finem. Antidicomarianitas nominat qui hoc errore sordebant suo tempore, S. Epiphanius hæresi 78.

Deipara nunquam viro commixta, contra Heluidij blasphemiam.

4. VErùm Heluidij spurciloquium à D. Hieronimo iusta lucubratione adeò potenter abactum est, vt non sit quod in eo volutabro vlteriùs conuoluamur. Qui plura volet, adeat S. Epiphanium hæresi illa 78. & Castrum V. *Maria* hær. 1. Et dolendum est, Tertullianum Heluidio præiuisse, vt fatetur S. Hieronimus, & agnoscit etiam Pamelius Parad. 23. At apertè mentitus est Casaubonus, latè reiectus ab Andrea Cydonio l. 1. pro Baronio c. 7. cum scripsit, S. Basilium circa hoc fuisse ambiguum, an Deipara post editum Christum, conuenerit cum viro. Cui blasphemiæ, communi Patrum calculo reiectæ apud Coccium t. 1. l. 3. art. 2. non astipulatur illud, *non cognoscebat eam donec peperit*, vt rectè docuit Nazianzenus orat. 36. quæ est quarta de Theol. & Isido. Pelus. l. 1. episto. 18. sic scribens ad Herminium. [Quandoquidem existimare te dixisti, offensioni Iudæis id esse, quod in diuinis oraculis dictum est, *Non cognouit eam, donec peperit filium suum*, tanquam scilicet

postea sponsus cum Virgine congressus sit: noscat contumeliosus & ingratus populus, vocem hanc *donec* pro *perpetuò*, in diuina scriptura sæpè positam reperiri. Vt *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, pro *in perpetuum*. Et *non est reuersa columba ad Noë, donec siccarentur aquæ*. Prorsus enim non est reuersa. Et, *donec senueritis ego sum, ait Dominus*. Atqui est perpetuò. Atque alia permulta eiusdem generis, sparsim in diuina Scriptura reperiuntur. Diuina porrò mens ô Iudæi, peruersam vestram sententiam corrigens, qui Dominum ex stupro ortum esse existimastis & pronunciastis, his verbis illud demonstrare studuit, quod intactus adorandus partus, ac libidinis & concubitus expers fuerit, diuinitatíque consentaneus, atque eiusmodi qui humanæ rationis captum excedat. Nam ne postea ij inter se coirent quibus fornicatio per calumniam obiecta est, Angeli quoque visio prohibebat, qui eum qui in Virginis vtero carnem assumebat, ex spiritu sancto extitisse dixerat; & miraculorum in partu editorum maiestas atque amplitudo vetabat, & virginitas quæ partum secuta est, & Angelorum cantus, & oblatum à Magis munus, & stella prælucens, & deductio in Ægyptum, & simulachrorum captiuitas, & illorum ipsorum Iustitia, scripturæ sanctæ testimonio confirmata. Quin istud quoque, postremum Domini Testamentum liquidò demonstrat; qui quo tempore in cruce erat ac viuifica morte fungebatur, Ioanni Virgini, genitricem Dei commendauit, atque amborum virginitates copulauit.]

His demonstratum à se censet Isidorus, nequicquam Iudæos, *donec* illud Euangelistæ, obtendisse, aduersus integritatem Deiparæ post editum Christum. Nam & phrasis scripturæ, illud *donec* in longè alio sensu vsurpat, vt exempla patefecerunt; & tam graues vrgentésque erant Iosepho causæ temperandi sibi ab vxore, vt dubium nulla ratione esse possit, quia sibi temperauerit, adigamúrque proinde admittere, illud *donec* non sonare hoc loco quod sonat in communi & vulgato loquendi modo. Non est opus quæ præterea circa eius loci enodationem profert aduersus Heluidium S. Hieronimus, huc transferre. Cum stramineum illud argumentum satis supérque contritum maneat, per ea quæ ex Isidoro protulimus. Quo consilio, missa item facio alia, quæ in eam rem, librata quoque vi Græcæ & Hebraicæ vocis respondentis Latinæ particulæ *donec*, adducit Adamus Gontzen in c. 2. Matth. versu 25. q. 1. Rectè porrò de his spurciloquis pronunciasse videtur Autor Imperfecti Operis in Matth. homil. 1. *sub finem*, eos & præ malignitate affingere Iosepho animum suum, & præ hebetudine non aduertere locutionem Scripturæ quam vrgent, longè aliter accipi in communi vsu, ita vt eis nullo modo faueat. [Insanus (inquit) neminem intelligit esse sanum; quia ausi sunt hoc dicere de illa, putant quia & Iosephus hoc ausus fuit facere, *&c.* Volo tibi referre. *Ille nescio quis, cum illo litem commisit, & donec vixit, non est ei locutus.* Numquid ex hoc quod dixi, *donec vixit, non est ei locutus*, ex eo signaui, quia post mortem illi locutus est?] Facessat ergo spurca obesitas Heluidij & gregalium, Dei habitaculum carnalibus concupiscentiis sordidantium, vt ibidem rectè subjicitur.

5. Aliter eundem Matthæi locum, & difficultatem ex eo petitam contra integritatem Deiparæ, extricat S. Athanasius serm. de Natali Dom. c. 12. sic dicens. [Quod dixit Beatus Matthæus; *non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*; non in eam sententiam accipiendum est, in quam isti prauè accipiunt. Verè non cognoscebat illam Ioseph, donec peperit filium suum primogenitum; quamdiu scilicet Virgo ipsa, quem conceperat, ferebat in ventre. Namque Ioseph quid in ea lateret, ignorabat, & quale, quantúmve illud esset, & quem ad finem res spectaret, non antea perspectum habuit, quàm Virgo peperit. Tunc enim, quanta esset eius virtus, ac dignitas diuinitùs ei collata, manifestè cognouit. Tunc vidit mammam infanti à Virgine datam, cuius virginalis flos intactus permanserat. Tunc vidit Virginem peperisse quidem, sed nihil eorum sensisse, quæ parturientes pati solent. Tunc cognouit petram illam è montis vertice abscissam, mammam sugendam dedisse petræ illi spirituali, quæ mentis lumine comprehenditur. Tunc cognouit Ioseph clarissimi præconij Prophetam Esaiam de Virgine illa hoc scripsisse: *Ecce Virgo concipiet.*] Subscribunt Epiphanius hæresi 78. n. 20. & Autor Imperfecti homil. 1. *sub finem*. Verùm hæc explicatio supponit Iosephum ante partùm Virginis ignorasse Incarnati Verbi mysterium; quod non videtur cohærere cum Verbis Angeli discutientis dubitationem Iosephi ex deprehensa sponsæ grauiditate. Æquè cum iisdem Angeli verbis pugnare videtur, quod ait Hilarius can. 1. in Matth. Longè aliter quàm duobus propositis modis accipiens prædictum Matthæi locum. Nam putat Virginem dici non cognitam à Iosepho donec peperit, quia tunc tantùm assumpta est in coniugem; cum illhuc vsque fuisset tantùm sponsa de futuro. [Quia desponsata esset, (inquit) in coniugem recipitur. Cognoscitur itaque post partum, id est transit in coniugis nomen. Cognoscitur enim non admiscetur &c. Ergo & coniugis nomen sponsa suscipit, & post partum in coniugem recognita tantùm, IESV mater ostenditur.] Hæc explicatio loci Matthæi non cohæret cum expeditissima Iosephi obedientia, qui tanto ante iussus erat non timere habere Mariam, coniugem suam. Itaque prima enodatio ex S. Isidoro & aliis adducta est omnium expeditissima, & *prauissimos homines*, vt rectè eos appellat S. Hilarius excludit latibulo quod in propositis Matthæi verbis captabant.

Nec item aduersùs B. Virginis semper illibatam virginitatem, opponi iure potest ex Matthæo; illud aliud, *antequam conuenirent*; non enim sensus est, postea conuenisse. Sicut si de aliquo dicam, *antequam sumeret medicinam obiit*; non est sensus quod post mortem eam sumpserit; sed tantùm quod non sumpserit eam ante mortem. Itaque spurcissimus error Heluidij, nullum habet in Scriptura præsidium. Imo & innumeris Scripturis, & constantissimæ Sanctorum Patrum traditioni aduersatur. Elegantissima est S. Ambrosij in hanc rem Epistola ad Theophilum Alexandrinum, & Anysium Thessalonicensem Episcopos, aduersus Bonosum quendam malè feriatum Episcopum, in hoc Heluidij cœno hærentem, quem testatur rectè ab iisdem Theophylo & Anysio quoad hanc virginalis aulæ post Christum editum, coinquinationem esse

reprehensum. Satis de errore Heluidij in quem his S. Epiphanij verbis hær. 78. conclamare in hac meta iuuat. [Vas illud eximium, Virgo, nullam est coniunctionem corporis experta, absit vt illud existimemus.. Quis est autem qui furorem sibi & insaniam asciscens, tantam B. Virgini contumeliam velit imponere, & os suum aduersùs illam attollere, laxare linguam; ad pestiferam illam pronunciandam sententiam labra diducere? Pro laudibus ac præconiis probra, contumeliásque comminisci? Sacrosanctæ insultare Virgini? Vas illud deníque omni honore dignum, nullo honore prorsus afficere?]

Fuit tamen verè coniugata.

6. IVliani verò errorem, cum apertissimis Scripturis pugnantem, quibus Ioseph *vir Mariæ*, ipsa verò *coniunx Iosephi* dicitur, explosit S. Augustinus l. 5. contra Iulia. & 1. de nup. c. 11. & 23. contra Faust. c. 8. & adducto Beda idem in aliis improbauit Petrus Damiani, opusc. 41. cap. 2. Esséque id planè ex fide, censet Suarez t. 2. 3. p. d. 7. sect. 1. & Morales l. 2. in Matth. 3. n. 8. Hanc tamen summam certitudinem non agnoscunt, tametsi hoc coniugium verum fuisse coniugium, præludiorum matrimonij rati fines transgressum, & verè ratum matrimonium, sola commixione exclusa perfectum; profitentur Balsamon ad Canonem 98. sextæ Synodi in Trullo, Canisius l. 1. Mar. c. 5. & l. 2. c. 11. Sanchez l. 2. de matr. disp. 28. Nauarr. l. 4. Consil. tit. 10. Consil. 3. n. 4. Tol. in c. 1. Lucæ annot. 56. Rebellus 2. p. l. 13. q. 13. s. 1. Vasq. 3. p. d. 125. c. 3. & passim recentiores: à quibus non dissident pauci veteres Catholici, quos minùs aptè locutos dixi. V. G. S. Hilarius & Theophilactus Matth. 1. nec non Epiphan. hær. 78. qui B. Virginem, non nisi *Iosephi sponsam* appellant, & sponsalia inter eos celebrata tradunt, non autem coniugium perfectum, siue nuptias. Quam ob rem S. Aug. serm. 18. de sanctis, & Faustus epist. 3. B. Virginem vocant *innuptam*, & Christum ex innupta conceptum dicunt. Chrysologus verò serm. 175. vocat Iosephum, *maritum solo nomine*: quod item habet Autor homiliæ de oue & pastore tomo 6. Chrysost. Non inquam hi autores, à cæterorum catholicorum sententia, de vero & perfecto Iosephi & Mariæ coniugio rato dissident: sed quod Canisius c. illo 11. & Castro c. 4. historiæ n. 17. fusiùs prosequuntur, matrimonium quod erat duntaxat ratum, maluerunt nomine *sponsalium* appellare, & Virginem *sponsam* potiùs quàm *vxorem* ac *nuptam* dicere; vt suspicio carnalis commercij, ac vsus conjugij Iosephum inter ac B. Virginem, longiùs amoueretur. Præiuerátque S. Lucas qui c. 2. de industria vocasse videtur Virginem *desponsatam Iosepho vxorem*. Nomen certè *nupta*, corruptam à viro sonare, monstrat. Cerda c. 144. Aduers. n. 41. Itaque meritò negatur Virgini.

Difficultas de cohæsione conjugij Deiparæ, cum voto Virginitatis.

7. PVnctum alterum quod excutiendum proposueram, nempe quomodò veritas conjugij rati, cohæreat cum voto virginitatis priùs emisso per Deiparam, æquè locum habuit circa votum virginitatis editum à S. Pulcheria, & tamen posteà saluo voto, coniuncta Marciano Imperatori per verum matrimonium ratum, vt latè refert Baro. anno 450. Súntque etiam alia exempla Christianorum coniugum, qui post addictam Deo virginitatem, iusta de causa, salua voti religione, celebrauere matrimonium ratum. Sed circa Deiparam, cuius interna puritas extra omne dubium est, pungit maximè hæc difficultas: quæ posset sanè inexpedibilis videri, si vera esset sententia Michaelis Medinæ l. 5. de sacrorum hom. continentia c. 70. & cuiusdam ab Hugone Victorino tacito nomine impugnati, lib. de perp. Virg. S. Mariæ. Asserit ea sententia, ad matrimonium necesse esse, vt contrahentes, consentiant expresè in vsum conjugij, seu commixtionem. Atqui B. Virgo dissensit expresè à copula; quandoquidem voto emisso professa est sibi cum viro rem non futuram, vt liquet ex illis verbis, *virum non cognosco.* Quomodò igitur iniuisset verè coniugium, si de ratione coniugij esset formalis & expressus consensus in copulam? Indubitatum igitur est, consensum in copulam qui est matrimonio internus, non defuisse B. Virgini; sed cum ita exponi oportere, vt cum voto omnimodæ abstinentiæ ab vsu coniugij, non collidatur.

Eius expeditiones incommodæ.

8. NEc omnis tamen expositio, concordiæ illius inter consensum coniugalem, & votum virginitatis, satisfacit. Nam Henriq. l. 11. c. 18. ita philosophatur, vt votum quod B. Virgo ante nuptias emisit, non fuerit votum absolutum virginitatis, sed duntaxat conditionatum, quale scilicet ferant hæc verba; *Voueo virginitatem, nisi Deus aliquid aliud sibi placere reuelauerit*; sic enim votum anterius B. Virginis, non fuit planè absolutum. At non nisi cum voto virginitatis absoluto pugnaret consensus in copulam. Itaque quando Deus ad matrimonium inuitauit B. Virginem, B. Virgo non voluit repugnantia, promens consensus in copulam coniugalem, qui est internus coniugio, & planè abhorrens ab eo consensu per votum virginitatis. Hæc explicatio modi quo votum virginitatis, & consensus in copulam matrimonio rato implantatus, probè cohæserunt, non est noua. Tradit eam Magister in 4. d. 30. S. Thom. 3. p. q. 28. art. 4. & q. 29. art. 1. Palud. in 4. d. 30. quos refert Isido. de Isolanis p. 1. operis de S. Ioseph. c. 13. & 14.

Non est tamen ea ratio concordiæ, votum inter & consensum coniugalem, accommodata: quia dignitas Virginis, & amor puritatis qui in ea quouis tempore

tempore viguit, non sinit dubitare, quin vt rectè asserit Martinus de Magistris l. de Temperantia q. 5. de virginitate, etiam ante nuptias Virginitatis amore flagrarit, eúmque etiam voto firmarit, absolutè & quauis conditione votum restringente vel limitante prorsus exclusa; ac nominatim ea quæ proponitur. Nam planè compertum erat Virgini, vsum coniugij non placiturum Deo in ipsa: atque ita directè per votum ab eo commercio abhorruit. Ex quo item Angelum ad se à Deo missum ad consensum circa conceptionem Filij eliciendum agnouit, vidisset se voto solutam si illud emisisset sub conditione quæ nunc proposita est. Quorsum ergo institisset sollicita pro voto à se emisso, si res se habuisset vt isti dicunt?

9. Aliam rationem illius nodi extricandi, iniuit Card. Vigerius Chorda 1. c. 14. & Iacobus de Valentia in Cant. Deiparæ ad vers. 4. dignitate 4. quem ante etiam latè prosecutus erat Hugo Victor. l. de perp. virg. S. Mariæ c. 1. & 4. Nimirum coniugium posse esse verum coniugium, absque vllo ordine, ac ne radicali quidem, ad commixtionem corporum; quia nimirum coniuges [pacto se voluntariæ sponsionis astringunt, vt abhinc & deinceps, semper in omni sinceritate dilectionis, in omni cura sollicitudinis, in omni affectu pietatis, in omni studio compassionis, in omni virtute consolationis, & fide deuotionis, hoc vterque sit alteri quod ipse sibi: vt quisque alterum quasi vnum secum factum attendat, tam in bonis quam in malis omnibus: sicut consolationis socium ac participem, ita & tribulationis & sufferentiæ indiuisum exhibeat. Postremò quantum foris ad necessitatem corporis attinet, quasi propriam carnem fouendam excipiat: quantum verò spectat ad amorem cordis intrinsecùs, quasi animum suum in pace & tranquilitate (quantum in se est,) sine perturbatione custodiat. Sic enim fit in sanctæ societatis pace & communicatione quiescentibus, vt dum vterque non sibi viuit, sed alteri; feliciùs atque beatiùs vterque viuat sibi.] Dedi verba Hugonis, quibus hæc sententia perspicuè exponitur. Recidítque in hanc sententiam Abelardus serm. de Incarnat. Nam agitata difficultate præsenti, & explosa necessitate consensus in copulam, vt coniugium sit verum, dissoluit difficultatem per consensum B. Viginis & Iosephi, in mutuum contractum virgineum; quæ est (vt vides,) proposita ex Hugone opinio.

10. Ei tamen subscribere non possum, quia nisi velimus euertere notionem matrimonij atque coniugij, fatendum est, ordinem aliquem ad commixtionem corporum, esse de intrinseca ratione coniugij. Et hac ratione, fœmina dicitur *viri adiutorium*; vtique ad procreationem liberorum, vt rectè S. Ambros. l. de paradiso c. 10. Sanè nisi ita esset, nihil vetaret coniugium iniri inter duos mares; vel inter duas mulieres. Conatus quidem est hoc argumentum retundere Hugo supra c. 4. sed frustra. Ait ergo primùm, Dei voluntatem ac iussum tulisse, vt coniugium non iniretur nisi inter personas duplicis sexus. Mox tamen videns, hoc esse inane; (Deus enim ita voluit, quia aliter fieri nequiuit, & natura rerum id ferebat; nec si posset iniri coniugium inter duos eiusdem sexus, habemus vbi Deus vetuerit ne ineatur, cum tantùm approbarit

coniugium duarum personarum diuersi sextus, prorsus silens de illo alio duorum eiusdem sexus coniugio:) videns inquam Hugo, primum illud suum responsum esse inane, subdit distinguens sacramentum coniugij, quod est ipsum coniugium, consistitque in fœdore dilectionis, à sacramento officij coniugalis, siue ab officio & actu coniugij, quod situm est in commixtione corporum, & prolis procreatione. Amorem coniugalem siue coniugium, ait esse sacramentum vnionis Dei cum anima. Vnde in canticis, ea coniunctio nomine sponsalium, & intemerati coniugij spiritualis exponitur. Officium autem, siue actum coniugij, ait esse sacramentum vnionis Verbi cum carne. Vnde quia Deus & anima, quorum coniunctio priore sacramento siue coniugio repræsentatur, valdè dispares sunt; non potest coniugium nisi inter valdè dispares (cuiusmodi tantùm sunt sexu differentes) iniri. Sicque vir est imago Dei: quia non secus se habet ad molliorem & sequiorem sexum sibi idcirco subordinatum, quàm Deus ad animam sibi spiritualiter copulatam, quod Hugo ingeniosè ac pulchrè prosequitur: sed parum fœliciter ad extricandum nodum præsentem. Nam coniugium esse sacramentum vnionis Dei cum anima, est aliquid mysticum, & voluntariè à nobis excogitatum ob analogias aliquas, quæ inter duas illas coniunctiones nobis occurrunt, non autem fundatum in natura rei, vel in prima institutione coniugij. Nec minùs eæ analogiæ locum habent circa vnionem humanitatis & Verbi, quàm circa vnionem Dei & animæ. Deinde redolent profectò ista, paradoxon Tertullianicum de sexu animæ, confutatum à Pamelio parad. 5. Nec anima modò fœminæ, (vt Tertullianus volebat) fœminea erit, sed etiam anima viri, per comparationem ad Deum, erit fœminea. Tandem non minùs reperiuntur in eodem sexu disparitates ingeniorum, in quibus fundari posset coniugium, quàm in diuerso. Sanè Aristoteles, quosdam homines, ait se habere ad alios vt pecudes ad homines, & in hoc fundat politiam.

Vera expeditio.

11. VEra igitur explicatio concordiæ quam quærimus, ex eo petenda est, quod matrimonium ratum, contineat quidem consensum in traditionem iuris in copulam coniugalem: non contineat tamen consensum in vsum illius iuris. Nam cum matrimonium consistat essentialiter in ea traditione iuris in corpora, fieri non potest, vt qui init matrimonium non consentiat in eam iuris traditionem. Quia verò vsus illius iuris, est aliquid posteriùs, rectè intelligitur, qui consentit in ius illud, posse dissentire circa vsum eiusdem juris. Consensus porrò in copulam, importatus in consensu traditionis mutuæ corporum, non est formalis consensus in copulam, sed tantùm radicalis: qui hoc operabitur, vt si is qui votum non vtendi eo iure emisit, retrocedat, fiátq; votifragus, vtens coniugio; sit quidem sacrilegus, non tamen adulter: Et vicissim, vt si fidem coniugi datam infringat, misceatúrque cum alia, non sit duntaxat fornicator, vt qui solutus cum soluta miscetur, sed verè sit adulter.

Eum ergo consensum radicalem, excluso per votum formali consensu in copulam actualem, siuè vsum iuris collati per mutuam corporum traditionem, sufficere posse ad matrimonium; inde perspicuum est, quod sublato vsu dominij in corpus, saluo iure impedito, potest cum matrimonio cohærere: vt patet in plerisque coniugibus, qui amore continentiæ, interdicunt sibi commercio coniugali; & tamen manent verè coniuges. Et quamuis communis sententia apud Sanchem l. 5. de matr. d. 10. n. 2. ferat, voluntatem retinendi castitatem in coniugio, non debere exhiberi inter contrahendum; quasi sic exhibita officiat substantiæ matrimonij; sed debere antecedenter aut consequenter exhiberi; tamen adhæreo sententiæ, quæ illam ligationem iuris coniugalis, tametsi concomitantem traditioni iuris illius, admittit probè cohærere cum matrimonij substantia, vt docent Rebellus 2. p. l. 2. c. 10. n. 19. & Ægid. disp. 24. n. 43.

12. Iuxta hæc facilè initur concordia voti virginitatis emissi ab initio per Deiparam, & consensus in copulam, inclusi in matrimonio rato, quod cum Iosepho celebrauit. Nam diuinitùs edocta, Iosephum fore fidum custodem virginitatis Deo addictæ, consensit in ius ad copulam: certa tamen ius illud cariturum omni exercitio, quod per votum exclusit. Nec ea exclusio fuit contra substantiam matrimonij, quia cum illa tantùm pugnaret, nolle contrahere obligationem, seu ius reddendi vel petendi debitum absque iniustitia. Quia verò B. Virgo per reuelationem certa erat, Iosephum nunquam exacturum vsum iuris ad copulam, quod per matrimonium ratum accipiebat: non est imaginandum quod sub conditione voluntatis Iosephi, consenserit quoque in vsum coniugij. Non est insuper imaginandum, quod actum his verbis subiectum elicuerit; *consentio in traditionem iuris mutui in corpora nostra, ac si Iosephus vellet, consentirem quoque in copulam, vi huius consensus sine adulterio secuturam:* vel breuiùs, *redderem debitum, si peteretur.* Talis quippe actus, supposita certitudine de nunquam ponenda per Iosephum voluntate vtendi iure tradito, esset actus otiosus, qui à Virgine ablegandus est. Imo actus ille esset illicitus, quia pugnaret cum voto per Deiparam emisso de perpetua virginitate. Alio item ex capite actus ille remouendus est à B. Virgine. Graues quippe Doctores, vt Caiet. 3. p. q. 28. art. vltimo, & alij quos magno numero appendit Morales l. 2. tract. 6. à num. 13. prodiderunt, Iosephum quoque ante sponsalia, & nuptias cum Deipara, emisisse votum virginitatis: vnde in vtroque hoc coniuge, cum volitione radicalis potestatis ad copulam, siue (vt loquitur S. Thomas in 4. d. 30. q. 2. art. 1. q. 2. ad 3.) cum consensu implicito ad copulam, in radice sua, & fundamento volitam; (Caiet. t. 1. opusc. tract. 31. resp. 2. vocat *consensum ad copulam in potentia*;) probè cohæsit formalis obligatio copulæ nunquam petendæ aut reddendæ, ob renunciationem liberi iuris petendi ac reddẽdi vtrimque factam & ligamen per vota vtrinque emissa iniectum potestati vtendi corporibus. Itaque actus ille, *redderem debitum, si peteretur*, non modo exulauit à B. Virgine tanquam otiosus, posita certitudine nunquam petendi debiti, sed etiam tanquam illicitus, & pugnans cum voto

vtrimque emisso, & mutua per vtrumque coniugem impeditione potestatis concessæ. Subscribunt huic doctrinæ, Henr. quodlib. 9. q. 11. Caiet. t. 1. Opusc. tract. 31. respons. 2. Pelbartus l. 1. stellarij p. 6. art. 3. c. 1. q. 2. Bellarm. l. de Monachis c. 22. Sanch. l. 2. de matr. disp. 28. Vasq. 3. p. d. 125. c. 7. Suar. t. 2. 3. p. d. 7. s. 1. Andr. Cydon. lib. 1. pro Baronio c. 7. Toletus in c. 1. Lucæ annotat. 57. Moral. l. 2. in Matth. tract. 7. ne quicquam refragante Catharino l. 4. contra Caiet. *pag.* 268.

Exclamare hîc potiore iure possumus, cum autore vitæ S. Cunegundis, S. Henrico Imperatori coniugatæ, salua vtriusque virginitate. [ô coniugium non voluptate, sed bona voluntate copulatum. O sanctum matrimonium, vbi vna fides inuiolatæ castitatis, vbi vnus spiritus misericordiæ & veritatis, vbi idem velle in virtutibus, idémque nolle in vitiis, vbi nec primus nec alter discerni potuit, dum alter quod primus voluit: vbi par animus in multifariis operum effectibus pares in duobus ostendit affectus. Quales has nuptias dixerim, nescio. Vnum scio, quia nescit nostra modo regio tales.]

Sanctitas Iosephi, ex vero eius cum Virgine coniugio.

13. EX veritate coniugij rati Iosephum inter ac Deiparam initi, proximè stabilita, erui solidè potest, summa Iosephi sanctitas. Laudaturus Honoratam S. Epiphanij Ticinensis germanam, Ennodius in vita Sancti illius Antistitis, [sufficit (inquit) ad laudum eius cumulum, dignam tanti viri sororem dixisse.] Quanto ergo altiùs euehitur S. Ioseph, cum tantæ Virginis, qua nihil orbis infra Christum vidit sublimius, non frater, sed vir, atque adeò portio & compars, nominetur & fuerit? Itaque quod Gregorio Nazianzeno de sororio suo B. Gorgoniæ marito scribere licuit, orat. 11. eum compendio summè laudari, & omnibus virtutum ornamentis clarum prædicari, cum audiebat *vir Gorgoniæ* tam piæ & tam sanctæ mulieris, tanto potentiùs vrget circa Iosephum, quanto fuit supra Gorgoniam altior & quomodolibet eminentior Deipara. Accedit quod pater putatiuus Christi fuerit, & eius curam pueri gesserit. Ex qua cura & conuictu, ac conuersatione assidua cum Christo, & eius sanctissima matre, dubitare non licet quin ad immensum gratiæ cumulum pertigerit. Nec licet ambigere, quin Deus qui dona muneribus aptat, Iosephum eligens ad tantum munus, vt dicat S. Damasc. orat. 3. de natiu. Virg. eam dispensationem esse omni sermone præstantiorem, præuenerit dilectum suum in benedictionibus dulcedinis tanto ministerio consentaneis quibus ad summum sanctimoniæ verticem proueheretur; nec prorsus vana esset imago patris naturalis, (quantum creata increatis componere fas est,) nimirum æterni Patris. Cum spiritu item sancto analogiam habuit, quatenus vterque fuit sponsus Virginis de qua proportione, planè Salaz. in c. 31. Prouerb. à numero 54. Vt non immeritò has viri sanctissimi prærogatiuas suspiciens Gerso serm. de Natiu. Virg. in Concilio Constantiensi, existimet eum per vitam vniuersam à labe mortalis cuiusuis culpæ fuisse præseruatum.

Scriptura eius sanctitatem eximiam satis expressit, vocans *virum iustum*, & proponens eius plusquàm humanam patientiam, in accepta (vt rebatur,) per vxorem à se intactam, aliundè grauidam, iniuria æquanimiter ferenda. Huc enim pertinet illud, *cum esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Nolens inquam infamare vxorem, *παραδειγματίσαι exemplare*, vt vertit D. August. epist. 59. q. 7. *idest exemplum statuere, & publicare*, cogitauit de ea clam dimittenda. Hic enim est germanus illorum verborum sensus, vt latè prosequitur Vasques 3. p. d. 125. c. 10. Quod autem aliqui etiam Patres, quos adducit & sequitur Pelbartus l. 8. stellar. p. 2. art. 2. c. 2. *traducere* interpretantur, *ducere in vxorem*, quæ eatenus tantùm sponsa fuisset; ita vt sensus sit, Iosephum agnita Virginis ex Spiritu sancto inprægnatione, indignum se duxisse qui cum illa versaretur, & vir eius audiret; hoc inquam videtur refelli ex illis Angeli verbis, *noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Hæc sanè ratio accipiendæ & retinendæ vxoris, non cohæret cum proposita causa, non accipiendi vxorem B. Virginem. Imo magis firmaret eum in voluntate non accipiendi illam vxorem.

Fuit ipse quoque, Virgo.

14. NOn deficit viri huius sanctissimi ornamentis integritas corporis. Qui enim eum bigamum fecerunt, eúmque integritatis corporeæ laude spoliarunt, (vt Caietanus in c. 1. ad Galat. parum cohærenter ad ea quæ alibi tradit, vt ei exprobrat Catharinus l. 4. contra eum *pag.* 271.) ducti sunt in errorem, ex eo quod memorentur in scriptura fratres Domini, quos censuerunt fuisse filios Iosephi ex anteriore matrimonio, non autem ex Virgine post editum Christum, vt blasphemabat Heluidius à D. Hieronymo contritus, & benè à Castro V. *Maria mater Dei*, hær. 1. Eam interpretationem de fratribus Domini, Iosephi filiis ex anteriore matrimonio, habet creditus Ambrosius in c. 1. ad Galat. *ferè in fine.* Nec rejicitur à vero Ambrosio l. de instit. Virg. c. 6. disertéque asseritur à plerisque Patribus, quos non satis commodè explicat Vossius ad orat. 3. Gregorij Neocæsar. de Annunc. dicens, id esse assumentum hæreticorum ad scripta Patrum. Vera ergo expositio scripturarum memorantium fratres Domini, probè cohærens cum S. Iosephi virginitate, ea est; quod solemne sit scripturis, vt ij dicantur alibi ij fratres qui eum cognatione quoque modo contingunt. Videsis in eam rem Riberam in c. 2. Ioan. ad illud, *& fratres eius*, & Toletum in idem caput 2. Ioan. annot. 18. Lippomanum in præmonitione ad orationem S. Chrysostomi de Annunc. tomo 2. vitæ SS. 25. Martij, & fusè qui fuerint hi fratres Domini, disquirentem Castrum in hist. Deipar. c. 1. Siue autem addicti sint fratres Christi, quia erant Christo propinquè ex parte B. Virginis, vel quia eundem necessitudine contingebant secundùm communem existimationem, quia erant propinqui Iosephi, perinde est. Nobis sufficit quod non sunt dicti fratres Christi, eo quod

M 3

essent filij Iosephi; ea ratione qua priuignus, filios nouercæ ex anteriore matrimonio, vocat fratres, quia sunt filij eius quæ patris vxor est.

15 Passim sanè Patres, Iosephum agnoscunt Virginem, & ab opere nuptiarum alienum. Multos proferunt Baro. in apparatu n. 48. Tol. in c. 2. Ioan. annot. 2. & in c. 1. Lucæ annot. 59. Suar. t. 2. 3. p. d. 5. s. 4. concl. 2. ac Spinellus tract. de virginibus n. 14. Mihi sat eruat Hieronimus l. aduersus Heluidium, Gregor. Neocæs. orat. 3. de Annunc. & Damasc. orat. 1. de natiu. Virg. qui illud Isaiæ 29. de libro signato, dando viro nescienti literas, interpretantur de Iosepho, qui librum virgineum grandem, (vt eum c. 8. appellat. Isaias iuxta Epiphanium hær. 30.) legere non posset, quippe nesciens literas, & inexpertus operis quo liber ille legendus esset; idest professus virginitatem, etiam in coniugio. S.Bernardus de Iosepho accipit & de Virgine illud cant. 2. *qui pascitur inter lilia*. Lyranus & vtraque Glossa nec pauci DD. apud Gersonem epist. de celebrando festo S.Iosephi de Iosepho accipiunt illud eiusdem Isaiæ cap. 62. *habitauit iuuenis cum Virgine, & gaudebit sponsus super sponsam*. Nam vox hebræa quam vulgatus interpres expressit per verbum *habitauit*, coniugale fœdus significat, & æquè verti poterat, *maritabitur*. Iuuenis ergo, non virilis ætatis ante senium, sed maturus, (vt philosophatur Isolanus p. 2. c. 4. & fauet Baron. anno Christi 12.) cum Virgine maritabitur, quod tanquam valdè mirum proponit Propheta; nimirum quia iuuenis ille, & quæ ei copulabitur virgo, non vt cæteræ virgo esse desinet per coniugium; sed ambo perstabunt virgines; nec aliter se habebunt quoad integritatis detrimentum, quàm sponsus & sponsa.

Florebat ætate, cum Virginem desponsauit.

16. Ludunt autem nos, quibus omnia licent pictores, atque Poetæ; Sannazarius, Schaliger, Nouidius, cum S. Iosephum exibent, non iuuenem, sed deuexa iam ætate, vel etiam planè canum & annis grauem; veriti ne si iuuenem maritum speciosissimæ Virgini adiungerent, vocarent in suspicionem, illibatum Virginis pudorem. Hic si eorum sensus fuit, abjiciendus est tanquam sensus hominis carnei, ac de suo sensu & experimento metientis diuina opera. At recogitatum oportuerat, senes exarsisse in Susannæ fœdum amorem. E contrario autem multos iuuenes, in medio æui florentis & ardentis carmino, Angelo Domini faciente medium fornacis quasi ventum roris flantem, non æstuasse in mediis ignibus, & ad extremam vsque ætatem, in quantisuis occasionibus, illæsos ab ea flamma peruenisse; ita vt obiectet intrepidè Tertullianus, Ethnicis à prima ætate in omnem libidinem proiectis, longè aliam esse Christianorum sanctimoniam; quos inter, multi reperirentur, pueri senes. Est hic effectus insignis, gratiæ diuinæ; quam si attendissent ac expendissent ij quos dixi pictores, & qui per eos in fraudem sunt acti, non timuissent puritati S.Iosephi, à contubernio Deiparæ, tametsi speciosissimæ: nec vt restinctos in eo carnalis amoris ignes docerent, exhibuissent illum annosum, ac in-

curuum, atque adeò per ætatem & senile frigus ad coniugij opera inidoneum, ridiculam planè & Theognidi ac Aristophani apud Clementem 6. strom. c. 1. aliísque Ethnicis apud Tiraquellum in l. 6. connub. valdè improbata, quippe maximè indecora, coniugum adeò ætate disparium consociatione, tribuentes Deo, huius inter Virginem & Iosephum connubij paranympho: qui præterquàm quod nihil facit indecorè, vnde à Pythagoræis meritò dictus est *ipsum decens*, adiutorem Virginis in peregrinationibus, & prole educanda, & famæ bonæ tutorem, prouidere statuebat per huiusmodi coniugium: ad quorum neutrum, esse vsui poterat, homo per ætatem ad opus nuptiarum inidoneus. Qui enim vacasset suspicione speciosissima puella, homini centenario coniuncta, aluo gerens? Quæuè ab copulari sene solatia, & vitæ subsidia, ac peregrinationum leuamenta, expectare potuisset?

17. Quare ratum esto, iuuenem Virginem, (vt ex Isaia referebam) cum Virgine habitasse, coniugem mentis affectu, non carnis commixtione. Nec quoad Virginem duntaxat purum & nitentem à quacunque carnis violatione obiisse, quod fide sanctum est, sed etiam alia quacunque ratione: ita vt non modò vsu quolibet alterius coniugij caruerit, quippe qui fuerit monogamus, sed planè virgo, (vt tantæ Virginis sponsum decebat) vniuersam vitam exegerit. Idque significare debere virentem ramusculum, qui in eius manibus pingi solet; non autem quod ex libro de natiu. B. Virginis apud Hieronymum, à pictoribus expressum est, optimè notauit Molanus l. 3. de picturis c. 12. & l. 2. c. 29. confirmans ex S. Hieronymo contra Heluidium disputante, coniugium Iosephi & Deiparæ, fuisse coniugium: Et cum Ioanne Hesselio in 4. dist. 28. ac Tristando de l'Estaigne tract. de S. Iosephi pictura, latè demonstrans, quod diximus de iuuenili & florente ætate S. Iosephi, cum B. Virginem accepit coniugem. Quod item egregiè confirmat Card. Vigerius chorda 1. c. 12. & subscribit Maior in c. 2. Matth. dub. 10. & Matthias Naueus orat. 20. de S. Iosepho. Quanquam Gerso qni serm. de Natiu. Virg. in senilem per tempus initi coniugij S. Iosephi picturam conclamauit, benignè eam interpretari conatus est in Iosephina d. 5. cum ait.

Ergo Ioseph reputasse senem, fecere seniles
In se virtutes, vel neu carnalis haberet
Suspicio de te quicquam carnale Maria.

Idem habet Pelbartus l. 1. stellarij parte 6. art. 3. c. 1. *sub finem*. Sed parum refert quomodocunque intelligatur pictura, dum de re constet: in qua non possumus S. Epiphanio subscribere, qui hær. 78. Antidicomar. refert Iosephum octogenario maiorem, imo viduitatis suæ annum octogesimum iam agentem, atque adeò centenarium, iniuisse coniugium cum B. Virgine. Ei tamen vix vllus ex Patribus adhæsit. Nam Nicephorus qui 1. histo. c. 7. senem exhibet tempore celebrati coniugij Iosephum, nec Patribus, nec Catholicis scriptoribus annumeratur, deéstque illi etiam à cana vetustate autoritas. Non potest

item obtendi diuinum suffragium in eo Valentino mercatore proditum, quem S. Vincentius sermone quodam de Natiu. Dom. refert quotannis in die natiuitatis dominicæ solitum pauperem senem inuitare in domum suam, itémque pauperem mulierem cum paruulo quem lactaret, vt Iosephi, ac Deiparæ, & pueri IESV imagines sibi ob oculos poneret; in morte ab apparentibus Christo, Deipara, atque Iosepho audiuisse, *quia nos recepisti in domo tua, ideò nos recipiemus te in domo nostra.* Deus enim in eo facto, (vt sæpè alias) attendit ad pietatem mercatoris, errori licet speculatiuo coniunctam.

Eius Humilitas summa, in tanta sublimitate.

18. VIrginitatis collactanea est humilitas, iuxta Blesensem serm. 35. & vt ait S. Fulgentius epist. ad Probam, virginitas virginitatis est humilitas. Quid enim refert carnis integritas, mente per fastum ac superbiam corrupta. Iosepho igitur Virgini, hæc virtutum coronis, & animæ ipsius Virginitas minimè defuit; sed humilitatem, cuius præcellentissima exemplaria habebat semper ob oculos, studiosissimè adamauit. Quid enim aliud præstare poterat homo, cui Deus ipse subditus erat, & Virgo iure coniugij obnoxia, ac tanquam capiti subiecta, quàm vt quanto maior erat humiliaret se in omnibus? Non ignorabat ipse quidem sua decora, nec quam familiam ductaret. Nouerat se paradisi mystici custodem Cherubinum, vt scitè Isolanus parte 3. c. 22. Sciebat constitutum se à Deo multo veriùs quàm vmbratilem illum Iosephum, dominum domus suæ, & principem omnis professionis suæ, vt S. Bern. hom. 3. super, *Missus est* scitè accommodauit: nam & matrem domini accepit in sua, potestatem inquam in eam, id est ius in eius corpus vi coniugij habuit, quæ possessio quædam fuit longè pretiosissima, & vt S. Ambros. in exhort. ad Virg. nominat possessio gratiæ, omnibus luteis opibus immenso spatio antecellens. Per Virginem autem, facta item Iosephi est proles in Virgine absque coniugij iniuria, miraculo enata. Nam iuxta Iurisperitorum effatum Instit. de rerum diuis, §. *cum in suo*, quod in alieno solo nascitur aut ædificatur, sub illius possessione ac iure nascitur, cuius est solum. Nec fons per miraculum exortus in fundo cuiuspiam, minùs eius est quàm si naturaliter ibi scaturiisset. Et ita apertè Gerso serm. de Natiuit. Virg. consider. 4. & pulchrè Card. Vigerius chorda 5. c. 13. & Gersoni subscribens Iacobus de Valentia in Cant. Deiparæ ad vers. 4. dignitate 6. Præiuerat his omnibus S. Aug. l. 1. de nupt. c. 11. & l. 5. contra Iulia. c. 9.

19. Talem igitur ac tantum se agnoscens Ioseph, humillimus tamen perstitit, ac vt S. Basil. in Const. Apon. c. 5. considerat, in perfectum obedientiæ & demissionis exemplar quod præsto semper erat, intentus animo; coniugis item humillimæ sensibus per diuturnam conuersationem imbutus, occulebat tam pretiosum virtutum omnium margaritum, vili & despicatissimo ostreo artis fabrilis quam factitabat; siue ferrariæ, siue lignariæ; nam vox Græca τέκτων, vtrumque sonare potest, & Patres variant sententiis. Ferrarium censuit

fuit S.Hilar. can. 14. in Matth. Chrysol. serm. 48. & 49. Beda 2. in Marc. c. 23. S.Leander lib. de instit. Virg. c. 23. S. Isid. in reg. monach. c. 5. Haymo Isidonum exscribens l.2. de variet. c. 2. Petrus Babyon (creditus Anselmus) Matth. 13. Caiet. in c. 3. Lucæ. Lignarium verò existimarunt Iustinus cum Thryphone, S.Ambros. serm. 16. & concinnè initio tertij in Lucam, Chrysostomus in Psal. 44. ad illud, *diffusa est gratia* & hom 30. in ad Rom. Autor imperfecti in Matth. hom. 1. & 32. Lyranus Matth. 13. S.Leander Isidoro fratri contrarius l. de instit. Virg. c. 14. Antiquus scriptor vitæ S. Iosephi, compendio expressus ab Isolano p. 4. c. 9. Latè & multis congruentiis, prolatis Isolanus p. 1. de donis S. Iosephi c. 15. Et iisdem quoque ratiunculis congestis Pelbartus l. 8. stell. p. 2. art. 1. conclus. 3. Obiter Menardus ad c. 55. concordiæ regul. §. 17. idem habere videtur communis fidelium iam olim persuasio, vt monuerunt Sixtus Senensis l. 6. bibl. annot. 63. ac Matthias Naueus orat. 6. de S. Iosepho, Estius in c. 13. Matthæi, Molanus l. 3. de imag. c. 12. Castro c. 4. histor. num. 9. Suar. t. 2. 3. p. d. 7. s. 3. Tolet. in c. 2. Ioann. annot. 18. ac cum innumeris Morales l. 3. in Matth. tract 15. à n. 12. Ex illa persuasione, Christianus apud Theodoretum 3. histor. c. 18. & apud Sazomenum l. 6. c. 2. & Nicephorum l. 10. c. 35. cauillanti Libanio, ecquid faceret lignarij fabri filius, mox Iuliano è Persis reduce Christianismum vastaturo respondit; *Sandapilam Imperatori tuo elaborat lignarij fabri filius.* Et sane vocem Græcam τέκτων, quam vulgatus vertit *fabrum*, magis propriè significare *fabrum lignarium*, docet Moschopolus cap. 1. de schedis. Fuisse qui cæmentarium dixerint, scribit Consaluus Durantus ad librum 6. Reuelat. S.Birgittæ c. 58.

20. Vt vt sit, Iosephus in speciem tam abiectus, & humili opificio victum sibi, ac coniugi, & beatæ proli parens humilitatis ac modestiæ in tanta sublimitate eximium specimen fuit: monstratúmque eo exemplo est, quod optimè vidit S. Chrysosto. hom. 20. in 1. ad Cor. non esse despiciendos qui iuxta seculum iacent, & in tenui fortuna ac simplicitate, vitam exigunt virtutibus locupletem, vt Iosephus exegit. Apage tamen eorum tarditatem impietate non vacantem, meritò à Molano l. illo 3. de imag. c. 12. cum stomacho reiectam, qui humilitatem tranquillitatémque animi summam, in S.Iosepho sponsam grauidam agnoscente, perperam interpretati, S. Iosephum simplicitatis asininæ fuisse volunt; vsque adeò vt quem parum cordatum & in rebus agendis planè rudem, ac in graui casu stupidum & incurium significare volunt, adagiali formula, *Iosephum* nominent. Hoc conuitio non tam B. Iosephus, & eius nuptiali fœdere socia Beatissima Virgo impetitur, quàm Deus ipse, elector Iosephi in filij sui nutritium, & matris maritum. Ex quo fundamento Isolanus p. 1. c. 16. eruit S. Iosephum inter omnes sui seculi viros, ingenio valuisse. Nempe quantum ferebant concredita munera; (dimissis auxesibus recentiorum, quod S.Ioseph, posset totum mundum gubernare, vt habet Morales l. 5. in Mat. tract. 7. n. 5. & l. 3. tract. 8. n. 38.) Scriptura sanè non modò illam eius placiditatem animi quam isti sugillasse videntur, valdè commendat, sed etiam eius prudentiam, in declinanda Archelai ditione cum ex Ægypto rediret, testatam dedit.

Honores ſeri, auctiores in dies.

21. VErùm hæc propè obiter, de ſanctiſſimo Virginis ſanctiſſimæ, Virgine ſponſo, ob materiæ nexum, haud extra rem; quæ alij pleniſſimè ſunt perſecuti. Nominatim Caniſ. l. 2. de Deipara c. 13. Caſtro c. 4. Hiſtor. q. 4. & 5. Morales in opere in Matt. Suar. t. 2. 3. p. d. 8. *tota* Lippomanus p. 1. Epitomes ſanctorum *in Ioſepho*. Carthag. t. 1. de B. Virgine l. 4. *toto*. Pelbartus in ſtellario lib. 8. parte 2. *per multos articulos*. Gerſo in Ioſephina, & variis aliis lucublatiunculis Matthias. Naueus triginta & vna de S. Ioſepho orationibus, Hieronimus Gratianus in opere de S. Ioſepho, & Iſidorus de Iſolanis lib. de donis S. Ioſephi, qui parte 4. in procemio, ſe omnium primum de S. Ioſepho librum ſcripſiſſe affirmat (falsò vt ex dictis vides, contra quàm ipſemet habet p. 3. c. 6.) ea tamen parte 4. prædicti operis, in proœmio non falſus vates apparuit, cum ſcripſit venturum aliquando tempus, cum præ vbertate lectiſſimarum de S. Ioſepho ſcriptionum primitiæ illæ vileſcerent. Id enim ipſi contuemur, & veluti attrectamus. Vt & illud quod p. 3. c. 6. *in fine*. & c. 8. confirmat, nimirum tametſi Eccleſia non multo ante, feſtiuam eſſe S. Ioſephi memoriam anniuerſariam, & officio Eccleſiaſtico illuſtrem, conceſſerat; (tempore Thomæ Valdenſis qui Iſolanum ſeculo integro non præceſſit, nihil tale in vſu erat, vt ipſe teſtatur l. 4. doctrinal c. 39.) tamen affore dies, quibus mouente ſemper ad vlteriorem dilecti ſui venerationem, Spiritu ſancto; corda fidelium, templa, & aræ, ac cœnobia, ſub eius nomine conderentur, ac eius feſta dies valdè celebraretur poſt planè antiquatum & ſepultum errorem de Chriſto vero eius Filio; quam fuiſſe cauſam tamdiu differendi honores S. Ioſephi ſcribit Matthias Naueus orat. 1. de S. Ioſepho ex Vbertino l. 2. c. 6. Hoc ætati noſtræ, per Dei bonitatem obtigiſſe gratulamur. Et æquiſſimum eſt, ſic honorari quem Rex voluit honorare, [fidelis ſeruus & prudens eſt vt ait S. Bern. homil. 2. ſuper *Miſſus eſt*, quem conſtituit Dominus, ſuæ matris ſolatium, ſuæ carnis nutritium, ſolum denique in terris, magni conſilij coadiutorem fideliſſimum.]

22. Nihil verò qualeſcunque honores noſtrates, præ iis quibus S. Ioſeph in cœlo afficitur iam rediuiuus. Eum quippe reſumpto iam corpore in cœlo viuere, docere videtur, quod nullæ vſpiam extant eius reliquiæ, diuinitùs, ſi extarent, haud dubiæ patefaciendæ. Idem affirmat diſertè S. Bernardinus t. 3. ſerm. de S. Ioſepho art. 3. c. 2. quem adducit & ſequitur Iſolanus p. 4. c. 3. & cum permultis Morales l. 5. tract. 11. n. 7. & 19. conſentiúntque Matthias Naueus orat. 28. de S. Ioſeph, & Salianus anno 4065. n. 5. Vix enim vllum congruentiùs iis qui cum Chriſto ſurrexerunt ſanctis, nec poſtea obierunt, quis annumeret, quàm S. Ioſephum, poſito quod Chriſto ſit præmortuus, quæ eſt veriſimilior ſententia, vt inferiùs monſtrabo tractans Beatæ Virginis viduitatem. Teſtatur quidem Beda l. de locis ſanctis c. 6. monſtratum eſſe eius ſepulchrum in valle Ioſaphat, propè tumulum S. Simeonis ſenis.

Sed hoc rectè cadit in sepulchrum cui illatus est confestim à morte,& in quo hæsit vsque ad Christi resurrectionem. Inde autem non habetur, superfuisse in eo tumulo exuuias corporis sancti viri, cuius carnem ex tot osculis Verbo infanti appressis, non vidisse corruptionem, indéque hausisse præcocem regressum ad vitam æternam magnæ gloriæ vbertate diuitem, iisdem rationibus conjicimus,quibus Gerso tract. 2.super Magnificat,prope immensùm auctam S. Iosephi gratiam, ex osculis datis puerulo IESV, vicissímque acceptis, & tanta eius cura, quæ Iosepho nomen sublimissimum, veréque eminentissimum *Patris Christi* titulum conciliauit, vt benè disserit Cyrillus Hierosol. Cateh. 7.

Furfur doctrinæ; S. Iosephi sanctificatio in vtero.

23. HÆc de S.Iosepho, & virginis cum eo desponsatione à SS. Patribus syncerè ac purè tradita, nonnulli recentiores tanquam amurca commixta, inquinauerunt, ea ad S.Iosephi decus comminiscentes, quæ cum sint à vero aliena, non possunt ad illius gloriam facere. Et imprimis plerique, S. Iosephum in vtero matris sanctificatum esse affirmant, vt Isolanus 1. p. c. 9. ac Morales l. 3. in Matth tract. 2. à n. 13. vbi benè multos profert pro hac Iosephi vterina sanctificatione. Alios profero cum de præpropera iustificatione SS. vbi hoc priuilegium vacare fundamento plenè monstraui. Et sanè si ob nostras duntaxat ratiunculas congruentes, quæ nunquam desunt, libeat limitare generales regulas de ortu omnium infantium cum peccato, iuxta illud, *nemo mundus à sorde, neque infans cuius est vnius diei vita super terram*; erit qui vlteriùs fingat, S. Iosephum non modò post contractum peccatum originale sanctificatum esse in vtero matris,vt isti asserunt; sed etiam nunquam contraxisse peccatum originis. Neque enim congruentiæ quæ afferuntur pro sanctificatione ante natiuitatem, minùs valent pro sanctificatione in primo momento animationis eius; quod tamen nemo hactenus ausus est dicere de S.Iosepho, cum deficiant circa illum suffragia pleraque in verbo tradito contentu, quæ suppetunt quoad solam Deiparam. Esséque de fide, solam Virginem esse à peccato originali præseruatam, affirmant Morales l. 3. in Matth. tract. 2. n. 11. post Valentiam 1. 2. d. 6. q. 11. p. 2. Quare sicut voluntaria hæc limitatio vniuersalium regularum, non admittitur quoad sanctificationem ante Natiuitatem, admittenda est. Subit profectò animum cum hæc recogito, non abs re Spiritum sanctum permisisse, vt essent qui obfirmatè aduersùs immaculatam ipsius Deiparæ conceptionem niterentur. Nam si ea piissima & verissima sententia, careret aduersariis acriter in contrarium nitentibus, essétque nobis summa pax ea in parte, non defuissent haud dubiè, qui similem prærogatiuam aliis quoque, (& beato Iosepho præsertim) arrogandam contendissent.

Item quod in via Deum viderit.

24. EIusdem farinæ est, quod recentiores tradunt S. Iosephum vidisse in hac vita clarè & intuitiuè Deum. Ita Morales l. 1. in Matth. tract. 1. n. 14. post Hieronymum Gratianum l. 5. de S. Iosepho titulo 3. n. 9. & post vtrunque Celada in Juditha figurata n. 43. argumentum petitur, ex concessa Dei visione in hac vita Deiparæ, cui congruum est, S. Iosephum donis ac priuilegiis æquiparari. Sicut ergo B. Virgo aliquando vidit Deum in hac vita, vt perspiceret quid ferret titulus matris Dei; ita B. Iosepho idem concessum est, vt meliùs posset penetrare munus patris putatiui, & attestari Christo Deo & homini. Et huc referunt quod S. Bern. hom. 2. super *Missus est*, ait Deum Iosepho æquè ac Dauidi, manifestasse incerta & occulta sapientiæ suæ. Itaque sicut in transfiguratione, monstrata raptim est Apostolis Dei essentia; & Paulo item in raptu, nec non Moysi ex priuilegio obtigit videre in hac vita obiter Deum; cur diffiteamur, idem à Christo concessum sanctissimo suo nutritio, à quo tot beneficiis per annos complures obstrictus est?

25. Hæc omnia per se concidunt. Nam B. Virginem vidisse aliquando in hac vita Deum, tametsi à multis iactatur, non est tamen vel certum, vel euidens, vt infra monstrabo. Et quamuis id B. Virgini concederetur, quæ ista in priuilegiis extendendis licentia est; vt quod ei est datum, alteri cuipiam datum velimus, cum tamen constet, illam semper & vbique, præcipuo iure nobilissimis prærogatiuis gaudere? Munus verò Iosephi, non plus ferebat necessitatem contuendi in hac vita Deum, quàm munus Præcursoris, vel Apostolorum, quos æquè fingere liceret subuectos in hac vita ad Dei visionem, vt perspicerent eminentiam muneris, quo Baptista præco Christi, Apostoli autem legati Dei, constituebantur. Satis ergo supérque, sicut Baptistæ & Apostolis, ita & Iosepho esse potuit, ad muneris concrediti sublimitatem agnoscendam, quod copioso scientiæ infusæ lumine collustraretur, vt reuera est collustratus. Denique argumentum à minori ad maius, hoc est à concessa tribus Apostolis in Transfiguratione, & Moysi ac Paulo, intuitione Dei, est inane planè ac ruinosum. Imprimis quia si ex scripturis tale aliquid circa hos sanctos colligeretur, vt nonnullis est visum; non liceret nobis absque simili in scripturis fundamento, idem priuilegium diffundere ad alios sanctos, quantumuis eximios, & fortassè sublimiores ac Christo coniunctiores. Deinde Apostolos Transfigurationis testes vidisse diuinam essentiam, falsum est. Et qui id olim de fide esse contenderat Turrianus in antapolog. *à pag.* 66. postea id retractauit in defens. libri septimi const. c. 19. & l. 1. ad. c. 6. Patres verò quos ille plurimos protulerat, & quibus nixi Græculi apud Bzouium anno 1336. n. 29. in eam sententiam velut certam concesserant, rectè exponuntur de signo aliquo in quo Apostoli viderint diuinitatem, non in seipsa, vt rectè Sanctesius Repetitione 4. c. 10. & Maldonatus in c. 17. Matthæi vers. 2. post Cyparissiotam dec. 6. à c. 4. & Barlaamum Monachum apud Bzouium 1331. n. 12. Idem

dico de S. Paulo ac Mose, quos vidisse hîc clarè Deum, problematicè tuetur Val. 1. p. d. 1. q. 12. p. 7. & affirmant quoad Mosem pauci quidam, annuente subobscurè Diuo Augustino epist. 112. c. 8. & 13. ac S. Thoma 1. p. q. 12. art. 11. Quoad Paulum verò omnino multi ita senserunt apud Iustinianum 2. Cor. 12. ad vers. 4. & subscribit Castro V. *Beatitudo* hær. 1. sed refragatur quoad Mosem, quod etiam fecere permulti Patres apud Maldonatum supra, & apud Vasquem 1. p. d. 55. n. 2. ac vt videtur ipse Baptista Ioan. 1. iuxta expensionem verborum illorum, *Deum nemo vidit vnquam*, traditam à Toleto ibi annot. 53. & à Maldonato n. 167. Nec eam opinioné fundari nisi in hebraismo malè intellecto, monstrat Delrio adag. 89. tom 1. Quoad Paulum item refragatur Mol. 1. p. q. 12. art. 11. d. 2. Suar. l. de vis. Dei c. 30. n. 17. Salaz. 1. 1. tract. 2. d. 10. s. 4. ac Cornel. 2. Cor. 12. v. 4. & ibidem Iustinianus. Nec fortassis malè Lorinus 1. Ioann. 4. ad vers. 12. omnibus omnino, siue veteris siue noui Testamenti sanctis, prærogatiuam clarè nisi in hac vita Dei, abrogauit. Quare ruunt omnia, quæ pro ea sancti Iosephi prærogatiua, afferebantur.

Item quod non Faber mechanicus, sed Architectus nobilis fuerit.

26. NOuitas, veriùs simplicitas qua aliqui consulentes honori (vt putabant) S. Iosephi, negarunt eum siue lignarium siue ferrarium aut etiam cœmentarium opificem fuisse, dixerunt autem fuisse nobilem architectum ad varias artes quem vulgo vocant *Ingeniarium*, apud nullum ex tot Autoribus qui de S. Iosepho scripserunt, qui eam assereret, mihi occurrit. Refert tamen illam Matthias Naueus orat. 13. de S. Iosepho, qui ait, eos causatos nobilitatem S. Iosephi quam dedecebat vile opificiū manuarium: áditq; aduocatos ab eis in suam sententiam Euangelistas Matthæum c. 13. Marcum 16. qui Iosephum generali voce, nulla adhibita restrictione, vocant *fabrum*, quod nomen in architectum nobilem ad varias artes, & industrium machinatorem, affabre quadrare opinantur. Quam eorum cogitationem *ex deuota zelosáque pietate* processisse, admittit supra Naueus.

Hæc est manifesta heteroclisis, omnibus retrò Patribus & Doctoribus incomperta, nec satis cohærens cum narratione Euangelica, quæ Christum à Iudæis per contemptum, Fabri filium (vt putabatur) appellatum prodit, & eo nomine causam præbuisse admirationi refert, quod literas sciret qui non didicisset, quippe à Patre opifice ad studia literarum nequaquam adhibitus. Quæ omnia non absurdè de filio opificis manu sua victum parantis, cuiusmodi est faber lignarius aut ferrarius, iactari potuerunt; spectato vsu communi, de filio autem nobilis architecti non item. Aduersatur præterea hæc nouitas diuino consilio, quod non nobilem secundùm carnem attento præsenti tunc statu, sed humilem opificem Filio vnigenito adscriptitium Patrem prouidit, vt exemplo esset mortalibus ad calcandam secularem nobilitatem, vt egregiè obseruauit

S. Augustinus l. de Catechiz. rud. c. 22. Omnes præterea congruentiæ, siue ab hoc siue ab illo opificio petitæ, quas Patres superiùs adducti proposuerunt, euanescunt iuxta hanc nouitatem. Neque enim vel cum Iustino in Dialogo cum Tryphone, dici potest, fabro adiunctum Christum iuga fabricasse, quia dicturus erat, *Tollite iugum meum super vos.* Nec cum Hieronymo in c. 6. Marci patrem putatiuum habuisse fabrum dici poterit, vt ostenderetur eius verè filium esse qui fabricatus est auroram & solem. Maximè item cum Chrysostomo homil. 1. in Matth. fas erit affirmare ex fabri vxore conceptum Christum quia per lignum salutem nostram erat consummaturus. Æquè item corruunt allusiones ad ignem quas PP. adhibent, qui Iosephum dixerunt fuisse fabrum ferrarium. Quare facessat ista non iam pietas, sed simplicitas atque nugacitas, quæ honori S. Iosephi consultum vult per ea quæ iuxta seculum minùs iacent: cum tamen Deus stulta mundi & contemptiuilia prælegerit.

Et quod Christum ex suis propriis sanguinibus compactum, possit dicere.

27. Circa coniugium Deiparæ cum S. Iosepho, facit qui ineptiret, inferendo ex eo, sanguinem B. Mariæ ex quo Christus compactus est, fuisse sanguinem Iosephi; quia eius erat corpus Deiparæ, in quo sanguis ille comprehendebatur. Ex quo vlteriùs inferebat, verum esse, corpus Christi fuisse formatum ex sanguine Iosephi. Refert hæc omnia Caiet. tomo 1. opusc. tract. 31. respons. 2. qui obseruat, falsò Theologum qui ista pro concione iactarat, pronunciasse per coniugium tradi corpus coniugis. Non enim ita est, sed datur duntaxat potestas vtendi corpore coniugis, in ordine ad sobolis procreationem. Vnde potestas coniugalis, (vt probè notat Molina de instit. tract. 2. disp. longè differt à dominio propriè accepto. Hinc ergo efficitur, ridiculè affirmari, Christum esse compactum ex proprio sanguine Iosephi; quia verè sanguis Deiparæ, non est datus Iosepho, vt neque corpus; sed tantùm datum est Iosepho, ius & potestas in corpus Deiparæ ad certum vsum. Quid quod etiamsi sanguis Deiparæ, ex cuius portione Christus compactus est, donatus fuisset Iosepho per contractum matrimonij; non tamen idcirco liceret inferre, Christum esse compactum ex sanguine proprio S. Iosephi? Nam in ea loquendi formula, significatur sanguinem esse eius partem, (eo modo quo sanguis est pars animalis;) non autem tantùm significatur, quod sanguis sit eius, *possessiuè* vt Caietanus loquitur. Id est quod ab eo possideatur, vt ager aut seruus. Itaque ea nouitas qua valdè extolli & commendari videbatur S. Ioseph, nititur mera æquiuocatione vocum illarum *proprius sanguis*, quibus propriè vsurpatis, euanescit ea nouitas, prout proponebatur. Subest tamen ei aliquid verum, & maximè faciens ad honorem solidum sancti viri, quod supra attigimus, tractantes eius humilitatem. Et fortassis aliud noluit Gerso parte 3. serm. de Natiu. Virg. consid. 4. qui idipsum dicere videtur, quod Concionator à Caietano discussus.

Item quod sit martyr, & martyris aureola donatus.

18. Recenset præterea inter sancti Iosephi titulos Isolanus p. 4. c. 4. quod S. Iosephus sit Martyr & Doctor; ita vt vtrique illi functioni destinatam aureolam possideat in cœlo. Hæc vt exponat Isolanus, supponit, quamuis inter nos nemo habeatur martyr, nisi de facto mortem pro Christo & veritate reuelata oppetierit; tamen in cœlo, multos esse martyres, & martyrij palma donari, qui sicca morte occubuerint: vt de S. Ioanne Euangelista & de S. Martino legimus, quibus accenset etiam S. Iosephum. Huius doctrinæ rationem ducit Isolanus, ex eo quod aureola martyrij debeatur ob excellentis victoriæ opera, edita pro veritate reuelata. Est enim aureola, gaudium de talibus pro veritate reuelata operibus, supra communem modum difficilibus, redundans ad corpus, cui in parte pro Christo læsa, sicut Doctori in ore, & Virgini in partibus nunc verendis, inuretur nota singularis, repræsentans aureolam animæ: ex cuius notæ contuitu, illico deprehendetur vnusquisque quis fuerit. Elicuisse ergo S. Iosephum opera victoriæ; quibus aureola martyrij rependitur, probat. Isolanus, quia S. Iosephus vicit Tyrannos Christum persequentes; in quam rem animam suam pro Christo dedit, & præcelluit charitate quæ martyrij signum est, gratiáque abundauit, ex cuius vbertate passi sunt qui sine controuersia habentur martyres.

19. Verùm vniuersa hæc ratiocinatio, adeò malè materiata est, vt nullis admotis machinis, per se concidat. Nam distinctio martyrum qui tales habentur in cœlo, ab iis qui in Ecclesia militante non habentur martyres, est apertè inanis, & iniuriam continet aduersùs Ecclesiam. Quomodò enim refugit Ecclesia agnoscere martyres, quos Deus in cœlo agnoscit martyres? Vel enim habent quæ Ecclesia docet necessaria esse, vt quis apud Deum reportet martyrij decora, vel non habent. Si primum dicatur, erunt igitur martyres, & apud Ecclesiam militantem, & in cœlo, si autem dicatur secundum, supponatúrque Ecclesiam non labi in doctrina de requisitis ad martyrium, & reportandam pro eo gloriam specialem apud Deum, (de quo nemo Catholicus ausit ambigere;) manifestè sequitur, eos ne in cœlo quidem martyres haberi. Nec exempla quæ proferebantur, iuuant eam distinctionem. Nam S. Ioannes Euangelista, vt ostendo in tract. de martyr. p. 2. cap. 1. n. 6. fuit verè martyr, & in terra & in cœlo, quia ea passus est, quibus mortem pro Christo subiisset, nisi Deus supra naturæ debitum obstitisset; quod non debet martyri ad gloriam officere. S. Martinus etiamsi per quandam auxesim dicatur palmam martyrij non amisisse, quia plurima pro Christo citra mortem pertulit, quæ illi satis supérque fuere ad consequendam gloriam essentialem, gloriæ plurimorum martyrum non imparem; ac etiam ea maiorem; tamen reipsa nec in terra nec in cœlo martyr fuit, quia passus est citra mortem, etiam secluso miraculo impediente: cum tamen perpessio mortis, saltem in causa, sit conditio ad verum martyrium requisita, vt benè cum aliis notat Henriq. l. de fine hom. c. 27.

n. 6. Vnde quia S. Iosephus nihil tale pro veritate reuelata excepit, vnde naturaliter esset illi moriendum, omnino expungandus est martyrum albo. Nec video quas victorias de Tyrannis Christum persequentibus ab eo reportatas fingat Isolanus. Nam declinare persequentes, quod vnum fecit S. Ioseph, non est opus victoriæ cui debeatur martyrij palma. Charitas verò qua flagrauit, & vbertas gratiæ qua abundauit, nihil ad martyrium referunt, nisi ex eis mors pro Deo oppetatur. Itaque S. Iosephum aliis gloriæ titulis diuitem, commentitio hoc titulo, quo non eget, honestare ne contendamus.

Quod item Doctoris titulo & aureola fulserit.

30. HAud aptiùs idem autor S. Iosepho vendicat aureolam Doctoris, quia Christum prædicauit factis, quod non minus est quàm verbis prædicare. Imo verbis quoque idem præstitisse ait Isolanus, cum inter Ægyptios, tum apud Iudæos, contestans vtrosque, IESVM esse Christum. Quam in rem exhibet hic autor paradigma concionis à S. Iosepho ad Ægyptios habitæ de vanitate idolorum, de redemptione orbis per Messiam orbi datum, déque similibus sacræ doctrinæ capitibus, quæ Iudæis quoque ab eo inculcata prodit: ita vt multi B. Iosephi adhortationibus ac sermonibus persuasi, manus darent, & in Christi partes concederent. Quidni ergo S. Ioseph Doctoris aureola potiri in cœlo censeatur?

Hæc Isolani concio veriùs quàm Theologica ratiocinatio, nullius est momenti. Dimittamus autem quod aureolam & Doctorum & martyrum, nominet gaudium. Quamuis enim ea sit D. Thomæ sententia in 4. d. 49. q. 5. & Espencæi digress. 23. in 2. ad Timoth. Tamen singulare gaudium quod beati de operibus excellentibus aureola donatis habituri sunt, est appendix ita nexa cum beatitudine illis operibus parta, vt non sit habitura rationem specialis præmij quale est aureola; quæ proinde constituenda est in clara notitia perenni, & fama, illustribus quibusdam operibus debita; siue adiunctam habeat impressionem physicæ qualitatis animæ vel intellectui beatorum, vt contendit Salaz. 1. 2. tract. 2. d. 8. n. 56. & 73. siue omni tali impressione careat quoad animam. Sed hoc (vt dixi) dimittamus, vt & illud quod aureolam Doctorum prout redundatura est ad corpus, iuxta verisimilem doctrinam. Cartusiani in 4. d. 49. q. 8. & Iosephi Angles q. de beat. *in fine*, ipse Isolanus imponit ori. Cur enim non digitis, si Doctor scriptione ad iustitiam erudierit alios? Hæc (vt dixi) missa faciamus. Quod hîc contra Isolanum vrgeri debet, illud est; non deberi doctrinæ aureolam, duntaxat ob ædificationem & exempla bona, quibus alii, mutis sed potentibus illicibus ad virtutem adducantur; sed deberi tantùm pro ea eruditione aliorum ad iustitiam siue verbo siue scripto præstita, qua Doctor non dignitate, aut euanido titulo, sed officio & munere, & doctrinæ suæ expromptione, vt benè prosequitur Henr. quodl. 2. q. 12. quasi imbres emittit eloquia sapientiæ suæ in vsum proximi, pro cuius spirituali profectu satagit, de quo plenè Pener. l. 15. in Dan. circa illud capitis

cap. 11. *qui ad Iustitiam erudiunt multos, tanquam stellæ*, & Carolus Regius l. 1. orat. Christ. c. 22. At nihil tale S. Iosepho licet tribuere. Nam quæ ab Isolano iactantur eius conciones, specimina sunt facundiæ Isolani. Sanctus autem Iosephus, qui sciret nondum aduenisse tempus quo sapientia inundatura esset orbem terræ, gemitu potiùs & orationibus, cæcitati Idololatrarum ac Iudæorum consulebat, quàm multis sermonibus, quibus portandis impares tunc fuissent. Quare hanc quoque aureolam, tanquam malè delatam, respuit S. Iosephus.

Ineptia quoad eius cum aliis cælitibus contentionem.

31. ÆGrè à me exoro, vt inuidiosum ornamentum memorẽ, quo non nemo hoc tempore, quoad gratiam & gloriam, S. Iosephum exornandum suscepit. Dimissis benè multis quorum scriptiones vernacula lingua prodiere, Ioannes Carthagena t. 1. de Deip. l. 4. homil. 8. contendit; S. Iosephum, vt gratia sanctificante, ita consequenter gloria, omnes infra Deiparam sanctos, cum Angelos tum homines superare. Quod probat ex coniunctione cum B. Virgine, atque adeò etiam cum Christo, & ex omnibus capitibus è quibus eximiam B. Iosephi gratiam supra monstrauimus.

Nolim ego sanè de Beatissimi viri laudibus quicquam deterere, dummodò solidè & ad amussim Theologiæ veritatis celebretur. At optimorum Theologorum judicio, omnes hæ comparationes, dimittendæ sunt: Præsertim cum nunquam sit defuturum, vnde quilibet illustriorum cœlitum qui laudandus suscipietur, anteponatur omnibus. Vidimus sanè superiùs hoc ipsa sanctos ponderandi per coniecturas nostras libertate, fuisse qui integra disertatione, idipsum quod hîc de S. Iosepho ab Autore prædicto asseritur, probare conatus sit de S. Ioachimo. Nec desunt qui pro S. Ioanne Baptista satagant, alij pro Apostolis contendunt, itaque consultius videtur, proposita comparatione abstinere. Quamuis enim quoad S. Iosephum cesset illa ratio ob quam S. Thomas in c. 1. ad Ephes. temeritatis saltem damnandos censet, eos qui alium quempiam sanctum Deipara inferiorem, cum Apostolis componant; (eam enim rationem cessare circa S. Iosephũ benè monstrat Suares t. 2. 3. p. d. 8. s. 2. & cessare etiam circa Ioanem Baptistam, tradit ibidem disp. 24. s. 3.) tamen velle S. Iosephum preferre aliis omnibus sanctis, non videtur consentaneum ei sobrietati quam in ponderandis spiritibus sanctorum (quod tanquam Dei proprium scriptura prædicat) toties seruare admonemur vt latè trado agens de Electione sanctorum l. 1. heterocl. Spir. s. 2. Agnosco igitur S. Iosephum esse vnum ex cœlitibus eximiis; sicut in via fuit vnus de eminentissimis iustis. Quod tamen omnes planè sanctos Deipara inferiores excedat, premendum potiùs quàm discutiendum pronuntio.

PVNCTVM V.

VIRGINIS GRAVIDITAS DE Spiritu ſanĉto.

1. CONTRACTO Ioſephum inter ac B. Virginem matrimonio, & quoad omnem ſolemnitatem accidentalem eo tempore adhiberi ſolitam, planè perfecto; iámque Ioſepho cum ſponſa in eadem domo ſimul habitante; acceſſit ad Virginem diuina legatione fungens Gabriel Angelus. Nam vt ad excidium noſtrum interuenerat Angelus, ita ad reparationem Angelum interuenire par fuit, vt piè meditatur Auguſt. Anconit. lect. 1. *Super miſſus eſt*, art. 1. Nomen *Gabrielis*, quod ſonat *fortitudo Dei*, quadrare cum fortitudine quam Verbum incarnatum, de quo erat Gabrielis legatio, demonſtrauit; optimè exponit Petrus Abelardus in Proſa de B. Virgine quam Clyctouæus l. 4. elucidatorij Eccleſiaſtici exhibuit, & habetur etiam ad calcem operum Abelardi.

Gabriel paranymphus, ad Virginem iam coniugem, miſſus.

QVamuis autem ſint qui aduentum Angeli contendant præceſſiſſe celebrationem ſolemnem matrimonij rati, cum ſola ſponſalia per verba de futuro eſſent celebrata, quod latè confirmat Caſtro c. 4. hiſto. n. 20. videatúrque ei opinioni fauere, quod aliquanto poſt dixit Angelus Ioſepho, *noli timere accipere Mariam, coniugem tuam:* Tamen veriſimilior ſententia, tradita à D. Chryſoſtomo hom. 4. in Matth. Bernardo hom. 2. Super *miſſus eſt*, Euthimio Matth. 1. Diuo Thoma 3. p. q. 29. art. 2. ad. 3. Suare t. 2. 3. p. d. 7. ſ. 2. Franciſco Luca Matth. 1. ad verſ. 18. affirmat, Virginem priuſquàm Angelus verbis illis Ioſephum ad illam accipiendam hortaretur, fuiſſe Ioſepho coniunctam matrimonio rato perfectè celebrato. Niſi enim Deipara ita fuiſſet Ioſepho coniuncta, vt abſque infamia & inhoneſtate, (quantum erat ex vi coniugalis vinculi,) potuiſſet ab eo cognoſci, (quod abſque perfecta coniugij ſolemnitate non licuiſſet,) haudquaquam ſatis conſultum fuiſſet famæ matris, & honori filij ex ea concepti. Itaque cum Deus qui omnia conuenienter & decenter facit, perfectionem coniugij Virginis cum Ioſepho non diſtulerit vſque ad vteri geſtationem per Virginem, non eſt veriſimile, hortationem Angeli verbis illis contentam, *Noli timere accipere Mariam coniugem*, pertinere ad perfectam matrimonij rati celebrationum, ſed ad retentionem

sponsæ per verba de præsenti sibi vinculatæ, & dissuasionem repudij occulti, de quo Iosephus cogitabat. Et ita censuerunt multi Patres apud Benzonium in psal. 86. c. 40. traditione 11. Idémque significat quod ait Matthæus, virginem antequàm Iosephus & ipsa conuenirent, deprehensam esse grauidam à Iosepho. Nam illud *antequam conuenirent*, ferre videtur, in eo statu fuisse coniuges, vt quantum erat ex vi fœderis nuptialis, possent honestè conuenire. Fauet quoque quod ibidem Iosephus dicitur *Vir eius*, & quod dicitur voluisse eam dimittere compertam grauidam. Nòn enim dimittitur, nisi quæ iam accepta fuerit, celebrato perfectè matrimonio rato. Argumentum est S. Ambrosij l. 2. in Lucam *sub initium*. [Non te moueat (inquit) quod frequenter scriptura coniugem dicit. Non enim Virginitatis ereptio, sed coniugij sanctificatio, nuptiarum celebratio declaratur. Denique quam non accepit, nemo dimittit. Et ideò qui volebat dimittere, fatebatur acceptam.]

2. Venisse igitur Gabrielem, ad Virginem iam matrimonio iunctam & Iosepho cohabitantem, verisimilius est. Nec cohabitatio absque carnali commercio inter iam coniuges, debet mira videri. [Mos siquidem Iudæorum (ait S. Bern. hom. 2. super *Missus est*,) vt à die desponsationis suæ, traderentur sponsæ sponsis custodiendæ, quatenus earum ipsi eo sibi pudicitiam curiosius seruarent, quo sibi ipsi fideliores existerent. Sicut ergo Thomas dubitando, palpando, constantissimus factus est dominicæ confessor resurrectionis: Ita & Ioseph Mariam sibi desponsando, eiúsque conuersationem in tempore custodiæ studiosiùs comprobando, factus est pudicitiæ fidelissimus testis.] Eodem modo philosophatur Petrus Chrysologus serm. 175. Nec item mirum videri debet & nobis contrarium, quod vox Græca, qua S. Lucas adeuntem ad Virginem Angelum descripturus, adhibuit, nempe μεμνηστευμένη, videtur duntaxat sonare desponsam puellam, necdum ductam in vxorem; quo argumento vti solent qui in contraria sunt sententia, & Angelum ad Virginem nondum coniugio illigatam venisse volunt. Tametsi enim diffiteri non possumus, quin is quandoque sit vsus Græcæ vocis prædictæ; aliquando tamen sumitur quoque pro verè accepta in coniugem & tradita viro quod clarum est ex Lucæ 2. vbi eadem vox Græca adhibetur, tametsi simul Virgo prægnans, vocetur *vxor*. Et apud Matthæum c. 1. v. 18. vbi nos legimus, *cum esset desponsata, mater IESV Maria Ioseph*, Syrus voce vtitur, quæ puellam viro traditam, & coniugio iam illigatam designat, vt obseruat Adamus Gontzen q. 1. ad versum illum 18. adducens insuper pro eo quem dicebam vsu Græcæ vocis, locum ex Iliad. ζ. & Theocriti Eidillio 18. Nobis satis est, proferre Scripturas, in quibus *sponsæ & desponsationis* nomen, in prædicta significatione non semel sumitur. Et nominatim Oseæ 2. versu 19. Verbis illis, *sponsabo te mihi in sempiternum* quæ æterna desponsatio de vero mystico connubio, non de præludio ad illud est accipienda. Videndus ibi Hieronymus. Sed & S. Bernardus hom. illa 2. proximè adducta, *sponsam* apertè accipit pro *coniuge*, verùm citra commixtionem; & *desponsationem*, sumit pro coniugio rato tantùm. Vnde paulo post subdit. [Crediderim de matris continentia faciliùs sponso eius custo-

dienti & experienti, quàm ipsi quoque Virgini de sola sua conscientia se defendenti. Dic quæso; quis eam videns desponsatam & grauidam, non potiùs diceret corruptam, quàm Virginem? Non autem decebat hoc dici de matre Domini. Tolerabilius verò atque honestiùs fuit, putari ad tempus Christum de coniugio fuisse natum, quàm de fornicatione.]

Degebat Virgo tunc temporis Nazarethæ vt habet Lucas, & incoluisse ædem illam quæ nunc Laureti summa totius orbis religione frequentatur, certa traditio est, quam aduersùs impurum Apostatam Vergerium, & paucos alios eiusdem furfuris, validè muniuerunt Franciscus Turrianus opusculo de ea æde contra Vergerium, Canisius l. 5. de Deip. c. 25. Iacobus Gretserus l. 2. de sacris peregrinat. c. 3. & plenè Rutilius Benzonius lib. 6. de Iubilæo. In ea ergo ædicula iam coniugatam Virginem, & Iosepho cohabitantem, (quæ proinde potuit Iosephi domus esse,) adiuit Angelus B. Virginem. Nec audiendus vlla ratione est, Autor qq. ad Antiochum classe 3. q. 19. cum Virginem in templo stantem, concepisse Dei Verbum, atque adeo ibi aditam à Gabriele, affirmat. Id enim (vt dixi) cum Lucæ narratione colliditur.

Adjuncta ingressi ad Virginem Gabrielis.

3. ADuentum hunc Gabrielis ad Virginem ex Dei speciali mandato fuisse, scribit Lucas. Quod epistolam Gabrieli à Deo datam ad Virginem scribit Petrus Damiani serm. 11. accipiendum est metonymicè, pro contento intra literas, siue pro mandato. Porrò quis Angelus Domini fuerit, & an ex vltima Hierarchia, eiúsque caput, vt vult D. Thomas 3. p. q. 39. art. 2. ad 4. & ibidem Suarez disp. 9. sect. 1. nolo nunc scrupulosè inquirere, quia plenè de eo actum est l. 3. de Christo sect. 2. cap. 5. Sed obiter nunc dico, spectata legationis dignitate, & causa grauissima ob quam obibatur, verisimilius esse, Gabrielem esse de supremis omnino Angelis, vnum. Nolim item multùm hîc distineri ea disputatione quam mouet August. Ancomitanus super *Missus est*, lect. 4. dub. 3. quærens, vbi & quando Angelus ostio clauso ad Virginem ingressus, (neque enim alius aditus eum decebat, vt benè prosequitur Card. Vigerius chorda 1. c. 17. ostium autem fuisse clausum, notat S. Ambros. in c. 1. Lucæ & S. Bern. serm. 3. super *Missus est*, & consentiunt omnes, ita insinuari turbatione Virginis ex ingressu ad se viri;) Quærit ergo Anconitanus vbi & quando Angelus ingressus clauso ostio, formauerit corpus quod assumpsit; an ante ingressum, qua ratione fuisset dissipatum subeundo ostium, etiamsi per poros ostij subiisset; an post ingressum, ex aere ibi reperto priusquàm se obiiceret contuendum. Hoc secundum magis placet autori prædicto; qui tamen addit, etiamsi corpus illud fuisset priùs formatum, potuisse tamen induci absque dissipatione per penetrationem Angelo possibilem. Et sic reipsa esse factum, censet Dionis. Cartus. l. 1. de laudibus Deip. art. 25. Istud additamentum respuo. Existimo enim penetrationem non subesse Angelicæ facultati, vt rectè statuit Sanches l. 2. in Decalo. c. 40. n. 7. confirmatque Delrio 2.

Mag. q. 17. ex testimonio sagarum, quæ fassæ sunt nunquam se intromissas à Satana per clausa ostia, vt vulgus arbitratur, sed dato aliunde, vel vi facto aditu, móxque restituto in pristinam formam. Quem laborem defugeret Satan, si posset per penetrationem sagas intrò inducere. Cum ergo naturalia salua sint dæmonibus, & quoad illa boni Angeli non sint eis superiores, manifestè efficitur, nec bonos Angelos posse corpora per penetrationem simul locare. Nec est verum, ita factum esse Actorum 5. vt censet supra Carthusianus.

Angelus igitur visibili specie, hoc est humana, ob varias causas quas adducit Augustinus Anconitanus lect. 4. super *Missus est* dub. 2. ad Virginem est ingressus, nec specie amati iuuenis genibus flexis obiecti, (vt contra pictores disputat Vigerius Corda 1. c. 18. refragante tamen quoad genuflexionem, & pro pictoribus pugnante Benzonio in explicatione salutat. Angelicæ c. 1.) sed honesta & conuenienti specie humana Virgini apparuit adhibens colloquium quod Lucæ 1. describitur, & egregia paraphrasi à Gulielmo Paruo expressum est in Catena Delrij in Cant. c. 4. s. 1. vers. 11. §. 4. nec non à Francone Abbate, operis de gratia tomo 6. Suspensum in huius colloquij euentum, humanum genus, eleganti prosopopœia inducunt varij Patres; & quasi metuendum esset, ne Virgo à cuius assensu salus nostra pendebat, vel negaret, vel seriùs præstaret assensum; supplicibus, sed instantissimis precibus, ne hæreat & bonum nostrum remoretur, ab ea postulant, vt videre est apud Bernardum hom. 4. super *Missus est*, & Augustinum serm. 18. de sanctis (si tamen ipse Autor.) Locum ex sermone 17. de tempore, mutuum ab eo in hanc rem sumere, opportunum videtur. Descripserat, *benedicibilis* (vt ait) *salutationis præsagium*, & expositam ab Angelo conceptionem Filij Dei ex ipsa: Tacita secum mentis altercatione confligentem Virginem, & instantem concreditæ sibi legationi Angelum, repræsentauerat. Tunc quasi adhuc Virgo conctaretur, subdit, velut hortando, & propellendo ad assensum excudendum. [Expandat nunc fides splendendis vteri pulchra tentoria, obumbret virtus, spiritus sibilet, naturali calore depulso tenuis Virginem aura refoueat, & flente refrigerio, spiramentis cœlestibus ventiletur, aluus virginalis sertis verecundiæ coronetur. Flammeus ibi rosæ fulgor anhelet, albens lilium candicet, mollis viola rutilet, purpurei spargantur flores, & vario nitore depictus Christi thalamus exornetur. Responde iam Virgo sacra; vitam quid tricas mundo? Assensum tuum Angelus præstolatur, inde est, quod nuncius iste moratur. Iam audisti; *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi* vt prolem gignas, & virginitatem non perdas. Ianua cœli quondam per Adamum clausa iam sonuit, per ipsam nuncius iste processit. Deus in porta est, Angelum quem moraris expectat. O beata Maria, seculum omne captiuum, tuum deprecatur assensum, te Deo mundus suæ fidei obsidem facit, per te parentum suorum iniurias abstergi deprecatur. Ipse prior qui offensus est, misit; claustrum quod iniquitas nostra cœlo infixerat, reserauit. Est nobis aditus, si assensus tuus fuerit commodatus, Et nobis succurris & tibi, quia nobis pœna successit, & tibi nuptias filio suo, in tuo thalamo pater præparabit. Deus in ipsis spon-

salibus gaudiis relaxat quicquid eum offenderat mundus. O & tu Angele, tanti Regis nuncie, & secreti diuini legate, qui ex palatio Imperatoriæ Maiestatis, indulgentiam reddis criminosis, vitam mortuis, & pacem sacram attulisti captiuis, vrge Virginem non de Dei munere diffidentem, sed de muneris magnitudine cogitantem. Faue partibus seculi, conscius secretorum cœli. Lætabuntur socij tui, si negocium iuueris mundi. Nos à vestro consortio, impietatis mucro diuisit; per vos de reditu nostro tractatur. Inspice squalentem nostri carceris miseriam, & loquere festinus ad Mariam. Vsquequo moraris ô Virgo, nuncium festinantem? Intuere Deum in cœli vestibulo sustinentem, responde verbum, & suscipe Filium; Da fidem, & senti virtutem. Pande sinus roseos Virgo perpetua, fides tua modò aut aperit cœlum, aut claudit.]

Verbi conceptio, mysterium clamoris.

4. IN colloquij Angelici clausula, mysterium clamoris vt S. Ignatius in epistola ad Ephes. appellauit, negotium omnium seculorum transactum est. Nec erat timendum, ne Virgo voti sui & pudicitiæ indemnitatem edocta, extremæque miseriæ generis humani probè conscia, ad quam releuandam naturali charitatis præcepto grauiter vrgente obstringebatur, vel assensum negaret, vel diutius differret. Itaque illa assensum præbente, illico Christus Deus homo, in vtero Virginis formatus est; ipsa Virgine, omnem cum passiuum, tum actiuum concursum quem veræ matres exhibent, conferente: Tota autem sanctissima Trinitate, supplente paternum effectiuum concursum humanum, qui desiderabatur totam denique materiam suppeditante sola Virgine. [Descendit Verbum in vterum Virginis (ait Amedeus Lausa. hom. 3.) vterum impollutum, consecratum manu vnctionis diuinæ. Ibi carni nostræ copulatum, naturæ associatum, impleuit sacratissimum, & secretissimum sacramentum, vt essent duo in carne vna, & vno contubernio fruerentur. Factus est ergo Deus inuisibilis, homo visibilis. Impassibilis & immortalis, passibilem se & mortalem exhibuit. Incircumscriptus, lineis nostræ substantiæ circumscribi voluit. Clauditur aluo puerperæ, cuius immensitas claudit ambitum cœli & terræ: & quem cœli cœlorum non continent, Mariæ viscera complectuntur.] Omnem materiam & causalitatem à vulgaribus veris matribus suppeditatam, à Virgine in hoc negotio suppeditatam dixi, quia fuit verè & propriè mater: Hoc volebat S. Maximus quando calumniam passus quod malè de Deipara sentiret, vt est in Collatione eius cum Theodosio Cæsariensi, [Extensis in cœlum manibus, cum lachrymis dixit. Qui non dicit Dominam nostram superlaudabilem, sanctissimam, intemeratam, & omni naturæ intellectuali venerandam, naturalem veraciter matrem Dei effectam, qui fecit cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, sit anathema & catathema à Patre & Filio & Spiritu sancto, consubstantiali & supersubstantiali Trinitate, ac omni supercœlesti virtute, atque à choro Sanctorum Apostolorum, Prophetarum, & infinita plebe sanctorum Martyrum, omnisque spiritu

in iustitia consummato, nunc & semper & in secula seculorum, Amen.] En quanta asseueratione S. Maximus B. Virginem *naturalem veraciter Dei matrem*, esse confirmet. Et quamuis pleraque in hac conceptione interuenerunt supra naturæ leges, nihil tamen eorum quæ ad veram maternitatem & influxum in quo ea relatio fundatur exigi possunt, desiderari voluit Deus qui B. Virginem, verè & propriè Christi sui matrem esse voluit. Itaque aliqua hîc secundùm naturam, aliqua supra, aut etiam contra naturam contigerunt quæ Peramatus insignis Medicus propria lucubratione de eo argumento edita secreuit. Breuiter eadem attigit Richardus à S. Laurentio lib. 4. de Deip. *pag.* 238. his verbis. [Fecit Deus in Virgine aliquid quod fuit contra naturam; aliquid quod fuit secundùm naturam; aliquid quod fuit supra naturam. Contra naturam infirmitatis nostræ fuit, quod Virgo concepit: Secundùm naturam fuit, quod in vulua conceptus & formatus, & tandem secundùm legitima nascendi tempora natus fuit: Supra naturam non solùm huius infirmitatis nostræ, sed etiam supra naturam conditionis primæ fuit, quod sine virili semine Virgo concepit. Puritatis fuit, quod sine concupiscentia seminare potuit; honoris quod prolem ab omni peccati contagio mundam effecit; gloriæ, quod non de viro, sed de spiritu sancto concepit.] Optimè quoque Rupertus in c. 1. Matthæi tractans comparationem Christi cum manna cœlitus delapsa. [Spiritus sanctus (inquit) vterum Virginem cœlitùs irrorauit, non de sua substantia, sed de naturali humore ipsius incorruptæ carnis. In quo mira & magna distantia est ab omni conceptu vniuersæ carnis, quia vim sementinam sacri corporis, non vir extrinsecùs accedens, sed Spiritus sanctus intus operans excitauit. Tunc in eadem solitudine, apparere minutum, hoc fuit, adesse in eodem secreto Verbum subtilissimum atque fortissimum, quod eidem se humori miscuit tanquam coagulum.] Christi ergo generatio, sic fuit.

5. Hîc tangor eodem quo Basilius Seleuciæ affectu orat. 39. quem eius verbis exhibeo. [Ad hanc orationis partem appulsus, & ad miraculi magnitudinem respectans, præ admiratione mutus sum, & elinguis: neque enim verbis res exequare possum. Quomodò inopinatò celebrabo inopinam illam incarnationis gratiam? Quibus laudibus afficiam fontem charitatis? Quomodò profusæ charitatis in homines, flumen prædicabo? Quomodò Virgineum pelagus audens tentabo, & magni mysterij scrutabor altitudinem, nisi me vt inexpertum vrinatorem, ô Deipara, doceas veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris, deponere? Nisi mentis os misericordia compleas, quo tui partus fundum peruadat, vt tuæ miserationis luce circumfulgens, in te veritatis margaritum deprehendam. Subuenta, vt veritatem consequar, vt à te doctus eloqui valeam: non quomodò incarnatum Verbum pepereris, (nam supra lumen meum est, partitudinis tuæ ratio:) sed quod mater effecta, Virgo quoque permanseris, sicut qui ex te partus, homo verus fuit, & verè mansit Deus, corrigens opus manuum suarum.]

Nulla prorsus ex parte, virginitas concipientis temerata est, & tamen verissimè ac propriissimè mater fuit, & quidem (quod inter clamoris mysteria

rectè à S. Ignatio epistola ad Ephes. approbante Damasceno orat. 3. de Virg. Natiuit. meritò relatum est,) mater Dei. Non quod aliquid influxerit in esse Dei quatenus Deus est; vt stultè Nestorius impingebat Catholicis: Nemo enim est Catholicorum adeo hebes, vt nesciat esse Dei prout Deus est, æternum esse ac imparticipabile siue independens: eo ipso namque desineret esse quod est, fierétque esse creatum, si dependeret alicunde, & verum causæ cuiuscunque inflexum terminaret. Non igitur B. Virgo, eam ob causam censenda est fuisse per hanc conceptionem mater Dei. Non item ob illum hæreticum sensum in quo Nestorius admittebat Virginem dici posse matrem Dei, quia scilicet fuit mater hominis puri qui postea merito suo euasit in Deum adscriptitium. Sicut Mater Episcopi dicitur, quæ genuit eum qui procedente tempore creatur Episcopus, quamuis cum genitus est, nequaquam fuerit Episcopus, quæ est comparatio qua Nestorius hæresim suam exponebat, vt refert eius æqualis Vincentius Lyrin. in aureo Commonit. c. 21. Vera itaque ratio cur B. Virgo dicta sit mater Dei, ea est, quod conceperit & omni vero influxu materno adhibito produxerit illum cuius humana natura ex illo primo conceptionis & productionis momento per Verbi diuini personam est terminata. Sic enim ille homo, simul Deus fuit, ac proinde quæ eum genuit, quia in humanum illius esse influxit, genuit illum qui Deus erat atque adeò non hominis tantùm sed Dei quoque mater fuit.

6. Virgo ergo ex vero materno concursu in Christi Dei & hominis conceptionem, & Virgo mansit quia absque viro concepit, (imo *virginiorem* factam, eum sic concipiendo, ait Amed. Laus. hom. 4.) & vera Christi Dei & hominis mater effecta est: Vnde rectè nominatur *Deipara*, Græcè θεοτόκος. Quam vocem in Concilio Ephesino valdè illustratam, longè tamen antiquiorem fuisse, contra quam nonnullis visum est, multis confirmat Canisius l. 5. de Deip. cap. 19. & liquet ex S. Athanasio dialo 4. de Trinit. vbi disertè Mariam vocat θεοτόκον, [quia non genuit nudum hominem, sed Deum qui hominem induerat.] Inuenitur quoque ante Concilium Ephesinum ea vox apud Nazianzenum orat. 51. & apud Epiphanium orat. de Deip. Citat quoque Spinellus in admonitione præfixa libro de Throno Dei, cum de Athanasio, tanquam ea voce vsos Eusebium l. 2. de vita Constant. c. 42. Basilium item ac Chrysostomum qui Ephesinam Synodum antecesserunt. Ab his inquam eam vocem vsurpatam, monstrari ait ex Theodoreto l. 4. hæret. fabul. sed apud hos omnes, fidem allegantis desidero. [Meritò itaque (ait Petrus Damiani) B. Maria dicitur parens parientis, oriens orientis, fons fontis viui, origo principij: quia ille ex ea prodiit per materiam carnis, qui caput est, & initium omnium rerum per essentiam Deitatis.] Hoc verò est, esse verè Θεοτόκον atque Deiparam. Quod decus ei blasphemè abrogarunt, qui *hominiparam*, vel *Christiparam* dici voluerunt, Blasphemiæ quippe damnat Nyssenus epistola ad tres mulieres, vocare Virginem *hominiparam*. Non quod verè B. Maria negari possit hominem genuisse ac Christum: sed quod vt obseruauit Theorianus in Legatione ad Armenos, ad purum hominem, & Christum suo merito post annos

annos aliquot vitæ factum, notiones vocum illarum, impiè detorqueret Nestorius: quem etiam Θεοτόκον vocasse B. Mariam, sed eo tantùm sensu, quo mater eius qui postea promouetur in Episcopum, dici potest mater Episcopi, notauit Vincentius Lyrin. in commonitorio cap 21. Quod nomen χριστοτόκος, siue *Christipara*, idcirco tantùm repudiat Abucara Opusc. 14. quia melius est denominationem sumere à potiori & præstantiori quod est in re denominata, subobscuriùs dictum est. Nam Christus vnguentum Deitatis reuera præfert. Vera ergo ratio cur nomen Christiparæ à Catholicis sit repudiatum, est quia Nestoriani, nomen Christi ad purum hominem transferentes, nec nisi gratiæ purè creatæ vnctionem eo nomine exprimi contendentes, B. Virginem *Christotocon* dici admittebant, vt videre est apud Paulinum Aquileiensem l. 5. contra Felicem, non multum ab initio. Quare simpliciter dicendum est B. Virginem esse Θεοτόκον, seu *Deiparam partus* nomine, æquè ac natiuitatis, extenso ad conceptionem.

Motus & gaudia, Virginis concipientis.

7. QVibus verò motibus B. Virgo inter adipiscendum hunc titulum sit affecta, de ipsa percontandum est cum Amedeo Laus. hom. 3. de Deip. his illam verbis affante. [Rogamus domina, Dei mater dignissima, non aspemeris petentes cum tremore, quærentes ex pietate, pulsantes cum charitate; Rogamus, quo affectu mouebaris, quo amore tenebaris, quibus stimulis agitabaris, cum hæc fierent in te, & Verbum carnem susciperet ex te? Vbi erat anima tua, vbi cor, vbi mens, vbi sensus, vbi ratio? Ardebas vt rubus, qui olim ostensus est Moysi, & non comburebaris; liquefiebas, &, non consumabaris. Ardebas liquefacta supernis ignibus, liquefacta in igne, vires resumebas ab igne, vt semper ardores, & interim liquefieres. Ignis ille rorem luminis exhibuit, ros luminosus vnctionem prębuit, vnctiò semen sanctum præstitit, in quo repromissum est Abrahæ, quòd in eo benedicerentur omnes gentes. Hæsisti enim Virgo pulcherrima, strictis amplexibus auctori pulchritudinis, & effecta plus virgo, immò plus quàm Virgo, quia Mater & Virgo, hoc sacrosanctum semen Deifica infusione suscepisti. Aue, igitur, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu mulierum, & Benedictus fructus ventris tui Iesus Christus, qui est super omnia benedictus Deus in sæcula sæculorum Amen.]

Quid verò vetat eum ipsum illi affectum ac sensum tribuere quem expressit his verbis S. Hildefonsus, l. de Virginit. B. Mariæ c. 2. *in fine.* [O virtutum omnium Deus! O creaturarum omnium Deus? O factor omnium Deus! O mirabilium autor omnium Deus! qui cunctis miraculis tuis, vniuersis insignibus tuis, totis mirabilibus tuis, omnibus magnaliis tuis, hoc factum, hoc opus, hoc gestum, hoc actum, miserationis thesauros aperiens, pietatis arcanà demonstrans, indulgentiæ diuitias reserans, clementiæ riuos emittens in salutem meam, & mundi; in redemptionem meam, & mundi; in iustificationem

m eam, & mundi; in liberationem meam, & mundi; fecisti sine loquendi ratiocinatione mirabile; egisti sine rei exemplo singulare; formasti sine comparationis similitudine potentiale; complecti sine consimili æquiparatione vitale; finxisti sine intelligendi consideratione inæstimabile, sine obliuione perenne, sine defectu stabile, sine interruptione iuge, sine fine laudabile per quod error amotus est, per quod languor ablatus est, per quod peccatum deletum est, per quod mors verè destructa est, per quod eundi inuenimus viam, per quod assequimur perueniendi veritatem, per quod adipiscimur requiescendi vitam.]

8. Gaudium Deiparæ in hoc temporis puncto, attigit perpulchrè Richardus à S. Laur. l. 3. tractans illud *in die lætitiæ cordis eius.* [Quis dignè (inquit) exprimere verbis sufficiat, ipsius sacratissimæ Virginis gaudium, quæ matrem Dei se factam, ipso die & nouit & sensit? quæ nostræ redemptionis thesaurum, Angelorum gloriam, & totius humani generis singulare gaudium, & vt vno verbo omnia concludamus, Deum & Dei filium, in vtero se habere cognouit?] Benè item de hoc virginis gaudio, Autor Tractatus in Canticum *Magnificat* apud Augustinum tomo 9. adducendus puncto sequenti, *initio* ac pleniùs apud Hugonem Victorinum è quo ille Tractatus defloratus est, in expositione Cantici Deiparæ ad illa verba, *Magnificat anima mea Dominum.* Laudes quibus diuinam bonitatem est prosecuta, & affectus gratitudinis ob facta in se magna per eum qui potens est, facile est coniectare ex tanto semper Sanctorum quos hæc non adeò proximè contingebant, laudis & gratitudinis sensu ob hoc mysterium. Et meritò. [Opus enim erat, (Verba sunt Damasceni Orat. 2. de Assumpt.) hoc quoque nomine, infinitam Dei bonitatem, ac magnitudinem omni magnitudine sublimiorem, & infinitam potentiam, & ipsius ad nos moderationem ac descensum omni magnitudine ac sublimitate superiorem, benignitatísque quæ comprehendi non potest, diuitias, opes omnes excedentes atque inexplebilem charitatis abyssum laudibus efferre: quo nempe pacto ipse à sua maiestate haudquaquam excidens, ad sublimitatis parentem exinanitionem, benigna Patris & spiritus voluntate descenderit: quo pacto is qui supra omnem essentiam est, ex fœmineo ventre, modo essentia omni præstantiore extiterit: quo pacto & Deus sit, & homo factus sit; simúlque vtrumque maneat: quo pacto is qui omnia implet, & omnia antecellit, & Verbo oris sui omnia fert, angustum locum habitarit: quo denique pacto Virginis corpus quod ex materia concretum est, atque ad fœni naturam accedit, huius claræ Deitatis ignem consumendi facultate præditum exceperit, atque auri instar purum extiterit.] Hæc aliis tanto post Dei laudum argumenta; quanto magis ipsi Virgini in illis plusquàm Ætnæis incendiis ex Dei corporatione præsenti?

En igitur in lectulo suo florido Salomonem. [Lectulus hic (ait Richardus à S. Laur.) vterus est virginalis, in quo sponsus beatissimam copulam celebrauit, qua humanæ naturæ dignatus est copulari. *Lectulus* autem dicitur, & non *lectus* propter humilitatem; & quanto lectulus fuit humilior, tanto am-

plexus iucundior, & societas inseparabilior, & ipsa vnio vnior, (vt ita dicam,) fuit. Floridus fuit lectulus iste, omnium virtutum velut florum varietate. Ibi rosa excellentissimæ charitatis, ibi lilium singularissimæ castitatis, ibi viola omnimodæ humilitatis, & quid dicam? Ibi ortus est, & inde ortus est ille qui dicit, *Ego flos campi.*] Qui sint hi flores quibus lectulus hic sponsi delectabiliter vernat, perpulchrè prosequitur Ekebertus in deprecatione ad B. Virginem, fusè proponens amœnitates sanctis omnibus & Angelis & hominibus inhalatas, ex patratis intra Deiparæ sacrosanctum vterum, mirabilibus per Christi conceptionem, qua salus mundi initiata est, ruptus est paries inimicitiarum inter cœlum & terram, confœderata sunt supernis inferna, & alia omnino miranda quæ prosequitur autor prædictus, propitiato numine sunt patrata. Sic, vt benè monet Naz. orat. 16. ex Virgine concipitur Deus, vt & generationem honore afficiat, & virginitatem honore præferat.

Nostra in hoc negotio sobrietas extasi ac stupore conclusa.

9. NOn placet hoc loco distinctius ac minutatim persequi quæcunque ad plenam discussionem conceptionis Christi per Virginem pertinent, eúmque Deiparæ titulum fundant; Copiosè enim prolata sunt in tractatione de Christo l.8. sectione 2. c. 3. Præterquàm quod optimè ac prudentissimè admonet Petrus Cellensis l. 9. epist. 10. magna temperatione vtendum esse in hac materia. Vnde Nicolaum monachum S. Albani, qui paulo licentiùs, id est perinde, ac si de quacunque muliere grauida ageret, Virginis grauidationem expresserat, his verbis increpat. [Compatior insolentiæ tuæ, qui de excellentissimis nostræ Virginis montibus, ad profundissimam vallem descendisti, ne dicam, corruisti. Licet enim in illa nihil sit verecundum, vbi omnia & singula eius membra, luna sunt puriora, & sole clariora: tamen nostræ fragilitatis teterrima memoria, cum audierit nominari genitalia, vix à sua excutietur palude; vix incipiet non solita cogitare. In Virgine igitur, talia sacrosanctis cortynis potiùs volo honorando inuoluere, quàm nudis nominibus, & manibus contrectare. Virgo certò virgineis verbis, & sancto velamine consecratis, delectatur affari.]

10. Præstat admiratione defigi in consideratione summæ & incomprehensibilis bonitatis Dei, in hoc negotio elucentis, & renouata hìc imo completa omnia antiqua miracula cum Ioanne Geometra mirari. Longum eius hac de re locum exhibet Catena Corderij in Lucam ad c. 1. v. 36. Et quid mirum, si mirantur homines, quandoquidem Angeli ad hoc visum obstupuerunt? [Deipara Maria, (ait S. Epiph. orat. de ea, *sub initium*) cœlorum virtutes in stuporem conuertit. Obstupuerunt omnes Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Throni, Dominationes, Cherubin, ac Seraphin, & Angelorum vniuersus exercitus, timore, tremoréque graui detenti: quia cernebant illum,

qui habitat in cœlis, per eam versari in terra & exhorrescebant. Spectabant virginem, cœlum & thronum, & formidabant, dum conspicerent eum, qui principio caret, descendentem à Throno Cherubico, in vtero Virgineo sedere.] Et inferiùs. [O Virgo sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem deduxisti. Stupendum enim est miraculum in cœlis, mulier amicta Sole: stupendum miraculum in cœlis, mulier gestans lucem in vlnis; stupendum miraculum in cœlis, alter thronus Cherubicus. Stupendum miraculum in cœlis, mulieris filius, qui & ipsius, & sæculorum est pater. Stupendum miraculum in cœlis, thalamus Virginis, habens filium Dei, Deum sponsum Christum. Stupendum miraculum in cœlis, Dominus Angelorum, infans Virginis effectus est.]

11. Præstat obstupescere ad tantam Dei demissionem. Nuspiam enim tanta Christi abiectio est prodita. Optimè id vidit Guerricus serm. 3. de Annunc. [Omnium (inquit) humanarum infirmitatum vel iniuriarum quas pro nobis pertulit diuina dignatio, sicut tempore primam, sic etiam humilitate ferè maximam existimo, quod in vtero concipi, in vtero nouem mensium tempore, maiestas illa incircunscripta, passa est contineri. Vbi enim sic se exinaniuit, aut quando ita penitùs à semetipso defecisse visus fuit? Tanto tempore nihil illa virtus manifestum operatur: nullo signo visibili, maiestas quæ clausa latet, proditur. Non sic in cruce visus est infirmus; vbi quod infirmum ipsius fuit, statim apparuit fortius omnibus hominibus. quando & moriens glorificat latronem, & expirans inspirat Centurionem: quando horarius dolor passionis eius, non solùm compati fecit elementa creaturarum, sed etiam contrarias fortitudines subegit æternorum passioni dolorum. In vtero autem, sic est quasi non sit. Sic omnipotens virtus vocat quasi nihil possit, & Verbum æternum sub silentio se premit.] S. Chrysostomus planè astipulatur oratione de S. Philogonio. Monstrans longè plus se demisisse Deum, cum non exhorruit Virginis vterum, & ibi homo fieri ac solemnia humani fœtus initia admittere dignatus est, quàm cum velut Agnus tonderi se siuit, & passionem excepit. Estque omnino hic sensus Ecclesiæ, quæ eodem tenore Christi in Virginis aluo corporationem & confixionem in cruce commemorans in symbolo Constantinopolitano quod in Missa recitatur, indicit pro Incarnatione genuflexionem Sacerdoti, non pro passione.

Præstat alto silentio, ad puritatem summam & nouitatem inauditam huius conceptionis ex Virgine, obstupescere cum beatis spiritibus. Sed sic concipi decuit electum ex millibus, [cuius conceptio, (inquit Nyssenus hom. 13. in Cant.) duorum à coniunctione profecta non sit, partus minimè inquinatus, parturigo doloris expers: cuius thalamus, altissimi potestas quasi quædam nubes virginitatem ipsam inumbrans: fax nuptialis, Spiritus sancti splendor: cubile vitiorum expers conditio: nuptiæ, puritas incorrupta.] Verè hoc nouum illud à Hieremia prænunciatum vt Amedeus homil. 2. de Deipara his verbis annotauit. [Vide homo, & obstupesce ad tantam nouitatem, cum Hieremias dicat, *Nouum faciet Dominus super terram, mulier sola circumdabit virum.*

Eadem quæ circumdedit, circundata eſt ; circundans carnem , circundata eſt à ſpiritu ; circundans virum nouum , circundata eſt ab homine nouo; circundans & generans , circundata & regenerata ; generans in forma humanitatis, regenerata in forma natiuitatis.]

Per conceptionem, Virgo Dei mater, & qua ſua ætate.

12. PRæſtat denique, Beatæ Virgini ex hac conceptione, eminentiſſimum maternitatis titulum gratulari. Nam conceptione factam Dei matrem, agnouit Eliſabetha, & deſponſatam necdum puerperam, Matthæus c. 1. vocat *matrem eius*. [Cuius eius ? (ait Orig. homil. 1. in diuerſ.) Dei vnigeniti Domini & Regis omnium, plaſmatoris & creatoris cunctorum. Illius qui in excelſis ſine matre , & in terra eſt ſine patre. Ipſius qui in cœlis ſecundùm Deitatem in ſinu eſt Patris, & in terris ſecundùm ſuſceptionem, in ſinu eſt matris. O magnæ admirationis gratia. O inenarrabilis ſuauitas. O ineffabile magnúmque ſacramentum. Ipſa eadémque Virgo, ipſa & mater Domini, ipſa & genitrix, ipſa eius ancilla, plaſmatio eius, ipſa quæ genuit. Quis vnquam iſta audiuit ? quis vidit talia? & quis cogitare potuit, vt mater virgo eſſet, & intacta generaret, quæ & virgo permanſit, & genuit ? Sicut enim quondam rubus comburi videbatur, & ignis eum non tangebat : & ſicut tres pueri in camino ignis incluſi habebantur , & tamen eos non lædebat incendium , nec odor fumi erat in eis , vel quemadmodùm Danieli intra locum leonum incluſo, clauſtris non apertis allatum eſt prandium ab Abacuc: ita & hæc Virgo ſancta genuit Deum , ſed intacta permanſit ; mater effecta eſt , ſed virginitatem non amiſit : genuit infantem , & vt dictum eſt, virgo permanſit. Virgo ergo genuit , & virgo permanſit. Mater Filij facta eſt, & caſtitatis ſigillum non perdidit. Quare ? quia non homo iſte tantum qui videbatur , ſed vnigenitus erat Deus qui in carne aduenerat.] Diſcrimina varia huius conceptionis , à conceptionibus aliarum mulierum, exhibet Card. Vigerius chorda 2. c. 3.

13. Circa ætatem Virginis cum concepit, tricantur Caietanus & Catharinus. Ille poſt Albertum Deiparam tunc natam eſſe annos 27. opinatur , vel ad minus 24. ſaltémque certum eſſe vult, quod nata eſſet annos duodeuiginti. Catharinus hæc omnia explodit,nec niſi circiter 14. vel 15. annos natam affirmat , cum concepit. Nicolaus Monachus Sancti Albani epiſtola ad Petrum Cellenſem, (eſt noua inter epiſtolas Cellenſis) ex Iuone, ait duodennem Deiparam concepiſſe. Sententia communior illa eſt cui Catharinus ſubſcripſit, & multi apud Moralem l. 2. tract. 4. c. 9. ſed benè Richelius l. 1. de Deipara art. 37. poſt Richardum à S. Laur. l. 7. qui in hanc rem ſic philoſophatur, lunam cum Virgine componens. [Luna creſcit vſque ad decimum quartum diem, & tunc luna plena apparet & circa decimum quartum annum, vel 13. Filium Dei creditur Maria concepiſſe , & tunc apparet in medio lunæ, quo ſignatur vterus virginalis, quaſi imaguncula hominis pendentis, vel quaſi ruſticus oneratus faſce ſpinarum. Hic eſt Chriſtus qui ſuſpenſus in patibulo crucis, noſtro-

P 3

rum portauit onera peccatorum, ſicut dicitur 1. Petr. 2. *Qui peccata noſtra pertulit in ſuo corpore ſuper lignum*, ideſt, pœnam peccatorum quæ deſignatur per ſpinas, Iſaiæ 53. *Verè languores noſtros ipſe tulit.*]

In hac ætate Virginis concipientis, comparata cum ætate Elizabethæ concipientis Baptiſtam, myſterium obſeruat S. Ambroſ. ſerm. 63. [Chriſtus (inquit) de adoleſcentula immaculata depromitur, iſte de vetula iam feſſa generatur. Habet ergo & huius natiuitas aliquid gloriæ atque miraculi. Qu amuis enim vilior partus mulieris videatur eſſe quàm Virginis, tamen ſicut Mariam ſuſcipimus quod Virgo peperit, ita in Elizabeth miramur quod anicula procreauerit. Quod quidem factum, myſterium aliquod arbitror continere, vt Ioannes qui veteris Teſtamenti figuram gerebat, ſenis muliercul æ frigido ſanguine naſceretur: Dominus autem qui regni cœleſtis Euangelium prædicaret feruentis iuuenculæ flore progrederetur.]

Furfures doctrinæ. Ac primùm, Chriſti conceptio in corde matris.

14. HActenus quæ ſolidè circa actiuam Virginis conceptionem huius loci viſa ſunt propria. Pergo ad furores. Inſignem in hoc puncto heteroclifim de Chriſto non in Virginis vulua ſed in corde concepto, referre ac refellere memini l. 3. de Chriſto ſect. 1. c. 5. Vbi prætenſam reuelationem muliercul æ dementatricis Petri Mantuani huius fabulæ patroni, exploſi: quippe apertè pugnantem cum Scripturis, quæ Virginem in vtero habituram, diſertè tradunt. Vocem porrò *ventris*, ac *vteri*, cuius fructum fore Chriſtum ibidem dicitur, non poſſe diffundi ad ſinus cordis, demonſtratum eſt citato loco. Aliam verò fuiſſe omnibus retrò Doctoribus Catholicis mentem, fruſtra docerem.

Tantùm monendum eſt, longè ab hac inſulſitate abeſſe, & Prudentium, & Richardum à S. Laurentio, etiam ſi vterque aliquid habeat in ſpeciem affine. Et Prudentius quidem ita concinit in carm. contra Homuncionitas *ferè initio*.

Intactam thalami virtus, diuina puellam
Syncera afflatu per viſcera caſta maritat.
Incomperta ortus nouitas, iubet vt Deus eſſe,
Credatur Chriſtus ſic conditus; innuba virgo.
Nubit Spiritui, vitium nec ſentit amoris:
Pubertas ſignata manet, grauis intus, & extra
Incolumis, florens de fertilitate pudica
Iam mater, ſed virgo tamen, maris inſcia mater
Quid renuis? quid inane caput non credule quaſſas?
Angelus hoc ſancto pronunciat ore; placet ne
Credere & angelicis aurem reſerare loquelis?
Ipſa coruſcantis monitum ſacra virgo miniſtri
Credidit atque ideò concepit credula Chriſtum,

Credentes nam Christus adit, dubitabile pectus
Sub titubante fide, refugo contemnit honore,
Virginitas & prompta fides Christum bibit aluo
Cordis, & intactis condit paritura latebris.

Repræsentaui præcisè versus Prudentij, prout à S. Hildefonso recitantur l. de perpet. Virginit. & parturit. B. Mariæ accisis nonnullis ad fidem Virginis pertinentibus. In his S. Hildephonsus nihil eiusmodi subolfecit, quale ij quos excutimus nugones, sunt commenti. Imo valdè ea commendat, tanquam similia aliis quæ ex S. Leone produxerat, & conceptionem Christi in sacris Deiparæ genitalibus, planè ferebant. Videturque Prudentius, conceptionis Christi locum, designasse per *intactus Virginis latebras.* Quod autem ait, virginem bibisse Christum *aluo cordis,* idipsum est quod S. Aug. l. de sancta virginit. c. 3. & alibi sæpè ait, virginem priùs concepisse Verbum corde ac mente, quàm corpore. Fides enim qua assensum Angelo nuncianti præbuit, & alia fidei viuæ germina, quibus tunc & anteriùs se aptauerat ad gignendum saluatorem, id illi exorarunt, vt mater Dei fieret. Hoc ergo est, Christum aluo cordis bibisse.

15. Longè item alia, quàm his quos exagitamus nugonibus,mens fuit Richardo à S. Laurentio l. 2. de Deip. particula 2. cum dixit. [Ex corde beatæ Virginis processerunt fides,& consensus, per quæ duo initiata est salus mundi; & ipsum cor eius præ omnibus creaturis dignum inuentum est, exeuntem de corde paterno, primò suscipere vnigenitum Dei : quando scilicet cor Patris eructauit verbum bonum, quod de sinu patris egrediens, in signum matris Virginis se recepit.] Nec multum dissimiliter Adamus de Perse adductus in Allegoriis Tilmanni, circa illud capitis 24. Ecclesiastici, *quasi oliua speciosa in campis*; ait, Christum propter miseriam inopum & gemitum pauperum, venisse de corde Patris, in cor Virginis; vnde exclamat cum Psalte *Filij hominum vsquequo graui corde*; à corde Virginis elongatis?

Hos autores, nego fauisse commento quod excutimus. Nam Richardus, Virginis Cor Christum recepisse dicit, meritoriè. Localiter autem eum suscepit vterus. Vnde addit [Item in corde ipsius & vtero, misericordia & veritas sibi obuiauerunt, cum diuina iustitia, paci porrigeret osculùm salutare.] Et eodem modo accipiendus est Adam de Perse. Nam postquam dixit Christum venisse in cor Virginis, addit, [Et in Virginis vtero pauperum gazophylacium collocauit.] Et post illa, *vt quid à corde Virginis elongatis?* Subdit. [Intra nostræ Virginis vterum, mirificauit Dominus sanctum suum.]

Item formatio Christi ex sanguine cordis.

16. Alij tametsi Christum in vero ac propriè dicto matris vtero, id est in vulua conceptum, non fuerit inficiati; tamen vt aliquid nouum proferrent, vnde decus virginei conceptus attollerent; dixerunt, Christum non esse formatum ex quocunque matris sanguine, sed ex sanguine cordis. Ita Pelbartus l. 1. stellarij parte 7. art. 7. c. 1. post Ioannem Nider serm. de Annunc. qui profecit ex Alberto super *Missus est* ad illud *Dominus tecum:* additque reuelationem factam cuidam religioso simplici, sed magnæ pietatis, qui à B.Virgine responsum accepit, se cum turbata esset in sermone Angeli, plurimum sanguinem (vt in turbationibus assolet) ad cordis munimentum extulisse naturaliter: post modùm verò, præstito assensu legationi Angelicæ, Christum formatum esse ex purissimis illius sanguinis guttis: Idque à Deo statutum ad eum modum fuisse, vt Christus plus à matre amaretur & auctius illi accederet meritum, astando patienti filio. Ita DD. prædicti, & subscribit Celada in Iuditha figurata num. 56.

Sed profectò valdè inaniter. Nam quid conducere poterat ad maiorem matris amorem erga filium, quod sanguis ex quo filius formaretur, esset ex corde haustus, vel aliunde; cum quilibet sanguis, (si quidem sanguis est,) eiusdem sit naturæ, nec B.Virgo seclusa reuelatione nosse posset, vnde petitus esset sanguis è quo filium conceperat? Deinde sanguis qui appellit ad muniendum cor, est sanguis (vt sic dicam) spirituosus, id est iam elaboratus in spiritus, vnde iustitium in sensoriis interueniente lypothimia. At huiusmodi sanguis, ob subtilitatem nimiam est ineptissimus ad compactionem humani corporis; cum ij ipsi in quarum confectone spiritus paulo plus abundarunt, ignei planè videantur, & vi illius materiæ euadant irrequieti, & turbulentissimi genij, quem absit vt Christo tribuamus. Quàm ergo ineptius est, ex ea duntaxat materia Christum compingere? Quid quod turbatio Virginis, resedit aliquanto ante Christi conceptionem, nempe durante reliquo colloquio, & mysterij expositione per Angelum; interimque Spiritus refluxerunt ad arterias, vt non potuerint perinde ibi colligi & spissari in guttas, quod etiam contra naturam spirituum fieret? Tandem vt maternitas B.Virginis sit salua, non sufficit Christum ex quacunque eius materia formari; alioqui Adam dicendus esset mater Euæ. Necesse ergo est, Christum esse compactum ex materia aptata interuentu facultatis generatiuæ, (qualem vera mater habet) & per eam facultatem disposita ad susceptionem animæ humanæ. At sanguis spirituosus, (& idem est de alio quocunque sanguine, ad cor siue alendum siue muniendum affluente,) non est huiusmodi. Igitur ridiculè, ad Christi compactionem assignatur ea materia, tanquam magis honorifica Christo, & Deiparæ illam subministrante.

Præter

Praeterea positio Christi definitiua in matris vtero.

17. MAnifesta item heteroclisis est, qua Mayro. in 3. d. 4. q. vnica art. 6. statuit, Christum in vtero B. Virginis habuisse quidem ordinem partium in toto, sed caruisse ordine partium in loco, nec aliter se habuisse in vtero, quàm nunc se habeat in Eucharistia, vbi caret extensione situali, etiãsi habet totam suam quantitatem internam ex quo effici putat Mayro, potuisse Christum absque nouo miraculo, exire è materni vteri latebris, saluo matris pudore, & illæsa eius integritate quia corpus quod non est nisi definitiuè, non excludit è loco suo alterum corpus quantumuis circumscriptiuè locatum. Et est id quoque Christo perhonorificum, cui in illis maternis latebris, nihil plus incommodi, à quibusuis loci aut quorumuis adiunctorum indignitate metuendum sit, quàm nunc Christo in Eucharistia, à purulentiis stomachi in quo excipitur: quandoquidem ad positionem definitiuam, nihil ei officere possunt omnia materialia, quæ non agunt nisi in rem extensam.

Verùm hic modus sentiendi, vndecunque rimas agit. Nam inprimis falsum prorsus est, Christum fuisse in vtero matris definitiuè: alioqui non potuisset vllam vegetationem, aut sensationem exercere absque miraculo perpetuo; quia corpus definitiuè locatum, nullius materialis ac extensæ actionis est capax. Itaque Mayro. dum tentat vni miraculo parcere, & penetrationem in exitu è matris visceribus admittendam declinare, inducit miracula permulta per totum nonimestre continuata. Quod autem respondet Mayro, hoc esse relinquendum diuinæ admirationi, adeò insulsum est, vt refelli non debeat. Deinde vt benè argumentatur contra hunc dicendi modum Rubionius, in 3. d. 4. q. 1. art. 3. *ad finem*, hæc philosophandi ratio, euertit veritatem partus Virginis. Nam vt B. Virgo dicatur verè peperisse Christum, necesse est, vt eum actu aliquo virtutis suæ expultricis foras extruserit. At corpus definitiuè positum, non potest naturaliter moueri à motore corporeo, nisi per accidens ob adhæsionem cum corpore locato circumscriptiuè: sicut Christus mouetur ad motum rectum quantitatis specierum, non per immissionem motus immediatè factam corpori Christi ab agente corporeo, V. G. à sacerdote, sed per diuinam effectionem, vt salua sit veritas verborum Christi; quæ poscit, vt quamdiu hæ species perseuerabunt, Christus iis subsit. Anima quidem rationalis, tametsi definitiuè constituta in corpore, mouetur effectiuè ab eo ipso motore corporeo, qui trahit corpus cui anima vinculatur. Nam cohæsio physica animæ cum corpore, facit vt per consecutionem quandam, impressio motus in corpore facta, tametsi ex sola subiecti necessitate spiritualis, efficiatur ab agente corporeo. Ea tamen cohæsio physica, inter Christum quatenus partu propellendum, (quod dico propter neruum vmbilicarem,) & Deiparam, nulla erat. Itaque non potuisset Deipara, Christum definitiuè inter ipsam constitutum, propellere; atque adeo neque parere, quod constat salua veritate Euangelica dici non posse.

Q

18. Admittamus ergo Christum fuisse circumscriptiuè in vtero matris; quamuis per penetrationem exierit inde, illæsa matris integritate; nec eius gloriam captemus iis rationibus quas ipse non admittit; titulo scilicet impassibilitatis in materno vtero consecuturæ positionem definitiuam corporis Christi in eo loco. Non enim est speciosa laus, quæ in errore fundatur. At ea positio, *corpus Christi in matris vtero fuisse de facto impassibile*, sordet errore. Neque tamen rejiciendam censeo, eam analogiam Eucharistiæ & Christi materno vtero conclusi; sed eam accipi volo, ea ratione, quam Clyctouæus serm. de Visitatione B. Virginis, & Salazarius in c. 9. Prouerb. n. 152. iniuerunt. Nempe quod sicut in Eucharistia Christus tegitur speciebus, & sic contectus colitur, ita Christus materno vtero contectus, ab exiliente intra materna viscera Ioanne, & à circumstantibus B. Virginis vterum plusquàm sexaginta fortibus; benè multis inquam sanctis spiritibus Angelicis, honoraretur. Alia præterea in eam rem considerari possunt, quæ eruditè de more ex variis Patribus illustrat Turrianus l. 2. de Eucharistia c. 17. considerans mysterij Incarnationis & Eucharistiæ parallela. Quoad modum tamen essendi Christi intra vterum matris, & sub speciebus panis & vini, non est quærenda proportio, quæ reuera non intercedit.

An inter inania in hac parte Virginis decora, numerandum, quod sanguine menstruo caruerit. Quibus visa caruisse, & quare.

IVxta Abulensem in c. 12. Leuit. q. 19. insignis in hoc puncto est, heteroclisis eorum qui specie honoris in Deiparam, negarunt fuisse in ea sanguinem menstruum, cum tamen de communi Philosophorum & Medicorum sententia, fœtus humanus ex eo sanguine compingatur; qua ex parte, materia fœtus à matre suppeditanda, sanguine pressè accepto continetur. Hoc punctum accuratè euoluendum censeo.

19. Ex vna ergo parte, Concilia & Patres, videntur à Deipara ablegare eam materiam corporis Christi, cum dicunt Christi corpus esse constructum ex purissimis Deiparæ sanguinibus; cuiusmodi certè non est sanguis menstruus, cuius impuritatem monstrat summa eius virulentia, de qua Plinius l. 7. c. 15. verbis quæ adscribere libuit, vt constet an debeat hæc materia à mundissimo Virginis corpore, ablegari. [Nihil (inquit) facilè reperiatur, mulierum profluuio magis monstrificum. Acescunt superuentu musta, sterilescunt tactæ fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorum germina, & fructus arborum quibus insedêre, decidunt: speculorum fulgor aspectu ipso hebetatur, acies ferri præstringitur, eborisque nitor, aluei apum emoriuntur: æs etiam ac ferrum rubigo protinùs corripit, odórque dirus aëra: & in rabiem aguntur gustato eo canes, atque insanabili veneno morsus inficitur. Quin & bituminum sequax alioquin ac lenta natura, in lacu Iudææ (qui vocatur Asphaltites,)

certo tempore anni supernatans, nequit sibi auelli, ad omnem contactum adhærens, præterquàm filò quod tale virus infecerit. Etiam formicis, animali minimo, inesse sensum eius ferunt: abjicíque gustatas fruges, nec postea repeti. Et hoc tale tantúmque omnibus tricenis diebus malum in muliere existit, & trimestri spatio largius.] Monstrat quoque fœditatem teterrimam huius materiæ, exortus variolarum (vt vocant) quibus moris est infici tenellam ætatem, & quandoque etiam grandiorem. Vix enim est, cui vel puero vel ætate prouectiori, non debeant membra expurgari, eiectione impuri humoris quo sanguis menstruus, vnde communiter infantium corpora compinguntur, innatus est: quasi contingat humano corpori, perinde ac vino in doliis, quod ebulliendo defœcatur. Quàm ergo Christus infans ab omni morbo, atque adeò etiam à variolis alienus fuit, tam certum videtur, materiam sanguineam à matre suppeditatam ad formandum corpus eius, non fuisse qualem ab aliis matribus suppeditari tradunt: hoc est sanguinem menstruum.

20. Fuerunt in hac sententia aliqui apud Abulensem postea adducendum, & cum stomacho Catharinus contra Caietanum; Galatinus l. 7. c. 10. Fernandius in c. 18. Genes. sect. 1. n. 10. Toletus in c. 2. Lucæ annot. 35. Franc. Lucas in c. 2. Lucæ ad vers. 22. ac Poza l. 3. tract. 12. c. 2. Et quidem Toletus, inde confirmat hunc sanguinem Virgini defuisse, quia & ante filij conceptionem, & post eum ex Spiritu sancto conceptum, purissima semper fuit: & cum fomite ac carnis rebellione semper caruerit, menstruas item fluxiones quæ à potentia generatiua excitantur, diuino priuilegio non habuit. Admittit quidem Toletus, naturale esse cum fœtus est in vtero, affluere illhuc sanguinem ad eius nutritionem: sed extra id tempus, pati menstrua, effectus est & pœna peccati, vt disertè habet Rupertus l. 3. in Genes. c. 22. vnde non habuisset locum in statu innocentiæ. Ac proinde non habuit locum in Virgine, non ex morbositate, vt in quibusdam fœminis contingit; nec ex caloris debilitate, vt in nimis teneris & nondum nubilibus, nimirum ante annum vix duodecimum; vel in senibus, id est post annum 50. quæ est regulariter meta qua desinunt fieri muliebria, vt disserit Abul. in c. 12. Leuit. q. 19. Non igitur ex his causis, Virgini non accidit secundùm consuetudinem fœminarum, sed ex diuina quadam gratia, & speciali priuilegio vt cœleste illud vas Christo excipiendo destinatum, omnis immunditiæ quamuis formaliter non malæ, expers esset. Vix alia pro hac parte adducit Poza, tametsi in senarium rationum, ista dispescit. Tantùm vrget præterea, carentiam effluxus cuiusuis sanguinei in partu Virginis, vt disertè habetur apud Autorem libri de oper. Card. serm. de Natiu. Item defectum materiæ seminalis in plerisque viris; hoc naturæ commune vitium, quâ ciborum temperato vsu emendantibus, quâ peculiari Dei beneficio effugientibus; cum tamen non minùs naturalis & necessaria videatur seminis confectio in viris, quàm in fœminis, collectio & expulsio menstrui sanguinis. Itaque pura fuit Virgo ab omni huiusmodi illuuie, & ægritudine fœminei sexus; sic enim de medicorum sententia, menstruum fluxum nominat supra, Fernandius.

Qui non caruisse censuerint, & quo fundamento.

21. Contrariam sententiam tradit Abulensis in c. 12. Leuit à q. 7. contendens fuisse in Deipara sanguinem menstruum, qui est residuum alimenti in fœminis, & per virtutem generatiuam magis digeritur, eóque naturaliter appellit, vbi procreatur fœtus: siue fiat eius procreatio & generatio, siue non fiat. Postquam enim per suctum venarum spermaticarum ex orificiis vasorum, & ex partibus in quibus abundabat, attractum est, elaboratur atque perficitur magis, & accedente viri contactu, alitérue irritata libidine, deciditur cum voluptate, confluítque in aulam seminum, vt vocat S. Ambrosius. Libido ergo eiúsque sensus, planè defuit B. Virgini concipienti: sed Spiritus sanctus qui Virgini obumbrauit 1. virile officium suppleuit, sanguinem formando Christo necessarium, absque Virginis titillatione, & sensu voluptario; qui in momento quo ea sanguinis collectio facta est esse non poterat, proliciuit ad vterum, vt Christus formaretur. Hæc ergo cum sit materia præcipua ad compingendum fœtum; profectò si talis materia denegetur B. Vigini; negandum erit eam fuisse verè Christi matrem, eo proprio ac germano modo, quo aliæ mulieres, sunt liberorum suorum matres. Nam sicut si Christus fuisset productus è carnibus vel ossibus B. Mariæ, adimeretur ei maternitas, quæ supponit productionem prolis ex materia per virtutem generatiuam matris disposita, & præparata vt sit aptum animæ conceptaculum; vnde Adam non fuit mater Euæ, tametsi Eua ex eius costa sit constructa. Ita si Christus esset productus ex alia materia B. Virginis, V. G. ex sanguine venali, non esset dicendus eius filius.

Nec dici potest, Isaacum productum esse ex alia materia quàm sanguinis menstrui, quandoquidem desierant Saræ fieri muliebria; & tamen Isaacum fuisse verè & propriè filium Saræ. Hoc inquam nequit vrgeri, contra prædictum argumentum: quia quamuis desiissent fieri Saræ muliebria, & naturaliter non fieret amplius in ea digestio illa sanguinis, quæ ad fœtus formationem necessaria est ex parte matris; tamen vegetante Deo vim naturalem, id ipsum in Sara factum est ante prolis conceptionem, quod naturaliter contingit in aliis. Itaque primum illud argumentum Abulensis, est satis validum. Confirmatúrque ex eo quod si Christus esset compactus ex alia materia, puta ex sanguine venali, illhuc diuinitùs adunato vbi formatur naturaliter fœtus, fatendum esset, Christum fuisse contractum ex materia impuriore, minúsque digesta, quàm sit ea ex qua compinguntur cæteri pueri: quandoquidem, vltima perfectio sanguinis ex alimento proximo residui, confertur sanguini quando est in statu menstrui sanguinis. Itaque vt Christus ex eadem materia qua cæteri, compingi statuatur; & fratribus per omnia assimiletur, ne miracula sine causa multiplicentur; fatendum est, Christum ex menstruo matris sanguine formatum esse.

Vix plus aliquid boni succi quis eliciat, ex tredecim illis rationibus quas

Abul. in c. 12. Leuit. q. 7. intentat aduersus appositam sententiam in quam etiam validè conclamat q. 19. dicens eam esse insanam, & honorare Deiparam per mendacium, statuendo eam alienam à natura humana; ita vt facilè fieri possit, vt progrediente licentia fingendi, immunitates à naturalibus passionibus in Deipara, consequatur, eam nec Christi propriè matrem, nec verè mulierem, esse agnoscendam.

Resolutio, sub distinctione, qua eadem materna Christi, & aliorum fœtuum humanorum, materia admittitur; menstrua illuuies à Virgine ablegatur.

22. Mihi hæc lis videtur componi ex parte posse, si dicamus B. Virginem fuisse quidem semper mundam, & liberam ab omni illuuie impura, & ideò non esse passam, quod secundùm consuetudinem fœminarum patiuntur aliæ. Et tamen corpus Christi formatum esse ex eadem planè materia sanguinis elaborati, ex quo formantur aliorum fœtuum corpora. Hoc secundum videtur perspicuum. Nam fœtus humani non formantur ex illo sanguine impuro qui excernitur menstruis periodis in fœminis; & cum aliquandiu supprimitur, partim cunctatione illa acescens & virulentiam contrahens, partim admistione aliorum humorum corruptorum in sentina illa locorum muliebrium, ad insignem vsque malignitatem deprauatur. Sed formantur ex puro sanguine, cuius reliquiæ ac fœces sunt, quæ excernuntur menstruis periodis. Hac ratione dabimus primæ sententiæ quod intendit; nempe defuisse B.Virgini illuuiem illam deprauatorum humorum, quæ menstruatas dehonestat: nec refragabitur secundæ sententiæ, quæ tantùm eandem Christi & cæterorum fœtuum materiam deposcit, vt B.Virgo sit vniuocè mater cum aliis. Certè Abulensis, qui secundam illam opinionem tanto studio stabilit, apertè q. 11. *sub finem.* ait fœtum non formari ex sanguine menstruo excrementitio, quamuis hic solus simpliciter soleat dici sanguis menstruus; sed formari ex eo sanguine à quo plenè purgato & defœcato separatur sanguis menstruus, qui effunditur. Nam ob eam cum menstruo purgamento prædicto coniunctionem excretioni præuiam, nomine quoque menstrui sanguinis donatur, tametsi iam purus & mundus; ex quo etiam alitur fœtus, dulcissimum postulans alimentum, & lac quoque conficitur. Ex hoc ergo sanguine puro Deiparæ, qui in aliis fœminis habet reliquias menstrua periodo excernendas, formatum esse & lactatum corpus Christi, affirmat Abulensis, non autem ex illo alio qui excernitur. Et quoad hoc, subscribo Abulensi.

23. Est alterum punctum in sententia Abulensis, de quo potest esse magis anceps quæstio. Nam Abulensis q. 13. & 14. contendit locum habuisse in Deipara sanguinem illum qui excernitur, æquè ac alia naturalia purgamenta ex reliquiis cibi & potus. Cum enim B.Virgo, non sit priuanda ea naturali perfectione digerendi & aptandi vltimò sanguinem, vt sit idonea & proxima

fœtus materia: omnis autem digestio & defœcatio contineat secretionem puri ab impuro, manifestum, est sanguinem Virginis ad venas spermaticas deuectum naturaliter, vbique virtute naturali depuratum, debuisse seiungi à materia admixta minùs pura, quæ post defœcationem & separationem à materia puriore excerneretur naturaliter, ne suppressa deprauaretur, & ea inferret incommoda quæ cæteras mulieres pessimè afficiunt. Ita ratiocinatur Abulensis, qui non plus agnoscit impuritatis ex hac menstrua excretione, quàm ex quotidiana stercorum & vrinæ emissione: nec admittit eam esse pœnam peccati, saltem quoad causam & originem suam; quamuis possit censeri pœnalitas, quæ per gratiam indebitam præpedita fuisset in statu innocentiæ; nunc autem non impeditur. Sicut necessitas moriendi quæ naturalis est, appellatur pœna peccati, siue pœnalitas; quam Christus ipse, atque adeò etiam Deipara, non refugit. Quidni ergo Deipara, illi quoque alij pœnalitati mulierum propriæ, tametsi innoxia subiacuerit?

In hoc altero puncto, dixi resolutionem Abulensis posse videri magis ancipitem, nec deest via præstandi Deiparam hac labe puram cum enim sanguis Deiparæ esset ex se valdè purus, per paucas habebat adiunctas excrementitias partes secernendas; vnde earum resolutio facilè poterat per poros, siuè per transpirationem, alitérue quàm solito mulierum humoribus scatentium more perfici; sicut fiebat in ea excretio sanguinis puri per venas spermaticas elaborati, cum non esset vsui ad conceptum nouum. Et sicut fit excretio seminis naturaliter formati, in perfectis plerisque viris; ne de Christo ipso, hoc exemplum cum verecundiæ dispendio vrgeam. Itaque quoad partem quæ nitori Deiparæ magis fauet, haud grauatè subscribo alteri sententiæ, deserto Abulensi: cum quo propterea, litera quæ illi cum aliis autoribus erat, ex parte tantò componendam recepi, sicque cano receptui.

An & quatenus percipiatur Virginis caro in Eucharistia.

24. NOn est omittendum vnum & alterum eximium ornamentum B. Virginis, & pietatis erga illam insigne specimen, quorum vnum nuperus quidam scriptor expressit c. 3. Operis, deuotione 8. Professus enim ex Christi per Virginem conceptione, monstrare haud suppostitias B. Virginis reliquias, assumit corpus Christi quod in Eucharistia exhibetur, [originaliter compactum esse ex pretiosa carne (appendo ipsas eius voces) & sanguine B. Virginis tanquam ex totali materia: quæ prima & originaria substantia iuxta Suarem nunquam perit, sed semper homini immanet. Itaque Christus etiamnum retinet substantiam totam quam accepit in sua prima formatione: quæ substantia cum à sola B. Virgine esset subministrata, habemus manifestè in Eucharistia, carnem quæ fuit caro B. Virginis. Qua ratione accipi potest illud D. Augustini serm. de Assumpt. caro Christi, caro Mariæ. Quid verò clarius quàm quod ait in Psal. 98. De carne Mariæ carnem accepit, & ipsam carnem Mariæ, nobis manducandam ad salutem dedit.] In eadem sententia est

Celada in Juditha figurata à num. 87. qui valdè vrget illud Petri Damiani serm. 45. [Illud corpus Christi quod Beatissima Virgo genuit, quod in gremio fouit, quod in fasciis cinxit, quod materna cura nutriuit; illud inquam absque vlla dubietate non aliud, nunc de sacro altari percipimus, & eius sanguinem in Sacramentum nostræ redemptionis haurimus. Hoc catholica fides habet; hoc sancta Ecclesia fideliter docet.] Exclamat Autor prædictus. *Quid luculentius ad hanc rem*? Itaque ipsissima caro B. Virginis adoratur quotidie supremo cultu in templis,& immolatur Deo in sacrificium suauissimi odoris Domino: fásque est refundere in B. Virginem quicquid de Eucharistia & ibi reapse existente Christo, profertur: quo quid Virgini gloriosius? Quid nobis ad fouendam pietatem, cum erga Eucharistiam, tum erga Deiparam opportunius? Possumus ergo cuique communicanti cum Fulberto episto. 1. dicere, [Exere palatum fidei, dilata fauces spei, viscera charitatis extende,& sume panem vitæ interioris hominis alimentum, non arte pistoria fermentatum, sed incarnatæ Deitatis, vitale pulmentum.] Quod vtique focaria & panifica sapiens, de suis ipsamet carnibus apparauit, atque proposuit edule.

25. Hîc necessarium est cribrum. Sunt enim farinæ siligineæ, admisti furfures. Quod ergo dicitur, Christum compactum primò fuisse ex pretiosa carne & sanguine B. Virginis tanquam ex totali materia, non est verè dictum. Non enim caro B. Virginis fuit partialis materia corporis Christi in prima eius formatione. Nec id voluit D. Augustinus, & si qui alij, dicunt carnem Christi sumptam esse de carne B. Virginis, id enim verissimum est, quamuis caro B. Virginis non fuerit materia partialis, adhibita ad formandum corpus Christi, quia sufficit quod de carne Beatæ Virginis, tanquam ex vase continente, sumpta sit materia è qua formaliter & immediatè compingendum erat corpus Christi: Ita vt ea locutio, *Christus de Virginis carne, accepit carnem*, non sit formaliter sed causaliter & metonimycè vera: quatenus continens, seu caro, vsurpatur pro sanguine intra carnem contento, è quo fabricatum est corpus Christi. At verba quæ excutimus, planè ferunt, carnem & sanguinem B. Virginis, vtraque partialiter, integrasse materiam è qua formatum primò est corpus Christi: quod constat dici non posse; quia caro matris immediatè & formaliter loquendo, nullo modo est materia fœtus, intra materna viscera procreati.

Iam quod caro primogenia & radicalis super eadem perseueret in homine, non rectè dicitur. Nec enim potest proferri priuilegium vllum, quo ea substantia iure dicatur esse irresolubilis per calorem naturalem, quem constat perpetuò depasci substantiam præiacentem,quæ tota est ac solubilis. Sicut nutritio quæ fit ad damna illius resolutionis sarcienda, & accretio quæ nutritioni coniungitur, non fiunt per iuxta positionem ad aliquas tantùm partes præiacentes, sed fiunt secundùm omnem partem sensibilem. Itaque omnia ferè argumenta quibus impetitur sententia Magistri in 2. d. 30. *in fine*, affirmantis portiunculam aliquam substantiæ Adami,quæ sola sit de veritate humanæ naturæ, deriuari illibatam & irresolubilem, ab Adamo ad vnumquemque nostrum,

accommodari proportione possunt ad hanc irresolubilitatem substātiæ primigeniæ fœtuum destruendam. An ergo portio aliqua primigeniæ substantiæ, post annos non paucos V. G. Vicenos aut tricenos, perstet in corpore, non potest liquere. Ac proinde deuotio quæ fundatur in identitate substantiæ alicuius in Deipara præiacentis, cum substantia nunc existente in Christo, nititur fundamento valdè incerto, & de quo liquere non potest; ruitque, vel ad incertum reducitur ea gloria B. Virginis, quod aliquid eius adoretur summo cultu Dei proprio in templis, & sit hostia sacrificij Christiani; sintque hæ certæ & nequaquam suppositæ B. Virginis reliquiæ inter nos residuæ. Nec idcirco qui Eucharistiam participant, priuantur eo pio sensu quo delibutum S. P. Ignatium testatur Salazarius in c. 9. Prouerb. n. 144. quod scilicet communicans, gustet carnem B. Virginis. Id quippe sufficienter fundatur in eo quod hæc caro quæ in cibum sumitur, præfuerit causaliter in Virgine saltem originaliter. Eatenus enim, mater & filius, censeri possunt eadem caro. Petrus verò Damiani, & quotquot dicunt, corpus quod in Eucharistia sumimus, esse illud ipsum quod sumptum est ex B. Virgine, non intendunt astruere irresolubilitatem primigeniæ substantiæ Christi; sed tantum affirmare volunt percipi à nobis de sacra mensa ipsummet Christum ex Virgine natum, quod verum manebit dilapsis licet partibus primigeniis. Sicut cum de Petro quinquagenario dicitur, esse illum ipsum qui natus est ex Caia matre, significatur tantùm identitas per æquiualentiam de qua Philosophi cum de nutritione disputant.

26. Multò mitiùs egi contra propositam sententiam, quàm fecerit Guido Carmelita in summa de hæresibus tract. de hæresi Græcorum c. 13. vbi ait, hanc esse manifestam hæresim. Verba Guidonis, ne cui minùs attentè legisse videar, placet repræsentare. [Tertius decimus error Græcorum, est; Dicunt enim quod reliquiæ panis consecrati, sunt reliquiæ corporis B. Virginis. Hic error, stultitiæ & amentiæ plenus est. Nam corpus Christi sub qualibet parte hostiæ consecratæ integrum manet. Itaque quælibet pars à tota consecrata hostia diuisa & separata, est verum corpus Christi. Hæreticum autem est & fatuum, dicere, quod corpus Christi sit corpus Virginis matris suæ: Sicut hæreticum esset dicere quod Christus esset B. Virgo, quia distinctorum hominum distincta sunt corpora: nec tantus honor debetur corpori Virginis, quantus debetur corpori Christi cui ratione diuini suppositi debetur honor Latriæ, & non corpori Virginis. Igitur, dicere reliquias hostiæ consecratæ esse reliquias corporis Beatæ Virginis, est hæreticum manifestè.]

Coronatio

Coronatio Christi in temporalem Iudeæ Regem, per cessionem à Deipara factam in puncto Incarnationis, decus Deiparæ recens inuectum.

ALterum eximium Virginis ornamentum recens cusum, quod prætermissum nolebam, est; quod B. Virgo, quæ ex paterna successione Regni Iudæorum temporarij Regina erat, vltrò cesserit filio, hoc regno in puncto Incarnationis: de quo propterea graues PP. & prisci Rabbini apud Galatinum l. 3. de arcanis c. 26. accipiunt illud Cantic. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate quo coronauit illum mater sua, in die desponsationis illius & in die lætitiæ cordis eius.* Hunc diem, esse diem quo Verbum est incarnatum, tradunt multi Patres, signati lib. 5. de Christo, tractando inaugurationem Regis gloriæ. Christus ergo ea die egressus velut Gigas ad currendam viam, & tanquam sponsus de thalamo suo procedens, à Virgine matre coronatus ea ipsa die est; matre in filij gratiam vltrò se abdicante corona temporali Regni Iudaici, vt factum à plerisque Imperatoribus & Regibus superstitibus in gratiam liberorum, & à S. Cœlestino 5. cum Pontificatui renunciauit. Hanc Virginis erga amantissimum Filium liberalitatem, ipsi matri ex Christi deuinctione perhonorificam, repenso vniuersi orbis regno, remunerauit qui nunquam beneficiis vincitur Christus. Ita latè quoad hæc omnia, Scipio Agnellus lib. 3. de interna cruce Deiparæ dissert. 3.

Non subscribo; neque hoc decus Virginis, inter solida eius ornamenta recenseo. Neque Patres qui coronationem Christi per matrem citato Canticorum loco prænunciatam dixerunt, ad hanc Christi coronationem in temporalem Iudæorum Regem, respexerunt: sed ad spiritualem & supernaturalem Christi inaugurationem in Regem vniuersorum, consecutam esse personale Verbi, communicatum humanitati Christi in puncto conceptionis eius ex Virgine matre: quam cessisse regno in gratiam Filij non persuadebitur, donec proferantur publicæ & authenticæ cessionis & acceptationis tabulæ. At quas nullus confecit, aut assentauit tabellio. Quid quod petitam vel Regno Iudaico, vel iure ad illud Deiparam, commentitium est? Quare ad populum phaleras.

PVNCTVM VI.

ADITIO COGNATÆ ELISABETHÆ PER Virginem; Ibidem trimestris commoratio. In regressu Iosephi sponsi turbatio; Angelo docente discussa.

1. CHRISTO concepto, Virgo mater ex tantis Dei in ipsa mirabilibus diuino perfusa sensu, incredibilibus & inexplicabilibus incessit lætitiis [statim (inquit Autor tractatus in Cant. Virg. t. 9. Aug.) adueniente Spiritu sancto in Virginem, omni gratia virtutum, sacrosanctum habitaculum in aduentu Dei implente; dubium non est cœlestium gaudiorum & æternæ dulcedinis quàm miram atque inenarrabilem suauitatem Virgo ipsa concepit, quando illud æternum lumen cum toto maiestatis suæ fulgore in eam descendit, & quem non capit mundus, totam se intra viscera Virginis collocauit. Audacter pronuncio, quod nec ipsa planè explicare potuit, quod capere potuit: Sed Spiritu sancto docente, didicerat sic sua per humilitatem tegere. Surgit mox & conscendit in montana Iudeæ: vnde Elizabeth Spiritu sancto repletur, qualis & quanta esset quæ ad se venerat agnouit, & quàm se indignam eius visitatione iudicaret, aperuit dicens, vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce, & cætera. Tunc ait Maria, Magnificat anima mea Dominum.]

Virginis Hebronem profectio. Quæ ibi cum cognata, eiúsque prole.

2. SVmmella est, eorum quæ Mariam inter ac Elizabetham, palam sunt transacta, Hebrone vbi creditur fuisse domus Zachariæ, vt latè & benè prosequitur Castro c. 6. histor. n. 2. eò Deipara confestim ab Incarnato Dei Verbo, idest paucis post diebus concessit; non quidē incomitata, quod Virginis pudor satis suadet, sed vt Franciscus Lucas existimat Lucæ 1. vers. 30. & Toletus Luc. 1. annot. 115. absque Iosepho, quem non interfuisse occursui cognatarum, monstrat consecuta turbatio, ob deprehensam post reditum grauiditatem sponsæ, vt mox dicetur. Itaque hallucinatus est Isolanus l. de donis S. Iosephi p. 2. c. 6. cum dixit, S. Iosephum comitatum esse Deiparam ad domum Zachariæ: id quod etiam cum multis habet Morales l. 4. in Matth. tract. 1. num. 10. & subscripsit postea Matthias Naueus orat. 11. de S. Iosepho. Quæ ergo inter duas matres, palam sunt transacta Hebrone absente

Iosepho, paucis illis comprehensa sunt quæ ex Autore tractatus in Canticum Magnificat sunt adducta, déque eis agere sufficit. Nam quæ inter Verbum in Virginis vtero carne vestitum, & Baptistam Elizabethæ matris aluo abditum, clam sunt transacta, vt sanctificatio pueri, concinnissimè descripta à S.Bernardo serm. de S. Ioanne Baptista, & eius exultatio ob agnitum in illis latebris aduentum Christi; tametsi à matre ex parte sunt indicata, tamen cum ad Christum potiùs pertineant, hîc dimitti possunt; vt iis insistamus quæ Virginis sunt propria, & in hoc mysterio sunt permulta & illustria, vt optimè perpendit Conc. Basileense sess. 43. decernens celebrari festum visitatæ à Deipara Elizabethæ.

3. Virgo igitur à reddente salutem Elizabetha, & sacro ventri oscula figente (vt Paulinus carm. 5. piè obseruauit) ad vocem salutantis Spiritu sancto & prophetiæ dono impletâ mater Dei audiuit, & quæ in ea diuinitùs peracta essent, ex cognatæ ore percepit, indéque in Dei laudes erupit, magnalium diuinorum erga se ac genus humanum breue compendium, complexa in Cantico extraordinariæ sapientiæ cœlestis refertissimo, vt concinnè ostendit Gregorius Neocæsar. orat. 2. de Annunc. & plenè ac egregiè Canisius l. 4. de Deipara à c. 3. ad 8. & qui illud iustis commentariis exposuerunt præter interpretes Lucæ 1. Magnus Albertus, Vigerius in Decachordo. Chorda 7. Augustinus Anconitanus, Hugo Victorinus in Allegoriis in Lucam, Pelbartus in Stellario, Iacobus de Valentia, Petrus Loyerius, Valentinus Gerardus, Carthagena l. 6. de Deip. ab homil. 10. ad 27. Antonius Agellius in Cantica diuini Officij, & pleno opere de hoc Cantico Rutilius Benzonius. Cui tamen non subscribo ibi l. 1. c. 3. & comment. in Psal. 86. c. 22. latè contendenti, canticum istud, & cantatum, & carmine editum esse à Deipara. Omnia enim quæ profert, eò tantùm pertinent, vt probetur hoc canticum esse ore prolatum, ex affectu testandi suam erga Deum gratitudinem, & eatenus laudandi Deum. Quæcunque enim sunt huiusmodi, nomine *Canticorum* donantur, etiamsi neque carmine sint conscripta, neque cum pressè accepto cantu, & vocis modulatione canora, sint pronunciata, vt docemur ex Cantico SS. Ambrosij & Augustini, & ex aliis plerisque antiquis Canticis. Illud potiùs de hoc cantico dixerim, in magna verborum simplicitate, perillustria intra illud cerni mysteria. [Quis dubitet (inquit Hugo. Victor. præfatione ad hoc canticum) B. Mariam recens Spiritus sancti in se superuenientis tanta plenitudine & gratia repletam, non potuisse paruum aliquid, & quod supra terrenarum mentium capacitatem non esset, in laudem Saluatoris sui proferre? Constat ergo de tanta plenitudine eructantem, tantáque deuotione nouum illud, & humanis mentibus insolitum gaudium Iesu suo iubilantem, noua laude, & singulari præconio, nouam lætitiam, in nouo aduentu æterni Domini, prædicasse.] Et tamen vt idem obseruat, rudis rerum diuinarum lector, vix putat subesse verbis tam simplicibus, támque in speciem apertis, quod solers interpretatio effodiat. Nec illud prætermitto quod Petrus Damiani opusc. 10. c. 4. pulchrè notauit, circa tempus quo hoc canticum in Ecclesia concinitur. [Canticum

(inquit) B. Dei Genitricis, non incongruè vespertino copulatur officio. Illa siquidem velut emenso iam longo præteriti seculi die sub ipso scilicet mundi vesperascentis occasu, mox vt lumen æterni verbi fœlicis vuluæ flore concepit, protinus in vocem diuinæ laudis erupit; *magnificat* (inquiens) *anima mea Dominum.* Ad instar ergo illius quæ mater est Christi, & tota vniuersalis Ecclesia, quæ Christianorum vtique mater est, quæ & idipsum lumen portat in mente, quod illa dudum gestauit in ventre, aduesperascente iam die, digna Deum laude magnificat, & de collatis beneficiis gratias agens, Spiritus eius in Deo salutari suo gratulabundus exultat.]

Regressus Virginis sub Elizabethæ partum.

4. HÆsit Deipara apud cognatam, insigni cum profectu Baptistæ (vt Origenes egregiè commentatur hom. 9. in Lucam, quem expressit S. Ambrosius l. 2. in c. 1. Lucæ c. 3. & l. de instit. Virg. c. 7. & Petrus Damiani serm. de S. Ioanne:) hæsit inquam quasi menses tres, hoc est ferè vsque ad Ioannis natiuitatem: qua instante, Virgo & pudori suo, & paci in magna cognatorum ac vicinorum mox consecutura frequentia consulens, rediit domum, vt rectè statuunt Rupertus l. 1. in cant. ad illud *Nigra sum*, Euthymius & Theoph. Lucæ. 1. Nicepho. 1. histo. c. 8. Canisius l. 4. Marialis c. 6. Corderius Lucæ 1. ad vers. 56. & Caietanus ibid. Quamuis Azor. t. 2. l. 1. c. 23. q. 8. contrarium præeligat, & Virginem cognatæ, cum maximè obsequio egebat, hoc est partus tempore, affuisse contendat; suffragantibus aliis, vt Francisco Luca ad c. 1. Lucæ v. 75. Toleto ibid. annot. 134. Catharino acriter pro more, hac ex causa Caietanum sugillante. Sed sententiam nostram non obscurè insinuat S. Lucas cum præmisso & discessu Deiparæ, subjungit impletum esse tempus pariendi Elizabethæ. Ex subductione temporis ab Angelo signati de grauiditate Elizabethæ & quasi trimestris commorationis apud Elizabetham à Luca signatæ idem eruit Ioannes de la Haye in disposit. Euang. c. 6. notatione 12. Patres in eam rem benè multos profert Castro c. 6. hist. n. 7.

Nec si Ecclesia festum Visitationis quoad Ecclesiasticum officium instituens, alligauit illud diei quæ Natiuitatem Baptistæ consequitur, potest inde argumentum peti contra hanc opinionem nostram. Nam Ecclesia, quum memoriam aditæ per Virginem Elizabethæ indixit post Natiuitatem Baptistæ, non id fecit vt regressum Virginis tunc contigisse demonstraret. Sed in re de qua ex narratione Euangelica non planè liquebat, elegit quod non incommodum apparuit. Cum ergo visum esset commodius, eam memoriam alligare tempori regressus, quàm aditionis, ne duplex Virginis festum, Annunciationis nimirum ac Visitationis, intra paucos dies celebrari contingeret, & quidem eo tempore, in quod frequenter incidit luctus, ob mortis dominicæ recursum: Tempus autem regressus haud prorsus certum esset, quia quod dixit Euangelista *mansit quasi mensibus tribus*, potest accipi de paulo maiore, aut paulo angustiore spatio temporis: Censuit Ecclesia, non incommodè festum addictum me-

moriæ huius mysterij, decernendum esse post Natiuitatem Ioannis, siue tunc contigerit regressus ille, siue paulo ante.

Virgo ex grauiditate, non grauata.

5. INterea per temporis decursum, fœtus in Virginis vtero crescebat in dies, circa vllam tamen matris grauationem prægnantibus solemnem. Caussas considerat Cardinalis Vigerius chorda 2. c. 31. Et breuiter ratio fuit, quia in aliis prægnantibus, post susceptam vim fœtus causatiuam, necesse est materiam vi naturali multipliciter transmutari. Et cum sæpè ea materia non sit satis pura, satisque digesta, nec benè consentiens formationi; impuris item humoribus aduentitiis permisceatur; mirum non est, existere inde luctam & obsistentiam inter passiua & actiua malè sibi congruentia: Quæ materiæ indocilitas, & intractabilitas, discordiáque agentium & patientium, matri molestias necessariò infert. Accedit interdum superfluitas aliqua materiæ seminalis, & nutrimenti quod fœtui suppeditatur malignitas, quæ fœtui cum matris incommodatione officit. Quid prægnantium turbidi affectus, & immoderationes quoad cibum & potum? incompositio item vehementia in corporis motibus? quæ omnia grauiditatis tempore, malè vt plurimum habent mulieres, easque cum fœtus incommodo grauant, & cumulant molestiis. Nihil horum in B. Virgine aluo gerente locum habuit. Nam & ipsa vbique & in omnibus temperatissimè se habebat; & Spiritu sancto specialiter prouidente, nulla materiæ obsistentia, vel impuritas consuetis prægnantium fastidiis eam infestauit.

6. Itaque fuit hæc grauiditas planè singularis, & consolationis potiùs referta, quàm mœstitia laborans. [Nulla (inquit Fulg. ser. de lau. mar. ex partu salut.) fieri grauedo potuit concipiente, nulla tristitia parturienti. Qui enim venerat tristè lætificare sæculum, ventris non constristauit hospitium.] Et mox [Plena sunt viscera, & nullum nouit contagium Virginis conscientia. Cum esset grauida, salubri leuitate plaudebat. Lumen enim quod intra se habebat, pondus habere non poterat. Facta est Maria fenestra cœli, quia per ipsam Deus verum fudit seculis lumen.]

Atqui lumen pondere vacat. Non igitur Virginem onerauit inclusum intra eam lumen mundi S. Athanasius orat. de censu, perspicuè hoc tradit. [Quanto magis (inquit), venter intumescebat, eo securiori animo B. Virgo viuebat, simul & Virginitatem incorruptam custodiens, & fœtum sine fastidio gestans: non tantum partus labore pressa quantum illo leuata. Iure (inquit S. Bernardus serm. in illud *signum magnum*) illud molestissimum tædium, quo reliquæ omnes grauidæ mulieres laborare noscuntur, sola non sensit quæ sola sine libidinosa voluptate concepit. Vnde & in ipso suæ conceptionis initio, quando potissimùm cæteræ mulieres miserabiliùs affliguntur, Maria tota alacritate montana conscendit, vt Elizabeth ministraret. Sed & ascendit Bethlehem, imminente iam partu, portans preciosissimum illud depositum, portans onus

leue, portans à quo portabatur.] Hebræi sanè DD. vt autor est Lyranus ad illud 1. Paralip. 15. *cum adjuuisset Deus Leuitas qui portabant arcam*, senserunt Leuitas arcam gestantes, nullum in ea gestatione pondus sensisse, quia arca seipsam portabat. Hic arca sanctificationis Domini Christus, non modò seipsum portat, sed suam quoque beatam portitricem, Matrem inquam, vt D. Bernardus dixit.

Approbat Bernardum Richardus à S. Laurentio l. 3. priuilegio 3. eius verba sunt insignia.[Tertia (inquit) Mariæ prærogatiua, secundùm B.Bernardum, quod fuit sine grauamine grauida. Hæc autem prærogatiua demonstratur in hoc, sicut dicit Beatus Bernardus, quod in ipso suæ conceptionis initio, quando cæteræ mulieres miserabiliùs affliguntur, Maria tota alacritate conscendit *in montana cum festinatione*, vt Elizabeth ministraret, quam ab Angelo audierat concepisse. Et notabiliter dicitur *cum festinatione*, idest, non lento gradu, sicut mos est aliquo onere grauatorum. Ostenditur etiam per hoc, quod ascendit in Bethleem imminente iam partu, portans in vtero pretiosissimum illud depositum, portans illud onus leue, portans à quo portabatur, infantem: portans in quantum scilicet erat homo, à quo portabatur, inquantum erat Deus, *sub quo curuantur qui portant orbem*. Iob. 9. *Qui portat omnia verbo virtutis suæ*, ad Hebræos 1. Et ita patet, quod corpus, quod Christus assumpsit de Virgine, aut fuit sine pondere, aut corpus Virginis à quo portabatur, & postea vndas maris similiter, quo pondus corporis sustinere possent sua potentia solidiùs confirmauit. Leuitati autem Dominici corporis attestatur illud Isaiæ 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem.*]

Non repugnat Petrus Damiani serm. 3. de Natiu. Virg. cum imitatus siue Augustinum siue Fulgentium (vtrique enim tribuitur à variis sermo 18. de Sanctis) ait, Virginem sensisse pondera ventris. Non enim *pondera* accipit pro onere grauante, sed pro mole, etiamsi non onerosa. Non quia Christi corpus quoad hoc dote agilitatis potiebatur, ita vt in actu secundo non grauitaret, matrémque onere fatigaret, vt ex Maiore philosophatur Barradius t. 1. l. 8. c. 14. *initio*: Sed quia per potentiam miraculorum, suspendebat sui corporis grauitationem, vt dixi l. 4. de Christo sect. 1. cap. 1.

Iosephi turbatio, sponsa post regressum grauida deprehensa, per Angelum discussa.

7. REgressa domum absque vllo ex grauiditate grauamine, prægnans Deipara, cum exacto iam trimestri à conceptu, per tumorem vteri ex fœtus accremento deprehensa esset grauida, non exiguæ turbationis materiam sponso Iosepho præbuit, vt narratur Matth. 1. vers. 18. & seqq. Id enim hoc tempore omnino contigisse, nec expectandam esse profectionem Bethleemiticam ad profitendum vt facit S.Athanasius hom. de censu, omnino verum videtur. Nam ante aditam Elizabetham, quamuis iam Virgo concepisset, tamen

intra biduum triduúmue quod inter conceptum Verbi Dei, & dicessum interiacuit, nondum fœtus adeò creuerat, vt mater ex tumore ventris posset deprehendi grauida. Fuit quidem Christus, iam ex primo momento adeò magnæ quantitatis, quantæ solet esse fœtus masculus post diem circiter 40. à conceptu, quando animatur. Verùm tunc magnitudo fœtus non est tanta, vt aluum sensibiliter tumefaciat, quia illhuc vsque non crescit vitaliter, sed tantùm post animationem, quæ non nisi dicta circiter die peragitur. Itaque cum ros cœlestis illapsus esset in Virginem sicut pluuia in vellus, hoc est sine strepitu & nemine conscio, vt eleganter Dauidem ad hoc ipsum propositum interpretatus est Theodoretus Psal. 71. Virgo autem ante aditam Elisabetham, non esset, sine sua enunciatione præ demissione & modestia, siue tumore ventris deprehensa prægnans; nec Iosephus interfuisset alloquiis cognatarum, quibus B. Maria mater Domini facta, & per fidem verbis Dei præstitam beata ob verbi Dei conceptum est proclamata; regressam post trimestre sponsam abs se intactam, Ioseph supra quàm dici potest miratus est grauidam.

8. Hæsit principio, attonito similis, Deo ad securitatem nostram firmandam, sic permittente, vt supra cum Bernardo & Chrysologo diximus. Deinde post aliquem cogitationum inuicem disceptantium tumultum; hinc ventris tumore conceptum fœtum prodente; inde comperta Virginis sanctitate magnos in eius animo æstus ciente; cogitauit de ea occultè dimittenda. Vbi insignis Iosephi virtus proditur, iuxta S. Ambrosium serm. 7. in psal. 118. vers. 5. [de Ioseph. (inquit) cui desponsata erat Maria mater Domini scriptum est, quòd cùm eam grauem vtero vidisset, ***cum esset iustus, noluit eam traducere***; & vtique nullum adhuc audierat oraculum. Ita non solùm ab vltionis atrocitate, sed etiam ab accusationis seueritate, persona iusti aliena est: potiúsque ducit suam remissionem accusari quòd non vindicauerit, quàm alienum crimen vrgere.] Petrus Chrysologus non dissimiliter serm. 175. [Ioseph ille (inquit) maritus solo nomine, conscientia sponsus, prægnantem sponsam fluctuans & anxius intuetur, quia neque accusare innocentem, neque prægnantem poterat excusare. Tacere tutum non erat, erat loqui periculum. Admittit, non prodit crimina accusator insontis. Erat ipse testimonium castitatis, erat custos pudoris. Aliud nouerat, aliud intuebatur. Confundebat Virginis fides, actus, & vita. In biuio mens iusta, & sanctus animus ancipiti cogitatione torquetur. Sentit, sed tantum non potest penetrare sacramentum, quia nec accusare poterat, & defensare penes homines non volebat.] Magnis igitur pectus eius feruebat æstibus dubitationis, vnde hæc sponsæ abs se intactæ, & tam sanctæ, grauiditas. Itaque de adulterij suspecta coniuge dimittenda, iniuit consilium. Id enim fuisse Iosepho licitum, eo quod occulta esset dimissio & absque scandalo, quæ dimissio adulteræ in foro conscientiæ est viro licita, affirmant Sanchez l. 10. de matr. disp. 12. n. 36. & idem dicent Maldon. Matth. 1. & Abulens. Matth. 19. q. 72. ad 2. Imo August. epist. 54. & s. 18. de tempore. Chrysost. Theophilactus, & Euthymius Matth. 1. qui motiuum Iosephi aiunt fuisse, suspicionem adulterij in coniuge; quorum mens videtur

perſpicuè colligi ex illo Angeli verbo, *quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Si enim Angelus voluiſſet Ioſephum auertere à conſilio dimittendæ Virginis ob reuerentiam conceptionis Verbi Dei, vt cenſent Orig. hom. 1. in diuerſos, S. Bern. homil. 2. ſuper *Miſſus eſt*, aiens eſſe Patrum ſententiam, S. Thomas, aliíque complures ſcholaſtici, quos Sanchez ſupra appendit; & ſequitur Matthias Naueus orat. 4. de S. Ioſepho, & latè Marianus Victorinus in indice ad tomum 9. S. Hieronymi V. *Maria* monſtrans ita ſenſiſſe S. Hieronymum, Matthæi 1. multo magis auertiſſet Ioſephum à retinenda Virgine.

9. Itaque periclitata eſt Virgo de occulta dimiſſione. Sed Deus adiutor in opportunitatibus in tribulatione, Virgini ſe Deo permittendi opitulatus, per Angelum qui de integritate & plena fide vxoris Ioſephum certum fecit, diſcuſſit omnes ſuſpicionum, vel etiam ſiniſtrarum opinionum inuincibiliter falſarum nebulas; & ad retinendam coniugem, ac in perpetuam vitæ conſuetudinem abiecta diuortij cogitatione accipiendam, induxit S. Ioſephum, qui cum ſponſa deinceps eo maiore reuerentia conuerſatus eſt, quo eam Deo acceptiorem ex tanto myſterio agnouit.

Furfur Doctrinæ, circa Ioannis exultationem intra maternum vterum.

10. ALiqui vbiuis noua captantes, & verè mirabiliarij, exultationem infantis Baptiſtæ intra maternum vterum, non explicant de tripudio quo ſanctus ille puſio ad occurſum Chriſti geſtiuerit ſed de conuerſione faciei Ioannis verſus Virginem & Chriſtum in ea latentem. Supponunt enim infantem ita locatum eſſe in vtero, vt facies in matris dorſum obuertatur. Aiunt ergo Ioannem, vt Chriſtum adoraret, obuertiſſe faciem verſus matris abdomen, húncque eſſe ſaltum & exultationem, cuius meminit Lucas. Ita opinatos Doctores non ignobiles, ait Philippus Berlaymont in Paradiſo puerorum parte 1. c. 4. §. 3. deſcribens Vincentium Regium l. 1. dilucidat. in Euang. c. 6. Theorem. 2. *ad finem*, fundatúrque in huiuſmodi obuerſione, inſignis honor & Chriſti & B. Virginis.

Verùm qui ſint illi non ignobiles Doctores quibus hæc inſulſitas placuit, nequaquam proditur; éſtque veriſimillimum alios non fuiſſe quàm concionatores, plebeculam his veluti cupediis mulcentes. Recitat quidem iſta ex aliis Iacobus de Valentia in Prologo ad Canticum Deiparæ ad illud, *& ſalutauit Elizabeth*; ſed recitat tantùm. Et quamuis ex ſuo ſenſu ea affirmaret, leuior eſſet eius autoritas, quàm vt ſtabiliendæ ei nouitati par eſſet. Sanè faciem infantis intra vterum, ſpectare dorſum Matris, imperitè dicitur. Facies enim infantis apprimitur ipſiuſmet infantis genibus, conuoluti velut in glomum. Deinde quæcunque eſſet infantis poſitio quamdiu latebris illis claudebatur, perinde erat, prohibente ſepto materni vteri ne motus corporis infantilis, foris pateret. Ex parte item Chriſti poteſt vrgeri idem argumentum. Non enim habuit

habuit vultum obuersum ad matris abdomen vt videtur supponi in imaginatione proposita, sed erat naturaliter locatus eadémque positione qua passim cæteri pueri. Quod si supponeretur fuisse obuersus ad matris dorsum, debuisset ipse quoque obuerti ad matris abdomen, ne ad officiosum Ioannis motum, inurbanè agere videretur. Quod autem commotionem & exultationem Baptistæ intra vterum, Vincentius Regius ait fuisse saltum quo infans Christum & Deiparam adorauit, (nam etiam Dauid alacer saltabat coram Domino in supremæ adorationis argumentum;) non video quomodò stabiliri possit. Nam non potuisse infantem propriè saltare intra vterum, nemo non videt. Tametsi subsultus ille & motus corporis gestientis quem Baptista edidit exiliens præ gaudio, latè & impropriè dici possit *saltus*. Eum autem qualemcunque saltum fuisse adorationem, gratis dicitur; nec rectè probatur ex saltu Dauidis, qui ad exultationem & gaudium testandum pertinebat. Tametsi vtrobique adoratio potuit concomitari motum corporis gestientis, prodeuntem ex gaudio animi & interna exultatione.

PVNCTVM VII.

PVERPERIVM SANCTVM, ET VNDEcunque immaculatum.

1. EXEVNTE à conceptu mense nono, cum manasset edictum à Cæsare Augusto, vt quisque in sua ciuitate, idest quæ familiæ suæ caput esset, profiteretur denunciato apud publicum ministrum suo & familiæ nomine (de ea professione planè & accuratè Castro c. 7. hist. n. 2. per septem dubitationes) abiit Ioseph cum vxore Bethleemum, quia erat de domo & familia Dauid. Bethleem autem Dauidis patria erat, natiuitate & educatione tanti Regis, admodùm clara. Existimat S. Athanasius homil. de censu, hac descriptione Deum prospicere Christo voluisse, ne à Iudæis tractaretur aliter quàm deceret ciuem Romanum. Hoc tamen non est admittendum. Nam neque ciues Romani poterant tractari prout Christus tractatus est, neque omnes qui censui sub Augusto subjacuerunt, facti sunt ciues Romani : alioqui omnes qui imperio Romano tunc suberant, donati fuissent ciuitate, cum omnes sint descripti. Itaque Ioseph profectus est Bethleemum, vt profiteretur cum vxore prægnante, & obediret Augusti jussis.

Profectio Virginis in Bethleem, sub nonimestre à concepto.

EAm viam Virgo non confecit pedibus, grauiditate nihil obstante, erat enim sine grauamine grauida, vt dixit S.Bernardus serm. in illud Apocal. *signum magnum*, & idcirco dictus est Dominus, ascendisse super nubem leuem & Virgo iuxta Fulgentium serm. de laud. Mar. cum esset grauida salubri leuitate plaudebat; nimirum vt Bernardus supra addit, portabat onus leue, portabat à quo portabatur. Ipse scilicet Christus, onus vteri exclusa grauitatione sua remouebat. Et nihilominus vt naturali Virginis debilitati, & decentiæ consuleretur, Virginem eam viam insidentem asinæ confecisse piè meditantur multi: quibus licet refragante Toleto in c. 2. Lucæ, annotat. 10. Subscribit Suarez tract. 10. de relig. l. 9. c. 5. n. 17. addens bouem quoque à Iosepho adductum, vt venditus, ad expensas professionis & commorationis Bethleemiticæ sufficeret. Quod tametsi videtur rejicere Erasmus ad hymnum Prudentij de Natali Domini, tamen ex inolito sensu piorum, passim admittitur ex picturis quæ sunt scripturæ Laicorum, vt ex S.Bonauentura ait Molanus lib. 3. de imag. c. 57. & plurium Patrum suffragio communitur à Castro c. 7. historiæ n. 11. & à Leone Castrio in c. 1. Esaiæ ad vers. 3. vbi Cornel. Christi infantis adorationem qualem bruta præstare possunt, à boue & asino præstitam, contra Caluinum Patrum subsannatorem confirmat. De ancillula quam adhibitam peregrinationis comitem, variis coniecturis confirmat supra Suarez, (eam certè domi non defuisse, verisimilius est; neque enim id excedebat sanctissimorum coniugum paupertatem, ac tenuem censum) neutra pars videtur nimiùm premenda. Tametsi verum perspicuè est, quod habetur apud Cyprianum serm. de natiu. ancillarum multitudinem, & copiosum famulitium defuisse.

Diuersio in stabulum, & inibi partus.

2. INter hæc exacto nonimestri spatio à conceptu Virginis, cum per confertam multitudinem hospitum & peregrinorum qui Bethleemum ad profitendum conuenerant, non esset Iosepho & coniugi prægnanti locus in hospitij cubiculis; post quantamlibet Iosephi pro sponsa præsertim solliciti diligentiam, coacti sunt in eam hospitij partem secedere, qua iumenta excipiebantur, vt quidem censet Toletus in c. 2. Lucæ annot. 10. & Franc Lucas in c. 2. Lucæ vers. 7. nec non Salianus anno mundi 4053. Christi 1. Et confirmat Epiph. sub finem orationis de laud. Deip. vocans *stabulum*, quod iustiùs ait dicendum cœlum. Non pauci Patres apud Toletum supra, & apud Castrum c. 7. histor. n. 52. speluncam vocant, aut tuguriolum vtrunque habitabile, quod distinctiùs exhibet Baronius anno Christi 1. & Castro c. 7. histor.

Deiparæ num. 4. Sed Toleti sententiam, verisimilem reddit præsepe ibi structum. Quis enim in spelunca patente præsepe construat? Nisi si fortassis ea spelunca erat in ima parte domus ad quam hospites diuertebant. Non enim infrequens est, vt domus exædificentur supra vel iuxta saxa, quæ infernè excauentur, & possint accedente præsertim nonulla à cœmentariis lignariisque fabris accessione, accipiendis iumentis vsui esse.

Congruentiam nati in stabulo Christi, optimè aperuit S.Bernardus serm. 35. in cant. considerans statum nostrum qui obrutueramus, & idem habet Hesychius orat. 2. de Deip. *in fine*, alloquens Deiparam. [Ne sis anxia (inquit) si parias in stabulo vniuersæ creaturæ opificem: ne hæsites, si sedere facias in præsepio, eum qui sedet in dorso Cherubino; si non habeas locum in diuersorio, cum sis mater Regis eorum quæ sursum sunt & deorsum. Libens enim qui ex te natus est, pauper efficitur, vt diuites refrœnet, & egenis patientiæ sit argumentum, & gratiarum actionis magister. Libens reconditur in præsepi, vt qui sunt pecuini accurrant, & reperiant λόγον, idest, sermonem & rationem in præsepi constitutam, vt ex eo recipiant dignitatem rationalem: vt qui currunt ad paleas, frumentum nanciscantur: vt bestiarum more festinent, arbitrantes se inuenturos in præsepi manipulos hordei, & panem verum manducaturos, alimentum vitæ, cœnam lucis, escam lætitiæ, incorruptionis dulcedinem, vnde oritur notitia regni, arrha adoptionis filiorum, cœlorum hæreditas, societas cum Patre & Filio & Spiritu sancto.] S. Athanasius homil. de censu eadem sic attigit. [In præsepio reclinatur, vt humani generis brutalitatem emendaret, & duorum animalium cibus fieret. Quorum verò animalium? Ethnici Iudaicique populi, de quibus scriptum est, *in medio duorum animalium cognosceris.*] Inferiùs tamen agnoscit hoc diuersorium in quo Virgo peperit, [Ecclesiam præfigurasse; cuius altare est, præsepe; cuius Vicarius, Ioseph ; cuius Diaconi, Pastores; Sacerdotes, Angeli; cuius summus Sacerdos, ipse Dominus; Thronus, B.Virgo; crateres, Virginis vbera; vestis Sacerdotalis, Incarnatio; cuius flabella, Cherubin; discus, Spiritus sanctus; Pater autem, disci operculum.] Hæc ille verè, si res non externa specie, sed spiritualiter, aut coram Deo spectetur. Rem enim exteriùs duntaxat spectando, diuersorium illud non nisi stabulum fuit; nec præsepè aliud fuit quàm quod vox præfert; receptaculum scilicet pabuli bestiarum. Chrysologus serm. 175. quia is locus, erat pro iumentis viatorum, & quia Christi parentes tunc temporis viatores erant, dixit Christum in via editum: quo eleganter, de more, accommodat dictum Christi se vocantis *viam*, atque natam in via viam, [vt omnis aditus excluderetur erroris, & viator tandem cœlum peteret, qui terreni itineris in cassum diu sudores pertulerat & labores.] Quæ liquet, probè cohærere cum Christi natiuitate in stabulo, extra viam vulgarem.

4. In eo igitur cibi iumentorum receptaculo luteo, quod argenteo Constantinopolitano præoptabat S. Chrysostomus hom. 2. in Lucam, Deus Verbum collocatum est, cum è Virginis illibatæ inuiolato vtero prodiit, media nocte antecedente diem 25. Decemb. (non autem sextum Ianuarij vt ineptit

Hæreticus Grammaticus castigatus ab Andrea Cydonio l.2. pro Baronio c.13.) diem inquam 25. Dec. qui eo anno fuit dies Dominicus, vt habetur in 6. Synodo c. 8. monstrátque Franc. Lucas ad c. 2. Lucæ, vers. 7. & fusiùs Suarez t. 2. 3. p. d. 13. s. 4. (refragante tamen Anastasio 7. hæxaëm & q. 92. in script. ac Saliano anno 4052. qui aiunt fuisse diem Veneris. Non censeo abfuisse Iosephum vt ex S. Brigitta ait Benzon. in Psal. 86. c. 40. trad. 12. Nisi si abfuisse dicatur eo modo quo statuit apud Petrum Damiani Autor sermonis 62. sic describens quæ circa infantem, ac matrem, & Iosephum tunc contigerunt. [O Betleem ciuitas Dei summi, & in te, & in suburbiis tuis visa sunt mirabilia hodiè. Deus pendet ab vberibus; ponitur in præsepe, ligatur in cunis, pannis inuoluitur, & laxatis fasciolis, felices manus, & sancta brachiola per cunarum paruitatem expandit. Alludit Virgini, Matri arridet, & blandientes oculos ad Mariam intorquet. Stat perterrita tantis miraculis Regina cœlorum confert in corde suo salutationem Archangeli, conceptionem Dei, nauitatem pueri: & miratur quod ille, qui sic potuit ad nos venire, sic voluit subuenire. Adest & Ioseph, sed ab vtroque remotus, & in excessu mentis miratur, & mirari satis non potest, qualiter sit ad tantæ dignationis admissus arcanum.]

Pij affectus circa Virginis puerperium.

5. EXclamem hîc meritò cum Augustino serm. 9. de temp. [Ecce tanquam sponsus de thalamo, Mariæ sponsus procedit ex vtero. Occultatur in membris infantis potentia maiestatis; Deus pendet ad vbera genitricis. Pannorum vilium squalore contegitur, durissimi suffert præsepis angustias, & totum misericors humiliter patitur, dummodò mundus qui perierat liberaretur. O beata infantia, per quam nostri generis vita est reparata. O gratissimi delectabilésque vagitus, per quos stridores dentium æternósque ploratus euasimus. O fœlices panni, quibus peccatorum sordes extersimus. O præsepe splendidum, in quo non solùm iacuit fœnum animalium, sed cibus inuentus est Angelorum.]

Nec illæ S. Athanasij voces minùs huic negotio congruunt, quæ apud eum leguntur serm. in descriptionem ac censum. [Quis non loquatur, quis non miretur Domini condescensionem? Sursum liber, & deorsim censu descriptus: sursim filius, deorsum seruus: sursum Rex, deorsum mercenarius: sursum diues, deorsum egenus: sursum adoratur, deorsum tributum soluit, sursum thronus diuinus, deorsum spelunca rustica: sursum paternus & incomprehensibilis sinus, deorsum exiguum brutorum animantium stabulum & præsepe. Quis non miretur, sursum res magnas, & deorsum exiguas fascias? Qui soluit, ligatur: qui nutrit, enutritur: incomprehensibilis, infantulus apparet: qui fontium scaturigines aperit, vbera quasi mutuatur: qui omnia gerit, modo inexplicabili gestatur: qui nullibi deest, certo loco incircumscriptè circumscribitur. O res stupendas! Elizabet in Domo nitida parit, & B. Virgo in parua gignit spelunca: Ioannes in lectulo, & Dominus in præsepio reclinatur.]

6. Optimum & illud ex Chrysippo in calce orationis de Deip. [In mensa bestiarum, proponebatur panis cœlestis, vt ex hominum genere, his qui bestiales erant, communicationem escæ mysticæ exhiberet. *Et non erat locus ipsi in diuersorio.* Locum in quo habitaret non habet, is qui domum totius mundi construxit. Non habet locum habitationis, quia cum esset diues, sponte pauper effectus est: locum non habebat; quis enim locus capere posset eum qui locum excedit? Quare peropportunum est, vt hoc etiam è Psalmis dicamus. *Quàm magna multitudo dulcedinis tua Domine?* Vnde enim hæc? Vnde enim nisi ex tua, quæ gratia nostri descendisti bonitate? Vnde tanta ipsius humilitas, nisi ex ipsius erga naturam nostram clementia?]

Piè admodùm Guerricus serm. 1. de Nat. Dom. [ô puer dulcissime, IESV bone, quàm magna est multitudo dulcedinis tuæ quàm abscondisti timentibus te, & perficies sperantibus in te, qui tantam exhibuisti necdum scientibus te! Prorsus dulcedo incomparabilis & pietas ineffabilis, vt Deum qui creauit me, videam puerum creatum propter me. Deúsque maiestatis & gloriæ, non solum similis mihi fiat corporis veritate, sed etiam miserabilis, & velut humanæ indigens opis appareat ætatis infirmitate. Verè tu puer Deus, salutare vultus mei, & Deus meus, cum totus sis dulcedo & desiderium, dulciorem tamen te mihi facit teneritudo membrorum. Hæc nimirum te capabilem facit sensibus & affectibus paruulorum, qui nondum sunt, té solidum idonei capere cibum. Dulce interim, dulce prorsus & sapidum cogitare puerum Deum: quin etiam efficax & operatorium ad medendum, ac dulcorandum si quis in nobis est, rancorem animorum, sermonum amaritudinem, morum austeritatem. Neque enim crediderim vbi sensus & memoria fuerit huius diuinæ dulcedinis, locum iræ vel tristitiæ inueniri, sed omnis indignatio & amaritudo cum omni malitia tolletur à nobis. Ibidem serm. 4. de hac dulcedine & pane Angelorum habente omnem saporem suauitatis, hominibus apposito, erumpit piissimè in vocem laudis, hortatúrque perpulchrè, vt confiteantur inde Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum.]

Addo & illud ex Adamo de Perse in alleg. Tilmanni in c. 2. [subire nullatenus, humile Christi diuersorium dedignemur. Ibi puer natus est nobis, ibi filius datus est nobis, cuius exinanitio, nostra est repletio; cuius abbreuiatio, est eruditio paruulorum. ô felix tugurium? ô regum palatiis diuersorium præferendum, quod cœlestis magisterij auditorium factum est. Vbi verbum paruulos sancto intelligibilius de præsepio erudit, quanto eis per silentium infantiæ suæ, noua humilitatis decreta proponit. Vide fili, si verè philosophari appetis, à Christi diuersorio ne discedas. Ibi Verbum infans, vagit quidem in Cunis, sed præ Tullij facundia, imo præ eloquiis Angelorum, ille vagitus est eloquens, qui linguas infantium facit disertas. Ibi inaccessibilis splendor obuolutus est vilibus pannis, sed quibus sordes criminum detergantur. Ibi Angelorum satietas, modico lacte alitur; sed cuius alimento humilium nutrita simplicitas, in adultam prouehetur ætatem. In præsepi illo, Angelorum frumentum in hordeum vertitur, sed cuius pabulo pia iumenta in comportandis oneribus roborentur.]

S 3

8. Nefas fuerit in hoc mysterio prorsus præterire mellifluum Bernardum, qui etiamnum penè puer, huius mysterij suauitatem diuino viso edoctus, quod scribit in eius vita Gulielmus Abbas lib. 1. c. 2. per vniuersam deinde vitam, & ipsemet ea dulcedine perpetuo delibutus est, & passim aliis suauiandam exhibuit. Sed missos sanè faciamus cum tractatus de hoc mysterio qui affectibus erga illud scatent, homilias inquam super *Missus est*, ac de Aduentu Domini, & de Natiuitate. Fauum duntaxat seorsim positum repræsento ex serm. 1. de Epiph. vbi expendens locum Apostoli ad Titum 3. *Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris Nostri Dei*, [Benè (inquit) dulce nomen *Saluatoris* non tacuit, quia hoc mihi maximè necessarium fuit. Alioqui quid agerem, audiens Dominum venientem? Numquid non fugerem sicut Adam, qui à facie eius fugit, sed non effugit? Nonne desperarem audiens quia venit ille cuius legem sic præuaricatus sum, cuius patientia sic abusus sum, cuius beneficio tam ingratus inuentus sum? Quæ verò maior consolatio poterat esse, quàm in dulci vocabulo, in nomine consolatorio? Propterea & ipse dicit, *quia non venit Filius vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Iam confidenter accedo, iam supplico fiducialiter. Quid enim timeam, quando Saluator venit in domum meam? Ei soli peccaui, donatum erit quicquid indulserit ille. Vbique enim licet ei quod vult facere. *Deus est qui iustificat, quis est qui condemnet? Aut quis accusabit aduersus electos Dei?* Propterea gaudere nos oportet, quod in nostra venerit; nunc enim facilis ad indulgentiam erit. Denique paruulus est, leuiter placari potest. Quis enim nesciat, quia puer facilè donat.]

Meritissimò igitur exclamat Zeno Veron. serm. 3. de Natiu. [ô noua ratio, amore imaginis suæ coactus in infantem, vagit Deus: patitúrque se pannis alligari, qui totius mundi debita venerat soluturus. In stabuli præsepe deponitur, populorum pastorem, pabulúmque se esse contestans. Subjicit se gradibus ætatis, cuius æternitas in se non admittit ætatem. Totum contra conscientiam suam, vt homo infirmus patitur, vt homini mortis lege consumpto, immortalitas tribuatur.] Verùm impares tanto mysterio affectus, sensus, & cogitationes nostras esse vltrò demus; dicamúsque cum Autore sermonis de Nat. saluat. apud Petrum Damiani, (est sermo 61.) [Non poterit explicari sermone quod mente concepi. Stupor enim miraculorum, opprimit me, & dum omnia replico, omnia complicantur. Quis poterit cogitare diem aduentus eius? Ideò fit elinguis lingua, memoria immemor, insensibilis sensus. Insueta Natiuitate relucent omnia, & omnia partui Virginis obsequuntur. Fiunt mirabilia in cœlo sursum, & in terra deorsum, & vniuersa in nascentis Dei obsequium, iurauerunt.]

Circunstantiæ partus Virginei, ex credito Cypriano.

9. MOdum & adiuncta emissi ex matris vtero Christi, ex S. Brigitta fusè describit Dyonisius Carthus. l. 1. de laud. Deip. art. 27. Magis autem

placent quæ his verbis expressit apud Cyprianum Autor sermonis de Natiu. Domini. [Veniunt in Bethleem pastores, quem prædixit Gabriel, inuenitur Emmanuel; ciuitas parua, domus paupercula, supellex exigua. Nulla domus ambitio, nisi reclinatorium in stabulo: manus in fœno, filius in præsepio. Tale elegit fabricator mundi hospitium, huiusmodi habuit delicias sacræ Virginis puerperium. Panniculi pro purpura, pro bysso in ornatu regio, laciniæ congeruntur; genitrix est & obstetrix, & deuotam dilectæ soboli exhibet clientelam, attrectat, amplectitur, iungit oscula, porrigit mammam, totum negotium plenum gaudio; nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio. Pedissequas substantia familiaris non patitur; mancipiorum obsequia sumptus tenuis, & inops mensa excludit. Nullum domus arcta diuersorium occultabat, nec secreti recessus erant illius casulæ, per circuitum vestiebant. Nec locus ibi erat lauacris, quæ solent puerperis præparari; quippe nec aliqua naturæ iniuria Matrem Domini læserat; quoniam sine tormento peperit, quæ in conceptione caruit voluptate.] Et mox. [Vltrò maturus, ab arbore baiula fructus elapsus est: nec oportuit vellicari, quod sponte prodibat. Nihil in hac re petiit vltio, nec præcedens delectatio aliquam expetiit pœnarum vsuram. Spiritu sancto obumbrante, incendium originale extinctum est; ideóque innoxiam affligi non decuit; nec sustinebat iustitia vt illud vas electionis, communibus lassaretur iniuriis: quoniam plurimum à cœteris differens, natura communicabat, non culpa. Erátque ei proprium priuilegium, quod nulla mulierum nec ante, nec deinceps meruit obtinere, quod erat simul Mater & Virgo.] Interserit nonulla de B. Virginis per dies designatos recubitu quæ expendam infra. Cætera exosculor.

Deipara, etiam in partu, Virgo, & quomodò.

10. Illúdque imprimis, quod Deiparam, etiam in partu, fuisse Virginem tradit, subeunte verè Christi corpore matris Virginalia illæsa, & per ea absque vllius fractionis vel dilatationis interuentu foras permeante, vti similiter factum cum Christi corpus sepulchrum illæsum penetrauit, & prodiit foras. Quæ dico æquiparant S. Gregor. hom. 26. in Euang. Theodoretus dialo. 2. Max. Taur. hom. 2. de Natiu. Dom. Aug. serm. 138. de tempo. & pulchrè 22. ciu. c. 8. adducto miraculo annuli Petroniæ, è Zona non dissoluta dilapsi. Et licet l. 4. de Trinit. c. 5. aliunde petat vteri & monumenti analogiam. [Octauo (inquit) Kal. Aprilis, conceptus creditur, quo & passus: ita monumento nouo, quo sepultus est, vbi nullus erat mortuorum positus, nec antè, nec postea, congruit vterus Virginis quo conceptus est, vbi nullus seminatus est mortalium.] Tamen alia analogia, ob neutrum locum à Christi corpore diffractum, est frequentior. Sic porrò in partu integram & intemeratam mansisse Virginem, fide sanctum est, vt contra Sectarios demonstrat Valent. 3. p. d. 2. q. 2. puncto. 1. & prolatis grauissimorum Patrum testimoniis compluribus Coccius t. 1. l. 2. art. 5.

11. Inter illa eminent, quæ fundantur in porta illa clausa, quam soli Principi, absque apertione, & clausura salua peruiam vidit Ezechiel, quod de B. Maria, etiam in partu Virgine passim exponunt Patres, optiméque Hieronimus l. 2. contra Peleg. Et Ambr. epist. 81. & in Virg. instit. c. 7. & 8. Petrus Damiani serm. 3. de Natiuit. Virg. [Hæc est illa ianua, (inquit Amedeus Lausanensis hom. 4.) de qua in Ezechielis volumine legimus; *Porta ista clausa erit Principi, & per ipsam princeps egredietur.* Per hanc nimirum, princeps regum terræ Christus egressus est, quam sicut in ingressu non aperuit, sic in egressu non patefecit. Pertransiit in pace, & semita eius non apparuit. Et si miraris clauso vtero Mariæ, signatoque Virginali pudicitia Deum natum; mirare quod clauso, obseratóque aditu sepulchri ad superos rediit, & clausis ianuis ad discipulos introiuit. Non enim tollimus admirationem, sed incredulitatem arcemus.] Nomine *porta cœlorum*, hanc Ezechielis portam expressit S. Germanus ad calcem orationis de Natiuit. B. Virginis, cum eam compellans dixit; [Porta cœlorum, per quam solus cœlorum Dominus ingressus, nemine ante ipsum, vel post ipsum, abditum capiente accessum. O cœlum lætare ob ipsam. Te enim imitata quem non capiebas, non in arctum coactum comprehendit. O tellus ipsa exulta. Gestatio enim vteri ipsius, cœlo acceptam tuam cum Deo vnionem, cœlos ipsos terrenos effecit.]

Egregiè quoque Hesych. hom. 2. de Deip. & alij plerique Patres apud Benzouium in psal. 86. c. 40. traditione 28. Claudo cum Proclo in calce sermonis de Natiu. Dom. [O misterij (inquit,) magnitudinem! miracula video, & diuinitatem prędico: cerno passiones, & humanitatem non nego. Naturæ portas reserauit Emmanuel vt homo, sed Virginit. claustra non violauit, neque perrupit, vt Deus. Ita enim ex vtero est egressus, sicut per aurem ingressus. Ita natus sicut conceptus: qui impatibiliter fuerat illapsus, incorruptibiliter est elapsus. Inde Propheta Ezechiel aiebat; *Conuertit me Dominus ad viam portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad Orientem, & erat clausa. Et dixit Dominus ad me: Fili hominis, porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transiret per eam, sed Dominus Deus Israel, solus ipse ingredietur & erit porta clausa.* En euidens demonstratio sacræ Deiparæ Virginis Mariæ.] Est hæc de B. Virginis inuiolato semper claustro prophetia, adeò perspicua, & apud Patres frequens, vt dicat Rupertus lib. 1. in Matth. ad illud, *pariet autem Filium*, id esse testatissimum. [Notum est Ecclesiasticæ fidei, celebre & vsitatum est in laudibus Christi, & sanctorum Patrum scriptis, quia hæc porta clausa, mater est incorrupta; *clausa principi*, idest ad honorem principis IESV Christi, qui videlicet princeps in ea sedit: quippe qui à die conceptionis in Sacri ventris hospitio, nouem mensibus habitauit, & per viam vestibuli, idest per auditum fidei ingressus, ita per viam eius egressus est, Deus & homo, vnus idemque Dominus Israël, vt per eam vir non transieret; idest, neque in concipiendo sese insereret, neque nasciturо viam aperiret.]

Decebat planè ad eum modum edi Christum Dominum, iuxta illud ex hymno S. Ambrosij quod Cælestinus Papa in concilio Romano aduersus Nestorium,

ftorium, recitat in fragmento quod extat apud Arnobium lib. 2. Conflictus cum ferapione. [Ait in ipſo Concilio, Apoſtolicæ recordationis Antiſtes S. Cæleſtinus, Recordor Beatæ memoriæ Ambroſium in die Natalis Domini Noſtri IESV Chriſti, omnem feciſſe populum, vna voce Deo canere,

Veni Redemptor gentium,
Oſtende partum Virginis,
Miretur omne ſeculum,
Talis decet partus Deum.]

Et decuiſſe Deum ſic in lucem venire, & decuiſſe Virginem non alium quàm Deum parere, eleganter dixit S. Bernardus homil. 2. ſuper *Miſſus eſt* ferè initio.

12. Ad veritatem hanc Catholica fide exploratam, plenè perſpiciendam, exponendum ſequeretur, quomodò Chriſtus habens corpus extenſum & impenetrabile, potuerit non diffracto vllatenus aut dilatato matris clauſtro, prodire in lucem. Nam figmentum Mayronij ſupra exploſimus, quo aſſerebat idcirco Chriſtum exire potuiſſe illæſo matris clauſtro, quia non erat in vtero niſi definitiuè. Et æquè explodendum eſt, quod Maior in c. 2. Matth. dub. 7. ad hoc ipſum extricandum commentus eſt; nempe Chriſtum exiiſſe è ventre matris, ſine tranſitu per medium, ſicut ait contingere in Euchariſtia; quandoquidem corpus Chriſti quod in cœlo eſt, ponitur ſub ſpeciebus panis, ſub quibus antea non erat, nequaquam tranſeundo per medium. Hoc nego ſatisfacere. Tum quia veriſimilius eſt, motum illum ab extremo ad extremum non pertranſito medio, eſſe impoſſibilem, vt benè aſſerit Molina 1. p. q. 53. art. 2. & Leſſius l. 3. de ſummo bono n. 82. videtúrque euinci ex ratione fluxus, intrinſeca vero motui locali, cum qua non cohæret proſultus ille abſque decurſione medij ſpatij. Nec ita accidit in poſitione Chriſti ſub ſpeciebus quæ fit per reproductionem, non autem per lationem. Tum etiam quia quamuis ea ratio motus eſſet poſſibilis, non poſſet tamen cohærere cum vero partu, qui manifeſtè fert tranſitum per loca mulieris. Sanè diſertè Patres inde extollunt Chriſti naſcentis humilitatem, quod pudorem humani exordij non recuſauerit; & per eam portam in hanc lucem venerit, per quam veniunt cæteri: quod falsò dicerent, ſi Chriſtus ab vtero, abſque tranſitu per medium foras veniſſet.

Quare neceſſariò admittendum eſt, Deo volente factam eſſe penetrationem Chriſti, & illarum partium matris, quibus fœtus naturaliter ad lucem veniens ſolet emitti. Quomodò autem id factum ſit pariente Deipara, diſtinctiùs expoſui l. 4. de Chriſto, agens de perfectionibus corporis Chriſti, attigítque breuiter Mol. in Coſmop. d. 29. *in fine*, aduertens ex gloria animæ Chriſti naſcentis, reſultaſſe dotem ſubtilitatis, ad eum ſolum effectum, vt compoſſibile eſſet in eodem loco cum clauſtro matris, poſsétque Chriſtus per illud non effractum & planè intemeratum, exire.

13. Facessant ergo, qui Virginem quidem ante partum & post partum mansisse Virginem admiserunt; in ipsa tamen partione amisisse virginitatem, blasphemè vomuerunt. Audi Goffridum Vindocinensem serm. 4. de Natiu. Dom. [Quibusdam personis ascribitur, quod Matrem Domini, & ante partum, & post partum prædicant quidem Virginem; sed portam ventris eius, apertam in suo partu, & post partum statim clausam fuisse fatentur: quasi ad horam fuerit virgo, & ad horam perdiderit virginitatem. Insanum est hoc dicere; & credere prophanum. Qui hoc dicit, vel credit, Spiritui sancto contradicit. Nam diffitetur veritatem quam Spiritus sanctus per Ezechielem prophetam confitetur dicentem: *Est porta in domo Domini clausa, & non aperietur.* Ego autem in Spiritu sancto firmiter credo, & indubitanter profiteor, & ad horam, & ad moram, & ante partum, & in partu, & post partum, eam fuisse Virginem, & peperisse in vna persona Deum & hominem, & sine carnis apertione, & sine corporis & animæ corruptione. Et mox. [Quicumque igitur super hoc aliter sapiunt, desipiunt, & quod est prorsus alienum à veritate narrant. Sed errant, & nihil prodest eis Matrem Saluatoris, & ante partum, & post partum confiteri Virginem, qui eam in suo partu fuisse Virginem negant. Virgo etenim sancta fuit ante partum, & in partu Virgo sanctior, & sanctissima Virgo post partum; quia quanto maiora egit in ea diuina operatio, tanto maior in ipsa sanctitas creuit, atque religio. Hoc docemur fide Catholica, & Christiana doctrina contrarium execratur. Nunquam itaque aperta, sed clausa semper & sigillata fuit, vteri Matris nostri Saluatoris ianua: per quam exiuit ipse Deus homo, tanquam sponsus procedens de thalamo. Vterus bonæ & beatæ Virginis Mariæ thalamus dicitur, quia in eo sociata sunt & diuinitas Carni, & caro nostra Diuinitati. Vulua mulieris, porta ventris eius, rectè dicitur, quia per illam exit homo, & venit in hunc mundum, cùm ipse nascitur. Quæ in aliis quidem mulieribus, prole exeunte, aperitur; in sola autem Matre Domini, & eo nascente, & ante & postea clausa fuisse legitur veraciter, & firmiter creditur, Ezechiele propheta attestante, qui dicit, *Est porta in domo Domini clausa, quæ non aperietur.* Honorabilis & prædicabilis fœmina, digna Deo Virgo Maria, *Domus Domini* appellatur, in qua porta Orientalis, clausa semper esse perhibetur.]

14. *Orientalem portam*, nominatam censet ipsam communem viam ad ortum, quàm tamen negat, etiam in Christi ortu, fuisse vlla ratione patefactam. Et meritò. Nam si id admitteretur, vel pro ipso exiguo tempore quo Christus per eam transiit, conuelleretur Deiparæ Virginitas. Nec referret quod Deus postea omnem integritatem in ea parte sarciret, vt sanè posset; quod Petrus Damiani opusc. de Dei omnipotentia, contra S. Hieronymum disputans, perspicuè euincit: factúmque reipsa à Deo fuisse in S. Magdalena, affirmat Leonardus de Vtino tract. de sang. Christi c. 21. dub. 7. allegato in eam rem (sed falsò quantum memini,) S. Thoma, cuius nullum locum adducit. Idem in quadam abbatissa pœnitente factum Deiparæ præcibus, scribit Cæsarius l. 7. mirac. c. 35. & Richardus à S. Laurentio l. 2. particula 1. causa 23. Possibile

id quidem, etiam de sententia Ethnicorum, qui vt est apud Pausániam 2. Corinth. Iunonis virginitatem quotannis redintegratam aquis Canathi fontis fabulabantur. Hoc inquam non refert ad rem præsentem. Nam quamuis materialiter reparata esset integritas tamen formaliter nunquam restitueretur virginitas: quia semper verum esset, Deiparam fuisse quandoque expertam dispendium virginitatis, quod est blasphemum. Et hunc fuisse sensum D. Hieronymi, malè à Damiano intellecti, monstraui in Naturali Theologia dist. 8. n. 313. confirmátque Rupertus l. de læsione virginit. c. 11. Sit ergo planè ratum, & certa fide constitutum, B.Virginem semper fuisse Virginem, id quod ipsa *Virginis* denominatio confirmat. Quod enim obseruat S. Epiphanius hær. 78. nemo vnquam ab omni æuo Christiano B. Mariam nominauit, quin etiam si non rogatus addiderit epithetum *Virginis*, quæ certa nota est, Ecclesiam certa fide tenere, eam semper fuisse incorruptam.

Enixus Deiparæ, & partus eam minimè latens.

15. INsuper Deipara (quod item Autor sermonis de Natiu. rectè asseruit) Christo corpus eius inter nascendum penetrante, sine vllo dolore, & absque conatu violento, fœtum suum enixa est; non merè passiuè se habendo, quia *pariendi* verbum plus fert, vt monui tract. de ortu infantium c. 1. num. sed aliquatenus agendo, & vi natiua impellendo fœtum, illæsis virgineis claustris, ob adhibitam penetrationem, sine molestiæ sensu emisit infantem. Ex illo autem impulsu actiuo, constat B.Virginem sciuisse se eniti, contra quàm sensit Ioannes Geometra. Lucæ 2. vers. 19. [Quid est (inquit) *conferens*? Fortè quidem conferens, & custodiens in corde. Fortè verò etiam vnum cum alio conferens atque componens, non dicta tantùm, sed & visa, tam in templo, quàm extra templum, cum ab Angelo, tum à Pastoribus: ipsum denique partum ac partitudines, vt non modò illas ignorarit, & mater existens, & virginitatem custodiens, quin & filium ipsa non senserit. O diuinorum operum dispensationes, ac naturarum innouationes: Nullum processus sensum præbuit, & ex vtero statim erat in sinu eius; vt quemadmodùm sine semine atque incognita ratione conceptus fuerat, sic etiam non sine corruptione duntaxat, verùm etiam insensibiliter nasceretur. Atque id ampliùs habuit roris ac velleris. Nam ros quidem sponte ac sine strepitu in vellus descendit, non sponte tamen, nec sine manu ex vellere collectus fuit. Hic verò præter cætera, ipsum etiam rationale vellus in conceptione latens, quin & totam suam crassitudinem terminúmque ex ipso suscipiens, pari facilitate processit, vt non solùm alios, sed & propriam latuerit genitricem, quasi non sibi tantùm obstetricatus fuisset, sed & semetipsum peperisset.] Hoc non approbo, quia verè Virgo sciuit se parere; tametsi absque dolore emisit prolem & antequàm parturiret peperit, vt Damascenus 4. fid. c. 15. locum Isaiæ 66. piè exposuit; & idem ritè habet Nyssenus hom. 13. in cant. visus negasse Virgini sensum sui partus, cum tamen tantùm neget parturiginem, siue partum cum dolore. [Vt Virgo

ipsa (inquit) non cognouit quo pacto in corpore ipsius corpus illud diuinitatem recipiens coaluerit, sic ne partum quidem sensit.] Hoc quid sit, declarat continenter. Subdit enim; [Etiam Isaia Propheta de illa testante, quod parturigo ipsius, doloris expers fuerit.]

Nullus Virginis dolor in partu.

16. SAnè cum duplex sit causa doloris parientium, nempe apertio membrorum genitalium per quæ infans exilit, & disruptio vinculi quo maternis locis, in quibus per nonimestre egit, conserebatur, neutra doloris materni causa, hîc interuenerit. Non enim prior, quia Christus irreserato & intacto matris corpore editus est; sicut lux vitrum illæsum perlabitur, quæ est elegans in hanc rem comparatio Athanasij classe 3. qq. ad Anthiochum in 19. [Sicut (inquit) domus circumsepta vndique, quæ habet Orientem versùs, vitream, puram, & tenuissimam fenestellam, Oriente Sole, & radiis eius penetrantibus vitrum, & ingredientibus domum, tota collustratur, & rursus transeunte Sole, & egredientibus radiis, vitrum non confringitur; sed tactum ab ingredientibus & egredientibus repercussionibus radiorum Solarium, manet illæsum; eadem ratio est, semper Virginis Mariæ. Illa enim ter castissima, vt domus quædam circumsepta est; Filius & Verbum Dei, est vt radius diuinus ex Sole Iustitiæ Patre descendens, qui per vitream fenestellam aurium illius ingressus, sanctissimam domum eius illustrauit; & rursus, vt idem nouit, exiuit, non fœdata virginitate illius, ne minimum quidem: Sed sicut ante ante partum, etiam in partu, & post partum, Virginem castam conseruauit.] Actius Syncerus, eo Poëmate quod de Virginis partu inscripsit, præter cæteras, hanc Virginei partus comparationem, sic attigit.

Mira fides; Puer æthereas iam lucis in auras,
Prodierat; fœnóque latus malè fultus agresti
Impulerat primis resonum vagitibus antrum:
Alma parens nullos intra præcordia motus,
Aut incursanteis deuexi ponderis ictus
Senserat: hærebant immotis viscera claustris.
Haud aliter, quàm cùm purum specularia Solem
Admittunt: lux ipsa quidem pertransit, & omnes
Irrumpens laxat tenebras, & discutit vmbras
Illa manent illæsa.

17. Richardus à S. Laurentio, perpulchrè idem expressit, & his versiculis illustrauit l. 10. de Deip.

Vt Solis radius
Intrat innoxius

Fenestram vitream,
Sic Dei Filius
Immo subtiliùs
Aulam virgineam.

Est hæc particula prosæ quam ex Adamo de S.Victore exhibet Clyctouæus l. 4. Elucid. Eccles. *pag.* 176. Additur ibidem à Richardo, belléque illustratur alia non minùs concinna collatio his versiculis expressa.

Si chrystallus sit humecta
Atque Soli sit subiecta
Scintillet igniculum.
Nec chrystallus rumpitur
Nec in partu soluitur
Pudoris signaculum.

Accipe etiam Philippi Abbatis bonæ spei breue in hanc rem carmen.

Sol, chrystallus, aqua dant qualemcunque figuram,
Virginei partus erudiúntque fidem.
Si tingatur aquis & Soli subjiciatur,
Scintillas profert integer ille lapis.
Flamine sic abluta sacro, subiectáque Soli
Iustitiæ, peperit integra Virgo Deum.

18. Irreserata igitur, prorsúsque integra in partu mansit B.Virgo. Quod si aliqui olim dixere, Christum nascendo aperuisse vuluam matris, noluerunt dicere fractionem vel apertionem aliquam verè interuenisse in hoc partu: sed per vuluam apertam intellexerunt diuino miraculo peruiam, & nullatenus obstantem exitui corporis Christi subeuntis; tametsi eo aditu nullatenus patefacto per compressionem ac diuulsionem vllam partium loco cedentium, vt Christus prodiret. Quam esse germanam antiquorum Patrum ea in parte mentem, vno excepto Tertulliano, eruditè monstrat Toletus in c. 2. Lucæ annot. 36. præter alias interpretationes quas aceruat Fernandius agens de porta orientali visione 18. sect. 12. n. 7. Quod dico tradit egregiè Amphiloch. hom. de hypap. & clarè etiam habetur ex Methodio orat. de eodem hypap. ait enim in partu Virginis apertam esse vuluam, nec tamen claustra virginitatis esse disrupta.

Altera item doloris parientium causa, defuit hoc loco. Deus enim cohæsionem Christi cum matre, absque matris sensu abrupit; vnde illi dicitur ab ipso Christo apud Psaltem Psal. 21. *Tu es qui extraxisti me de ventre.* Nam licet Tertullianus l. de carne Christi c. 20. eum locum vrgens aduersus hæreticos, auulsionem Christi violentam, atque adeò cum dolore puerperæ con-

iunctam à Deo factam, commentus videatur: tamen ratum esse debet, id quod certa Patrum & Ecclesiæ traditio habet; nempe Deum ita connexionem illam corporis Christi cum materno corpore intercidisse, vt nulla matri parienti ingeneraretur molestia, nullus cruciatus inferretur. Atque ita verissimum manet quod dixit S.Bern. serm. in illud *signum magnum*, B.Virginem fuisse sine dolore puerperam, & solam inter mulieres à communi maledicto de dolore parturientium alienam.

19. Rationem eius immunitatis, petit Rich. Victorinus l. 1. de Eman. c. 10. & anthithesi B.Mariæ cum Eua. [Ad mulierem (inquit) dicitur *in dolore paries filios*; hîc de nostra puerpera dicitur; *ecce Virgo concipiet & pariet Filium*. Sed cur illa peperit non sine dolore, nisi quia non concepit sine libidine? Libido sanè causa doloris, & dolor effectus libidinis. Ex effectu igitur causa innuitur, in eo quod dicitur, *in dolore paries filios*. E contrario autem, simul & è conuerso, hîc ex sublatione causæ, perpenditur effectus ipsius sublatio. Quæ enim concepit cum virginitate, concepit sine libidine; & quæ concepit sine libidine, consequenter intelligitur peperisse sine dolore. Ibi nec conceptus sine culpa, nec partus sine pœna. Hîc quia conceptio sine concupiscentia, & parturitio sine pressura. Quod igitur humana natura perdidit in puerpera prima, (scilicet concipere & parere sine corruptione;) hoc in hac puerpera nostra, velut quasdam reparationis suæ primitias videtur recepisse.]

Optimè S. Hildeph. serm. de perp. Virginit. & parturit. Mariæ, vbi contra aliquos tunc exortos Hæreticos, fatentes quidem ore tenus, Deiparam fuisse Virginem etiam in partu; sed tamen communi lege ac more cæterarum peperisse, & cruciatibus ordinariis parturientium obnoxiam fuisse, potenter disputat; & monstrat hunc partum fuisse sine gemitu, sine dolore, sine molestia & ærumna, sine tristitia & afflictione; quod copiosè & diligenter prosequitur. Et idem præclarè æquè ac latè præstat Amedeus Lausan. hom. 4. de Deipara. Nimirum tametsi naturale est parientibus cruciari; (quod miror videri negare S. Hildephonsum l. de perp. Virg. & parturit. B.Mariæ *non multum ab initio*;) tamen cruciatum illum nisi peccatum interuenisset, præpediuisset gratia: & idcirco mulieri in pœnam dictum est præter cœtera, *in dolore paries*. Cum igitur Virgo natura cæteris communicaret, non culpa, & ab alluuie originalis peccati fuisset plenè munda; non sustinebat Iustitia innoxiam subiacere doloribus, vt philosophatum vidimus autorem sermonis de Natiu. apud Cyprianum.

Benè itaque S. Bern. ser. 4. in Vigil. Natiu. Dom. [Cui poterit Christus asper aut durus videri, qui nec ipsi matri in natiuitate quicquam asperitatis, quicquam intulit læsionis? O noua verè miracula! Conceptus fuit sine pudore, partus sine dolore. Mutata est in Virgine nostra maledictio Euæ. Peperit enim filium sine dolore. Mutata est, inquam, maledictio in benedictionem, & sicut prædictum est per Angelum Gabrielem; *Benedicta tu in mulieribus*. O beata, sola inter mulieres benedicta & non maledicta? sola à generali maledicto libera, & à dolore parturientium aliena. Nec mirum fratres, si dolorem

non intulit matri, qui dolores totius mundi tulit, secundùm quod Esaias ait; *Quia verè langores nostros ipse tulit.* Duo sunt quæ timet humana fragilitas, pudor & dolor. Vtrumque Christus tollere venit, vnde & vtrumque suscepit, quando (vt cætera sileam,) morte, & morte turpissima condemnatus est ab iniquis. Itaque vt fiduciam nobis daret quòd tolleret hæc à nobis, priùs matrem suam immunem ab vtroque seruauit; vt nec in conceptu quicquam pudoris, nec in partu quicquam doloris existeret.] Piè Nyssenus longiorem in hanc rem concludens disputationem, homil. 13. in Cant. de Christo sine matris dolore nato, ait; [Neque è voluptate cœpit existere, neque per dolores in lucem prodit.] Est porrò consideratione dignissimum, quod S. Paulinus ep. 37. agens de morte Rachelis in Bethleem annotauit. [Illum (inquit) locum, titulo mortis vxoriæ, Iacob prophetica mente signauit, prouidens legem ortu Euangelico sopiendam. Quo mysterio, coniux Patriarchæ quæ pluribus locis in Ecclesiæ imaginem vixit, tamen, vt reor, in Synagogæ typum moritur, & partu filium doloris enixa, illhic vbi erat Virginis partu, legi finis edendus. Finis enim legis Christus.] Ibi ergo pia mater ac Virgo filium dexteræ absque dolore fudit, vbi præ dolore obiit typus Synagogæ vetus puerpera.

Nullæ in hoc partu sordes; ac primum ex parte infantis.

20. NEc dolor tantùm, iuxta proximè laudatum Autorem libri de operibus Christi Cardin. sed etiam illuuies quæcunque huic partui defuit, vnde lauacra hinc ablegat. Nimirum cætera quidem puerperia, multipliciter sordent; & fœtus è maternorum locorum sentina prodiens, scatet fœcibus; ac turpi illuuie fœdatus in lucem venit; eo autem emisso, secundinarum quibus obuoluebatur in vtero, & multorum è cibi reliquiis inibi ad exitum vsque asseruatis excrementorum fœdissimorum deiectio consequitur: quæ omnia multas spurcitias, & sordes matris ac fœtus, adiunctas habent. At in Virginis puerperio nihil tale accidit; Deo per singulare beneficium, vas hoc admirabile, nitens ac purum præstante. Itaque quicquid dixerit Origenes hom. 14. malè huc trahens locum de Iosedechi filio Zach. 3. prolatum; quo IESVS vestibus sordidis amictus dicitur, neque ex parte pueri exeuntis sordes vllæ fuerunt, neque ex parte matris parientis.

Puerum sanè exiuisse prorsus illimem ac nitentem, contra quàm aliis accidit, docet pulcherrimè Zeno Veron. serm. 2. de Natiu. Dom. verbis illis [Mariæ superbus emicat venter, non munere coniugali, sed fide: verbo, non semine: decem mensium fastidia nescit: vt potè quæ in se creatorem mundi concipit, parturit non dolore, sed gaudio. Mira res! exultans exponit infantem, totius naturæ antiquitate maiorem. Interea rudis non gemit foeta, mundum, non vt assolet, infans fusis ingrediens sponte vitæ reptantis præuiis lachrymis auspicatur. Non mater eius tanti partus pondere exhausta, totis pallens iacuit resoluta visceribus; non filius matris, aut suis est vllis sordibus delibutus: neque enim reuera aliquid circa se habere posset immundum, qui huma-

ni generis peccata, sordes, & maculas venerat mundaturus. Denique purgationes, quæ sunt tarditate periculosæ, nulla puerum maternorum viscerum prosecuta sunt damna. Nulla adhibita rudi foetæ sueto more fomenta; neque enim fratres, his poterat indigere, quæ accipere in vterum meruerat filium, animarum omnium saluatorem.] Idem ferunt illa S. Leonis serm. 2. de Natiuit. Dom. [Noua natiuitate genitus est, conceptus à Virgine, natus ex Virgine sine paternæ carnis concupiscentia, sine maternæ integritatis iniuria: quia futurum hominum Saluatorem talis ortus decebat, qui & in se haberet humanæ substantiæ naturam, & humanæ carnis inquinamenta nesciret.

21. Videsis etiam, an non eodem pertinent, & Christum prorsus nitentem prodiisse ferant illa S. Bernardi serm. 3. de Purif. ex ore Virginis. [Putas non poterat moueri animus eius & dicere. Quid mihi opus purificatione? Cur abstineam ab ingressu templi, cuius vterus nesciens virum, tēplum factum est Spiritus sancti? Cur non ingrediar templum, quæ peperi Dominum templi? Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum: nimirum cum proles ista fons puritatis sit, & purgationem venerit facere delictorum. Quid in me legalis purificet obseruatio, quæ purissima facta sum in ipso partu immaculato?] S. Augustinus Orat. de S. Hæres. c. 5. ad Manichæismum refert sordes Christo nascenti illinire: nec Christum prodiisse ex matre maculatum, demonstrat prolato nitore radij solaris semper puri. Idem planè confirmat S. Hildef. l. de Virgin. & parturit. Beatæ Mariæ & ex reuelatione sibi facta S. Birgitta l. 7. reuel. c. 21.

Pulchrè simul ac piè Guerricus serm. 1. de Natiu. Dom. inter stupendum & demirandum quod Deus factus infans ad nostras abiectiones se demiserit, hanc tamen excludit. [Ostende (inquit) nobis Domine misericordiam tuam nostra indutam miseria, & nouo miserendi genere de ipsa miseria, miserorum operantem remedia. Ad hoc siquidem ars misericordiæ, beatitudinem Dei, & miseriam hominis, in vnitatem mediatoris temperauit, vt optante Sacramento vnitatis per virtutem resurrectionis, beatitudo miseriam absorbeat, mortémque vita deglutiat, & totus homo glorificandus in diuinæ consortium naturæ transeat. Vsque adeò autem vniuersas infirmitates carnis, quibus ob culpam humana subiacet natura absque culpa videlicet dignatio suscepit diuina, vt nec infantiæ recusaret iniurias, nec alia quàm communis habet conditio, sortiri vellet exordia, excepto sanè quod per Spiritum sanctum immaculatus nascens de immaculata, vitia nostræ originis emendabat, atque secundæ natiuitatis nobis Sacramenta dedicabat.]

22. Protuli paucos hos à Patribus, inter innumeros à quibus idem traditur, vt ostenderem Christum prodiisse è matris vtero planè purum corpore, nec vllis sordibus maculatum, atque adeò non eguisse lotione, si tantùm haberetur ratio status in quo prodiuit ex vtero. Quod est contra Toletum in c. 2. Lucæ annot. 8. vbi describens ministeria à matre exhibita infanti cum ex vtero prodiit, ait cum in vtero esset membranis obtectus vt cæteri infantes opus fuisse lotione; eámque adhibitam censet à matre, priusquàm pannis puerum inuolueret

inuolueret. Eadem habet Franc. Lucas ibidem ad vers. 7. Et confirmari videtur testimonio Bedæ l. de locis sanctis c. 8; vbi ait, in hoc puerperio ad infantis ablutionem subito enatum fontem è petra speluncæ in qua Christus est editus, quem fontem suo tempore scribit perseuerasse inexhaustibilem. Quid quod S. Hieronymus ad Eustoch. epist. 22. *sub finem*, conceptis verbis agnoscit Christum è matris vtero egressum esse cruentum? Et l. aduersus Heluid. *sub finem*, sanguinem in partu Christi interuenisse, non diffitetur. Quod multo minus negari potest de cruore affuso corpori Christi, ex præcisione venæ vmbilicaris, qua Christus matri adhærebat. Nam quamuis ea præcisio, qua ex parte fœtus à matre auulsus est, fuerit planè incruenta; tamen, qua ex parte reliquum venæ illius Christo iam edito, ad vmbilicum vsque est precisum matris manu, negari non potest, quin effluxerit cruor si secludatur miraculum, & ita Toletus supra annot. 35.

23. Hæc tamen non conuellunt quod dixi; nempe Christum si tantùm haberetur ratio status in quo ex vtero prodiit, purum planè fuisse, vt Patres asserunt, atque adeò nec eguisse lotione. Nam præcisio vmbilici post natiuitatem secuta est, eique cruori qui inde manauit detergendo, potuit deseruire fons ille miraculo prouisus. Nisi malimus, vsum eius referre ad infantis abluationes postea factas, aliósque vsus quotidianos quandiu ibidem cum puero commorata est B. Virgo, quod ad aliquod tempus durasse, existimari potest. Locum S. Hieronymi aduersus Heluidium *sub finem*, latè versat S. Hildef. l. de partur. & Virginit. B. Mariæ & concludit, sanctum verum sic esse locutum non ex mente sua, sed ex suppositione Heluidij, qui indignitates partus Virginei, & Dei exitum per genitalia Virginis, vrgebat ad probandam blasphemiam de Virginis per Iosephum corruptione post Christi partum. Vult ergo S. Hildephonsus, responsum S. Hieronymi esse veluti conditionatum, quasi dixisset; esto sit ita, quanto sunt humiliora quæ pro me passus est, tanto plus illi debeo. Quæ responsio cum cadere non possit in alterum Hieronymi locum propositum, viderit lector an vsurpanda sit illa alia responsio, quam ibidem adhibet S. Hildephonsus; nempe quod S. Hieronymus hac in parte excesserit, nec sit audiendus, reclamantibus cæteris Patribus; qui constanter tradunt, infantem Christum, in ortu suo nullis sordibus fuisse inquinatum.

Nulla item Matris Virginis sordes in partu.

24. IAm quod neque ex parte matris vllæ sordes interuenerint, sed omnia summa cum puritate ac nitore sint transacta in hoc partu, concors item est Patrum doctrina. S. Epiphanius in compendio, [Natus est absque pudefactione, impollutè, absque inquinamentis.] Method. orat. de hypap. [Effugit in partu quæ mulieribus sunt propria.] Naz. orat. 40. *sub finem*, [Crede, arcano modo ac sine vlla spurcitie, ex Virgine Maria progressum. Nihil enim spurcum vbi Deus est,] quod ad exclusionem sordium de quibus agimus, pertinere, Nicetas ibi in commentario monstrat. S. Hildefonsus serm. de

Purif. cuius initium est, *Quotiescunque* Virginem in partu omnibus ignominiæ sordibus liberam fuisse docet. Et plenius l. de parturit. B. Mariæ. Optimè Zeno Veron. serm. 2. de Nat. & Aug. vel (si S. Hildephonso l. perpet. Virg. & partur. Mariæ credimus,) Petrus Chrysologus orat de 5. hæres. c. 5. cum quo exclamare liceat: [stulte, vnde sordes in Virgine matre, vbi non est concubitus cum homine patre? Vnde sordes in ea quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo est perpessa dolorem?] Sedulius pulchrè l. 2. Pasch. *ferè initio.*

Quis fuit ille nitor Mariæ, cùm Christus ab aluo
Processit splendore nouo? velut ipse decore
Sponsus ouans thalamo, forma speciosus amœna
Præ natis hominum, cuius radiante figura
Blandior in labiis diffusa est gratia pulchris.

Vides consensum Patrum in ablegandis ex parte B. Virginis, quibusuis sordibus in eius partu.

25. Quapropter non possum assentiri Abulensi, qui in c. 12. Leuit. q. 20. proposita quæstione an partum Virginis secutus sit sanguis & fœces secundinarum; respondet, si rei naturam attendamus, consequi debuisse talem effluxum, non modò sanguinis menstrui per grauiditatis tempus retenti, ob exquisitam orificij matricis occlusionem; sed etiam effluxum excrementorum fœtus, quæ vnâ cum eo intra vterum perseuerant: dilabente autem fœtu, extrudenda sunt ne matri perniciem creent. Addit tamen Abulensis, dubium esse posse, an Deus miraculo ab hac illuuiè partum Virginis liberauerit; & ideò sobriè & cautè incedendum esse hac in parte. Tandem tamen in calce quæstionis, agens de reliquiis nutrimenti puero intra vterum exhibiti, affirmat rationabilius esse existimare, earum reliquiarum effluxum Virgini contigisse, post emissum Christum, vt naturaliter aliis fœminis assolet. Et idem habet Caiet. 3. p. q. 35. art. 6. ad. 3. in editionibus non mutilis. Hoc dico non probari mihi; quia est apertè contra Patres supra dictos, iuxta quos dicendum est omnem, illam illuuiem quam Christus in vtero propter nos iuxta se, more infantium cæterorum habere voluit, (quod Orig. meritò demiratur hom. 14. in Lucam) emisso è matris visceribus Christo, diuina opera quia ita filium & matrem decebat, euanuisse.

26. Idem dicendum est de pellibus secundinarum, quibus Christum fuisse in matris vtero obuolutum, non est ambigendum: & tamen salua matris integritate prodire non possent. Vt autem per miraculum penetrationis propellerentur, vt videtur sequi ex reuelatione quadam facta B. Brigittæ l. 7. c. 21. non fuit necessarium. Cum enim destruendæ prorsus essent, quia cum Christo perstare non poterant, consultius visum est Deo, eas in nihilum redigere, quod æquè intra vterum præstari potuit, & magis decuit, vt partus Virginis vndecunque nitens & purus esset. Qua ratione saluum manet quod Synodus Trullana can. 79. definiuit, de nullis in hoc partu secundinis. Et quamuis ea

definitio non faciat certam fidem, tum quia illa Synodus quiuisexta siue Trullana, reprobata est à Sergio Papa, vt notauit Bellarm. l. 1. de Conc. c. 7. & l. 2. de Pontifice c. 18. ad 2. tum quia deprauata est à Græcis. Tamen qua in parte nunquam reprehensa est à Pontificibus aut DD. (vt sanè nunquam in hac parte est reprehensa) non caret magna autoritate, ob numerum insignem ducentorum ac viginti Patrum qui ad eam conuenerunt, & aliquam eius approbationem in 7. Synodo actione 7. can. 1. Nominatim verò hac in parte propugnatur à DD. vt à Suare t. 2. 3. p. d. 13. s. 2. & à Delrio polemica 1. ac Salazario l. de concept. c. 28. §. 4. passimque à cæteris.

Obstetrices nullæ in partu Virginis.

27. EX omnibus porrò antedictis rectè infertur, verissimè ab Autore sermonis de Natiu. apud Cyprianum exclusas esse à Deiparæ puerperio obstetrices; quod item fecit S. Hiero. l. contra Heluid. & optimè his verbis S. Athanas. serm. de Natiuit. Dom. c. 9. siue homilia de censu. [Vide admirabilem Virginis partum. Illa ipsa, quæ peperit, pannis inuoluit, & reclinauit in præsepio. Aliarum mulierum, quæ in mundo sunt, vna parit, & alia infantem in pannis inuoluit. At non ita Virgo fecit, sed quæ peperit, illa eadem infantem pannis inuoluit. Quæ sine labore aliquo mater fuit, eadem & obstetricis munere functa est, cum à nulla muliere didicisset. Non enim permisit quemquam impuris manibus attrectare partum ab omni labe purum. Illa per se eum, qui ab ipsa, & pro ipsa genitus est, suscepit, pannis inuoluit, & in præsepio reclinauit, quoniam non erat ei locus in diuersorio.]

Disertè item Arnoldus Abbas in Virginis laudatione. [Quomodò (inquit) illud diuinum puerperium eloquar, quod ab Angelis in Bethleem celebratum est, vbi in angusto tugurio hospitata Virgo, non habens diuersorium, infantem IESVM laciniis reposuit fasciarum; vbi Virgo & obstetrix & genitrix, sibi ipsi in illa celebritate exhibuit clientelam. Nihil quippe doloris, nihil clamoris ibi erat, nullam ibi vsuram pœnarum pro voluptate, vltio repetebat. Neque enim erat Christus in peccato conceptus, cuius solius est donare peccatum. Vnde ipsi egredienti, nullum exigens tormenti vectigal vltro natura ianuas reserabat.] Hoc benignè accipiendum pro egressu matris & filij cruciatibus planè vacuo, qui proinde obstetricum necessaria officia excluderet.

28. Scitè item Apollinaris Tragœdia Christus patiens apud Nazianzenum.

Matrem absque sponso scimus, & viro suat,
Hic nulla partes & suam manum obstetrix.
Depradicauit, partus hic diuinus est.

Quid verò opus obstetricibus; siue ad leuandam in illis angustiis matrem, siue ad abluendum puerum, aut puerperam; cum & dolor matri prorsus defuerit, & puero ac matri nullæ sint illitæ sordes? Erit qui censeat repugnare Pru-

dentium hymno 11. Cathemer. Ait enim obiurgans Iudæam nascente Christo incredulam.

Hunc quem latebra, & obstetrix,
Et Virgo fœta, & cunula,
Et imbecilla infantia,
Regem dederunt gentibus,
Peccator intueberis,
Celsum coruscis nubibus.

Nomen illud *obstetrix* per quam datum gentibus Christum, ait Prudentius; iungendum est cum verbis continenter adiunctis; *& Virgo fœta*, ita vt sensus sit, eandem B. Virginem, & matrem & obstetricem fuisse, nascente Christo. Videtur quidem Erasmus in notis ad eum hymnum, agnoscere Virginem ipsam esse quæ ibi à Prudentio dicatur obstetrix, sed nescio quid ei in mentem venerit, vt *obstetricem*, eo loco idem sonare diceret; ac *mulierem contēptam*: quod sicut viles esse solcant quæ ei se ministerio addicunt mulieres. Hoc nimis longè petitum est. Itaque obstetricem in sua natiua notione vsurpauit Prudentius, & id nomen ipsi Virgini aptauit vt dixi: veram autem obstetricem non admisit, nec debuit admittere.

29. Itaque non præ paupertate defuerunt hic obstetrices, vt ait creditus Bern. serm. 46. de modo benè viuendi, sed quia nullo modo necessariæ erant. Facessat ergo Suidas, qui obstetrices Deiparæ astantes; est commentus. Facessant item pictores meritò reprehensi à S. Antonino p. 3. tit. 8. c. 4. §. 11. appingentes Virgini parienti obstetrices. Qui verò pictores obstetricem amissis manibus appingunt parienti Deiparæ, (vt ex Petro Richardo lib. de passione S. Petri Apostoli prodit Molanus l. 3. de imag. c. 57.) contra historiam quidem fecerunt, appingentes obstetricem, quæ reuera defuit: haud tamen imperitè eam exhibuere truncam manibus: credo vt significarent, nihil fuisse quod præstaret obstetrix in eo puerperio, cum ipsa Virgo nec fessa, nec sordens à partu, quodcunque ibi esse poterat ab obstetrice necessarium conueniensuè ministerium, obiret commodè per seipsam, vt ait supra S. Hieronimus. Et idem voluit loco citato S. Athanasius, c. 8. negans Virginem parientem eguisse adjutorio. Alios sat multos Patres, in eandem sententiam laudat Maldonatus in c. 2. Lucæ ad illud, *& pannis eum inuoluit, & reclinauit eum.* Nec non Ferreolus Locrius l. 5. Mariæ Aug. c. 14. Non defuisse tamen angelica ministeria, affirmat autor sermonis de Natiu. apud Cyprianum, & hoc voluit Rupertus l. 3. in Cant. ad c. 4. cum dixit Angelos obstetricum vice circumstetisse Deiparam.

Nouitates partus Virginei,

30. EN ergo verè partum cum nouitate, iuxta Petrum Damiani serm. 17. [quia nunquam sic natus est homo, sicut ipse nascitur. Primus enim homo, primò de terra formatur; secundò mulier ex eius latere fabricatur; tertiò Cain consuetudinario ordine nascitur, gignitur ab vtroque. Solus iste de sola virgine nascitur,& Virginis vterum nouo, & singulari partu diuinitas humanata sigillat. Vbi nunc Aristotelicæ subtilitatis facunda quidem, sed infœcunda loquacitas? *Si peperit, cum viro concubuit.* Velit, nolit, vertitur in habitum priuatio, nec adstringitur dialecticis terminis omnium terminator, ad cuius imperium perit natura, desuescit consuetudo.] Idem sermone 61. [Quis dignè mirari valeat? Quis non obstupescat, quod is qui cœli immensitate non capitur, in angusto præsepio reclinatur? Qui electos suos stola immortalitatis induit, vilibus pannis contegi non contempsit? In stramite recubuit animalium, qui cibus est Angelorum. Qui marium procellas mitigat, qui aquarum abundantiam fluminibus subministrat, raras de Virgineo pectore guttas lactis expectat. Exprimitur lac ex vberibus Virginis, & in carnem vertitur Saluatoris. Felix ista puerpera, quæ sic gaudet de fœcunditate prolis, vt nequaquam doleat de amissione Virginitatis; quæ illum fouebat à quo fouebatur, illum in vlnis gestabat, à quo totius orbis machina continetur. Stringitur à matre puerilibus fasciis infantulus, qui cum Patre, omnium rerum iura gubernat immensus.]

Dictum hoc titulo Christum, electum ex millibus,quia nouo planè & singulari modo conceptus & natus est, quamuis verus homo cæteris humana substantia similis, egregiè tradit Gregorius Nyssenus homil. 13. in Cant. tractans illud, *dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Mixturam duorum illorum colorum, pertinere ait Nyssenus ad designationem humanitatis Christi carne albente & sanguine rubente constitutæ: Qua etiam ex causa quod malum & candeat & rubeat, donatum Christum nomine mali seu pomi, eodem Cantico, animaduertit. [Quia verò (addit Nyssenus) vno modo constituitur quælibet caro, coniugio quasi viam struente partui per generationem in omnibus hanc vitam ingredientibus; ne quis carnis ortu in hoc mysterio pietatis concesso, ad naturæ opera & affectione cogitando delabatur, existimando carnis huius generationem perinde comparatam esse vt in aliis omnibus, idcirco eum qui nostræ carnis & sanguinis particeps factus est,candidum quidem illum ac rubicundum esse fatetur, per duos hosce colores obscuriusculè corporis naturam indicans: non tamen consimili ratione prorsùs, editum in lucem ait, qua communiter homines gignuntur. Nimirum inter omnes hominum myriades ex quo illi esse cœperunt, & quousque veluti fluendo natura succedentium sibi per partum progredietur, solus hic noua quadam partus specie in hanc vitam venit; cui ad nascendum natura non cooperata est, sed seruiit. Propterea inquit candidum hunc & rubicundum, qui

per carnem & sanguinem in hac vita versatus est, solum ex vniuersis hominum myriadibus de puritate Virginea electum esse; cuius conceptio à duorum conjunctione profecta non sit, partus minimè inquinatus, parturigo doloris expers: Cuius thalamus altissimi potestas quasi quædam nubes Virginitatem ipsam inumbrans; fax nuptialis, spiritus Sancti splendor; cubile, vitiorum expers conditio; nuptiæ, puritas incorrupta. Qui ex talibus ortus est, rectè appellatur electus ex vniuersis myriadibus; quo quidem significatur, non ex coniugali thoro ipsum existere; nam huius solius generatio parturiginem non habuit, quemadmodum & sine coniugio cœpit existere. Neque enim propriè parturiginis vocabulum, vsurpari de illa incorrupta & coniugium non experta potest, propterea quod virginitas & parturigo in eandem concurrere nequeunt. Nimirum vti datus nobis absque Patre Filius, sic etiam puer hic absque parturigine natus est.]

31. Ob hanc nascendi nouitatem, Christum Psalm. 101. dictum *pelicanum solitudinis*, scribit ibi S. Augustinus. Refert quidem primo loco, dictum videri posse pelicanum, quia sicut ea auis rostro pullos suos occidere fertur, qui à matre post triduum sanguine suo viuificantur; ita de Christo descriptum est, *occidam & ego viuere faciam*. Mox tamen agnoscens eam narrationem esse fabulosam, subdit; [Pelicanus in solitudine, Christus natus de Virgine. Solus enim sic, ideò solitudo. In solitudine natus est, quia solus ita natus.] Petrus verò Chrysologus serm. 15. hinc quoque petit quomodó consequenter ibidem Psaltes, Christum denominarit solitarium in tecto. Nimirum, quia sub tegumento carnis nostræ se exhibuit modo planè singulari, natus ex Virgine planè impolluta, nihil de tecti nostri siue corporis, corruptione participans. Concinitque Richardus à S. Laurentio lib. 10. de Deip. qui tractans domum sapientiæ, passerem solitarium in tecto, interpretatur Christum in Virginis vtero, quem solus incoluit. Hæc igitur sunt noua quæ creauit Dominus super terram in ortu Christi.

Nec illud omittendum stupore dignissimum, quod Deus infans apparuerit, per hanc ex Virgine natiuitatem. [Itaque (inquit Guerricus serm. 1. de Nat.) paruulus natus est nobis, & Deus maiestatis exinaniens semet ipsum, non solo terreno mortalium corpori, sed etiam infirmæ ac pusillæ infantium se configurauit ætati. O beata infantia, cuius infirmum & stultum, fortius & sapientius est omnibus hominibus; quia nimirum Dei virtus & Dei sapientia sua in nostris, diuina operatur humanis. Huius siquidem infantis infirmitas, principem mundi triumphat, fortem armatum ligat, crudelem tyrannum captiuat, & captiuitatem nostram absoluit & liberat. Huius infantis, muta (vt videtur) & elinguis simplicitas, linguas infantium facit disertas, linguis hominum loqui facit & Angelorum, linguas diuidens igneas. Inscius iste, vt videtur, ipse est qui docet hominem scientiam, & Angelum: tanquam verè Deus scientiarum, sapientia Dei & verbum. O sacra & dulcis infantia, quæ veram humanis cordibus innocentiam infudisti: per quam omnis ætas in beatam redeat infantiam, tibique conformis fiat, non pusillitate membrorum, sed hu-

militate sensus, & pietate morum. Prorsus vos filij Adæ qui nimis grandes estis in oculis vestris, & in giganteam enormitatem per superbiam excreuistis: nisi conuersi fueritis, & effecti sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum.]

Mellea Virginis basia, & amplexus, pusionis Dei.

32. NOn hinc excedo, prius quàm Christi à purissima matre purissimè editi, per eandem nitentissimam Genitricem amplexus, & oscula melleæ dulcedinis refertissima attingam, cum eodem Autore sermonis de Natiu. quem hactenus assectati sumus, qui verbis allegatis, attrectantem, amplectentem, iungentem oscula matrem Virginem repræsentauit. Miratur hæc oscula S. Epiphanius orat. de laud. Deip. [Virgo (inquit) plurium nominum & multocula effecta est, Seraphim incomprehensæ visionis: qua inuenta est velamentum quoddam intellectuale corporis vniuersalis, Cherubim transcendens. Illa enim auertuntur, cum nequeant spiritalem ignem diuinitatis fixis oculis intueri: hæ autem apertis oculis fixè intuens incomprehensibilem, & somni expertem oculum Christi, cum desiderio & osculo salutabat. Exercitus Angelorum (qui sunt scabellum pedum Christi,) procidentes, nec videre possunt, nec contingere: hæc verò labra labris coniungens, incomprehensum salutabat.] Iurè demiratur S. Epiphanius mulierem, non modò contuentem irretorta acie solem diuinum quem sancta Seraphim contueri non potuerunt; sed etiam illi post corporationem & appositum carnis velamentum, blanda figentem oscula, omnem suauitatem, & dulcedinem superantia. Nam si tantum delectauit Sanctos antiquos Deus infans expectatus & spe duntaxat certa apprehensus, vt Guerricus in simili argumentatur serm. 1. de Annunc. quod non mel animæ immittet possessus, séque basiis amantissimis libandum dilectissimæ genitrici permittens?

33. Illustro idipsum, paucis quibusdam aliundè decerptis. Basilius Seleuciæ orat. 39. cum præmisisset processionem Emanuelis in mundum, & omnia eius adiuncta, subiungit. [Quæ omnia, sancta Domini totius vniuersi mater, ac verè Deipara, in corde conferens, vti scriptum est, rerum admirabilium accessione exhilarata, cumulatiore gaudio intus perfunditur, & simul filij, qui Deus est, oculis mentique objecta amplitudine percellitur. Vt igitur diuinum infantem contemplata est, desideriis reuerentiæ plenis, vt reor, deuincta hæc sola cum solo agitabat colloquia: Quam tibi, Fili, congruam appellationem inueniam? hominis? at conceptio tua diuina est. Dei? at humanam carnem sortitus es. Quid ergo mihi tecum faciendum? Lacte nutricabor, an Deum considerabo? Curabo vt mater, an adorabo vt ancilla? Circumplectar vt filium, an adorabo vt Deum? Lac indam an thymiama inferam? Quodnam hoc maximum, & inenarrabile miraculum? Cœlum tibi sedes, & te sinus meus gestitat: totus præsto es terram habitantibus; & non à cœlitibus prorsus abjunctus. Non contigit ista descensio loci mutationi; sed diuina fuit condes-

centio. Depraedico tuam in homines charitatem, non scrutor tuam Incarnationem.]

34. Amedeus Lausan. hom. 4. de Deip. cum vniuersalem orbis lætitiam in Christi natiuitate descripsisset, subdit de matre. [Si autem illo nascente cuncta lætata sunt, mater eius qualiter lætabatur? si cuncta gaudebant, illa quânto gaudio fruebatur? Aut quæ erat in Genitrice lætitia, si ita gaudebant omnia? Lingua balbutit, cor refugit, sensus expauescit ad pondus tanti gaudij. Quomodò enim vas adhuc fragile adhuc luteum & mortale, ad tantam vim gaudiorum poterat durare? Quia ille obumbrabat ei in ortu Christi, qui in conceptu obumbrauerat. Ille dabat sufferentiam gaudiorum, qui affluentiam præstabat; & quam gloria maiestatis replebat ineffabili abundantia, virtus diuinitatis mirabili potentia continebat. Cum igitur natum repromissum edidisset, diem ex die in nostrum diem peperisse, conuersa ad Deum toto corde, vocem gratiarum, & laudis suæ auditam fecit in excelso, obtulit acceptum labiorum sacrificium, & hostiam iubilationis immolauit, & dedit holocausta cordis pacifica, & thus odoris suauissimi in incensum Domini adoleuit. Accipiens verò natum Emmanuel, aspexit lucem incomparabiliter sole pulchriorem, & sensit ignem aquis inextinguibilem. Suscepit in testa carnis genitæ, fulgorem illuminantem omnia, & Verbum vniuersa portans, portare meruit inter brachia. Repleta igitur scientia Domini, sicut aquæ maris inũdantes, rapitur extra se, & mente sursum eleuata, altissima contẽplatione defigitur. Miratur & Virginem assumtã in Matrem, & Dei genitricẽ se læta miratur. Intelligit in se completa Patriarcharum promissa, Prophetarum oracula, & Patrum antiquorum desideria, qui Christum de Virgine nasci præconabantur, & ortum eius votis omnibus expectabant. Videt Dei Filium sibi commendatum, & mundi salutem sibi creditam lætatur. Audit sibi dicentem, & in se loquentem Dominum Deum, Ecce elegi te ex omni carne, & inter omnes mulieres benedixi. Ecce commendaui tibi filium meum, commisi tibi vnicum meum. Noli timere, lactare quem peperisti; agnosce non solùm Deum, sed & Filium. Filius meus est, Filius tuus est. Filius meus ex diuinitate. Filius tuus ex assumpta humanitate. Quo itaque affectu, & studio, qua humilitate, & reuerentia, qua dilectione, & deuotione id explerit, hominibus incognitum est, & Deo cognitum, qui renum & cordium est scrutator. Deo cognitum, qui spirituum ponderator est.]

Ambrosius Ansbertus (is quippe verus Autor, non magnus Ambrosius, vt quibusdam est impositum) serm. de Purif. B. Mariæ pium conflictum in B. Virginis pectore ad periculi sui recens nati complexus, sic repræsentat alloquens eam. [Quia præ omnibus immensitatem eius agnouisti quem sic paruissimum ex te natum vidisti, procul dubio quem infantem genisti, Dominum omnipotentem tremens adorasti, adorans tremuisti: quem tamen quia secundùm humanitatem filium cognouisti, lactasti, fouisti, aluisti. Quis putas nobis possit indicare inter huiuscemodi obsequia animi tui sensum, ô beatissima Virgo, cum hinc cernere ex te natum tantum tantillum infantem; illhinc atten-

deres

deres Dominum immensum? Hinc creatum, illhinc creatorem? Hinc infirmum, illhinc fortissimum? Hinc alendum, illhinc alentem? Hinc non loquentem, illinc Angelos docentem? Quis inquam tui pectoris arcana nobis reserare valeat: Quibus modis cogitatum ad vtraque flectebas, cum vnum eundémque Dei atque hominis Filium manibus tenens, hinc adorares vt Dominum, illhinc oscularetis vt paruulum? Quis ad tam mirabile miraculum non obstupescat? Quis non penè elinguis fiat? Generat suum, puella, & omnium creatorem; nutrit suum, & omnium nutritorem, *&c.* O admirandum spectaculum, ad quod non solùm humana, verùm etiam & Angelica stupescit natura.]

Placet huius quoque spectaculi demiratorem proferre, Christianum Poëtam, qui auorum memoria, casam pueri IESV natalitiam, & pauper Virginis puerperium, sic exornauit.

Ecquid adhuc veterum sequimur spectacula rerum,
Huc huc frequentes currite.
Hac casa qua lacera, & stat agrestibus horrida culmis,
Nouum dabit spectaculum.
Quale nihil seclis proaui videre vetustis,
Nihil videbunt posteri.
Hîc cuius tonitru, tellúsque tremiscit & æther,
Teneris crepat vagitibus.
Hîc orbis magni moderator maximus, infans
Virginea mulget vbera.
His ego non stabulis, augusta palatia Romæ,
Feliciora iudicem.
Non operosa licet Salomonia templa, nec auream
Lyd. Tyranni regiam.
Salue clara domus, cœlóque beatior ipso,
Partus sacrati conscia.
Iure tibi Iouis inuideant Capitolia falsi,
Diuis superba saxeis.
Ægyptus sancta inuideat cunabula, monstris
Finem datura turpibus.
Nec minùs apta Deo es, quod hiantibus vndique rimis,
Imbres & Euros excipis.
Quod lodicis egens, rigidóque incommoda fœno,
Fœtus rubentes excipis.
Talia nascentem decuere cubilia Christum; vt,
Qui dedocere venerit
Fastum, nulláque non suadentem turpia luxum:
Non hîc renident purpura,
Sertáve frondea, non imitantes fulmina tæda,

Non mensa sumptuosior.
Nec strepit officiis domus ambitiosa, nec alti
Fouent puerperam thori.
Pannosus iacet in duris præsepibus infans;
Diuinus attamen vigor
Emicat, & patrios vagitu dispuit ignes.
Sensere præsentem Deum,
(Quódque licet,) puero iumenta tepentibus auris
Frigus decembre temperant.
Vpilio calamis iisdem, quibus ante capellis
Agreste, sed pium canit.
Æthereique chori volitant cunabula circùm,
Vt mensibus vernis, apum,
Degenerem simul ac pepulere examina Regem,
Regi nouo, fauentibus
Applaudunt alis, sublimemque agmine tollunt,
Sic turma cœlitum Duci
Circumfusa suo, gaudens stupet, atque iacentem,
Pronis adorat vultibus;
Et natalitium sonat ad præsepia carmen.
Coniunx pudicus interim,
Fusus humi, magnum trepidus veneratur alumnum;
Porrò puella nobilis,
Pars bona spectacli, defixis hæret ocellis:
Primúmque sese non capit;
Séque, suumque stupens genitrix virguncula partum,
Nulli marito debitum.
At simul eiecit pietas materna stuporem,
Prædulce pignus corripit.
Ac modò porrectis cohibet vagire papillis,
Modò tepente frigidum,
Blanda fouet gremio, paruísque dat oscula labris;
Nunc pectori adprimit suo,
Nunc blæso teneros inuitat murmure somnos;
Amabili inuicem modo.
Lætam prole Deo, videas gestire parentem,
Prolem parente Virgine.

Obiter de fasciis, & pannis Saluatoris.

35. POst casam omnibus Regiis augustiorem, obiter attingendi sunt panni quibus Virgo mater inuoluit Filium. Nam si pannos infantiles Sancti Theodorici Deus ita honestauit vt puteus in quo abluti aliquando fuerant, tametsi semper patens nullarum sordium iactu inquinari vnquam deinceps potuerit quod scribit Flodoardus l. 1. histor. Eccles. Rem. c. 24. quanto iustius est existimare, voluisse Deum honestari infantiles Christi pannos, & perizomata secundo Adamo pretexta? Fascias ergo & pannos, quibus pia mater filiolum obuoluit, ex quibus facta sunt emplastra naturæ, vt loquitur S. Augustinus serm. 17. de temp. collaudarunt Patres, nominatim Germanus & Euthymius apud Lippomanum 31. Augusti. Ait ibi S. Germanus c. 7. B. Virginem fascias illas suis ipsammet manibus confecisse. Euthymius verò testatur eas ab Arcadio illatas ædi sacræ Constantinopolitanæ vltimo Augusti, qui erat apud Græcos postremus anni dies. Itaque non cohæret cum Euthymij narratione, quod eas ab Eudoxia per Iuuenalem Hierosolimitanum Episcopum acceptas, & ab ea ad Pulcheriam Augustam transmissas; ab hac verò collocatas in templo viæ ducum, scribunt aliqui ex Nicephoro l. 14. c. 2. qui tamen vt notauit Baronius anno 453. agit de fasciis sepulchralibus, quæ longè aliæ fuerunt à fasciis infantilibus de quibus agimus. Visuntur hodie variis locis earum partes, vt Romæ in æde S. Mariæ Maioris. Augustæ Vindelicorum in æde B. Virginis; in templo item Carnotensi eidem Deiparæ Sacro, & Duaci in templo S. Amati. Quæ Aquisgrani monstrantur, & S. Iosephi caligæ seu tibialia esse censentur, vt notat Matthias Naueus orat. 26. de S. Iosepho, vsui esse potuerunt in prima illa necessitate cum puer declinatus est in præsepio & inuolutus pannis, ita vt etiam velum capitis sui ad id adhibuerit S. Virgo, vt ex quadam reuelatione refert S. Bonau. in medit. vitæ Christi c. 7. Quæ tamen absolutè & simpliciter dictæ sunt Christi fasciæ, aliæ fuerunt. Odorem harum fasciarum atque pannorum Christi infanti à matre adhibitorum fuisse vt odorem thuris piissimè meditatur Rupertus l. 3. in Cant. *in ipso fine.*

Furfur doctrinæ. Ac primùm circa viam quà Christus in hanc lucem emissus.

36. HActenus de iis, quæ circa proposita mysteria solidè & ad catholicam & Theologicam amussim accommodatè, sunt statuenda. Non desunt tamen hîc quoque heteroclises. Fuit qui vix ante seculum & præiuerant alij longè ante apud Damascenum 4. fidei c. 15. specie honoris Christum non per Virginalia matris emissum, nec venisse ad nos per communem portam, assererent, vt refero & latè refello l. 3. de Christo l. 2. c. 5. Nec est longa

refutatione opus. Nam huiusmodi nouitas est apertè contra fidem, quia Christus non posset dici natus, nec Virgo dici posset peperisse filium suum primogenitum, nisi verè per commune vitæ ostium ad nos venisset, quamuis nullis claustris effractis venerit. Præter Patres autem loco allegato prolatos, qui mendacium illud honoris erga Deiparam, & Christum ex ea prodeuntem, aliter quàm per communem portam deriserunt; suppetunt alij. Disertissimè Naz. epist. 1. ad Cledonium. Epiph. hær. 69. & 77. & Damasc. 4. fid. c. 15. Sed optimè Goffridus Vindoc. serm. 4. de Natiu. D. [Verbum (inquit,) factum est caro, Deus scilicet Dei Patris filius, factus est filius fœminæ virginis, naturaliter simul & potentialiter natus. Naturaliter vtique; quia ex ea parte corporis Mariæ Virginis, quâ homo quisque de suâ matre nascitur, natus est Christus: sed potentialiter: quia, sicut dictum est, porta ventris eiusdem virginis clausa. Seruans igitur in vno naturam humanitatis; in altero verò humanam naturam superans omnipotentiâ diuinitatis. Si quis igitur super hoc aliter sentit, vel aliter loquitur, vitandus est, non sequendus: quoniam ipse deuia sequitur. Dedocet enim veritatem, & docet errorem Et cùm aliena ab his quæ Spiritus sanctus per os sanctorum suorum locutus est, dicere nititur, quasi nouam sibi gloriam pingit: & dum falsam sequitur fœlicitatem, veram infelicitatem consequitur.

37. Nimirum gloriam Virginis & Christi esse putabant errones illi, Virginem alia via Christum emisisse: quod nouam gloriam fingere, vocat Goffridus. Hoc aliter refellendum non est, quàm illis Procli verbis epist. ad Armenos, ad omnia Christi nobis communia æquè pertinentibus. [Nouerint se dum passiones irrident, negare naturam:. dúmque naturam negant, non credere dispensationem: non credentes verò dispensationem, damnum facere salutis. Nam si ex quo conditus est mundus, quisquam in hanc vitam lapsus est, aliam præter hanc naturæ viam ingressus, id ostendant, qui contentiosè aduersantur; & tunc demum sua deliramenta contexant. Sed si hæc sint naturæ communis initia, & Deus Verbum reuera factus est homo, cur qui naturam confitentur, passiones irrident? Alterum igitur ex duobus eligant, aut erubescentes de passionibus naturam negent, & cum Manichæis consentientes, inter impios censeantur: aut si lucrum de Incarnatione proueniens admittunt, de passionibus non erubescant, quæ naturæ conueniunt.] Idem ferunt illa S. Damasceni Orat. 2. de Assump. vocantis, Deiparam [verè beatissimam, quæ Dei Verbo aurem submisit, Spiritúsque afflatu & operatione, impleta est; & ad spiritualem Archangeli cantum, prægnans facta est, ac sine voluptate & viri congressu, Dei Verbum & personam illam mentem omnem superantem, atque omnia implentem, NATVRALITER absque doloribus procreauit.]

38. Viderit ergo Catharinus l. 4. contra Caiet. *pag.* 270. quanto iure carpat Caietanum, quia dixerat scriptum esse de B. Virgine, *pariet filium*; *Pariet*; non *emittet* qualitercunque; sed pariet naturali opere materno per genitalia. Hoc Catharinus tantùm non damnat blasphemiæ, aitque Catholicis certum

esse contrarium, & dempto Erasmo, qui ante Caietanum id tentarat, neminem Catholicum dixisse Christum emissum esse ad modum prædictum, & interueniente aliquo matris opere, quod putat esse valdè contumeliosum Deiparæ. Sed hallucinatur, vt monstraui. Christus enim in introitu ad hunc mundum, tametsi pleraque habuit singularia, multa tamen voluit habere communia; & inter ea, hoc de quo agimus. Pulchrè S. Chrysostomus hom. 49. in Genes. [Hunc autem ingressum nostri omnium Domini, digniorem esse oportet, quàm nostrum. Regius enim fuit introitus. Oportebat autem & partim cum nostra natiuitate communicare, & partim alienum esse: & vtraque hæc fuerunt. Et quomodo? Audi. Nam de vtero prodire, commune habet nobiscum: absque nuptiali autem congressu nasci, supra nostram est natiuitatem. Naturale est conceptum fieri in vtero; supra naturam humanam est, absque commixtione esse prægnantem. Et propterea vtraque, vt & excellentiam, & communionem quam habet tecum, discas. Considera autem quanta sapientia hæc facta sint. Neque eminentia obfuit assimilationi & affinitati eius nobiscum; neque nostra affinitas & similitudo, eius obscurauit excellentiam: sed operibus vtraque ostensa sunt: & alia perfectè habuit nobiscum, alia non habuit, sed ab eis totus liber fuit.

Insuper circa honorem secundinarum B. Virginis, & eius quadragenarij recubitus.

39. NOn refero in hanc classem nouitatum, quod aliqui Deiparæ partum præpostere honorantes, fuisse referuntur in Synodo Trulliana c. 79. his verbis. [Quoniam aliqui post sanctæ Christi Dei nostri natiuitatis diem, similam coquere offenduntur, & eam sibi inuicem impertiri, honoris scilicet prætextu secundinarum impollutæ Virginis Mariæ; statuimus vt deinceps nihil tale fiat à fidelibus. Neque enim hoc honor est Virginis, quæ supra mentem & sermonem, quod comprehendi non potest Verbum, peperit carne.] Quominus huc referam hanc insulsitatem, facit quod & antiqua est, & pridem antiquata.

40. Illud potiùs hìc referendum est, quod aliqui quadragenam dierum quæ à partu Deiparæ ad eius vsque Purificationem intercurrit, religiosè exigunt, nomine ac titulo recubitus Deiparæ *Nostre Dame en couche*. Eáque specie, vidimus ipsi in quodam apud Cauares cœnobio, frequentiam per totum illud tempus eo commeantium; præsertim mulierum, quasi religioso officio erga Virginem iacentem (vti erga puerperas post partum assolet) defungentium. Quid quod alicubi, multa puluinaria capiti decumbentis in puerperio Virginis supponi solita, scribit Molanus l. 2. de imag. c. 27. Similitérque Catharinus l. de cultu imag. picturas sibi in templis visas refert, iacentis in lecto Deiparæ, & partu admodùm imbecillis. Nec id planè recens esse, constat ex Balsamone ad can. 79. Trullanum. Et fortassis irrepsit primùm hæc opinio,

ex narratione quam habet Epiphanius in vita Hieremiæ, & Dorotheus in Synopsi de vita & morte Prophetarum c. de Ieremia his verbis refert. [Ieremias signum dedit Sacerdotibus Ægyptiacis, quòd oporteat simulachra eorum concuti, & decidere per Seruatorem puerum ex Virgine nasciturum, & in præsepi iaciturum. Propterea nunc etiam Virginem in lecto, & infantem in præsepio collocant, & adorant. Et cùm causam olim Ptolemæus Rex percontaretur responderunt, mysterium esse ipsis à maioribus traditum, quod illi à sancto Propheta acceperint.] En Virginem in lecto, & quod non est indiligenter prætereundum, seorsim infantem in præsepio, tanquam in cunis. Vt satis appareat, lectum illum non locando ad quietem capiendam infanti, fuisse ab illis appositum; sed vt in eo Mater ex partu fessa, de more, quiesceret. Nec enim verisimile est, Ægyptios illos puerperam sacram in lecto iacentem expressisse, voluntario, (vt ita dicam) nec nisi in speciem adhibito decubitu; vt illis Indis mos est, apud quos viri, cum vxor est enixa, iacent in lecto, & sorbitiunculas hauriunt, perinde ac si ipsimet ex partu fessi essent, eáque subleuatione indigerent, vxore interim domestica munia obeunte, non secus ac si non contigisset illi secundùm consuetudinem fœminarum, sed viro. Hoc nequaquam somniarunt Ægyptij, quorum erat narratio à Dorotheo recitata. Itaque Virginem, quasi verè ex partu lassatam & fatigatam, in lecto iacentem repræsentarunt; sicque ea narratio apertè fauet proposito de B.Virgine sensui. Fauet quoque Autor sermonis de Natiu. apud Cyprianum, qui his verbis vtitur. [Diebus designatis recubuit, & depositi oneris lassitudinem professa, oblatæ quieti paruit.

41. Hæc omnia sunt nugatoria, & explodenda, crassóque errori de Virgine in partu vexata doloribus, vel contermina sunt, vel planè coniuncta. Et idcirco meritò rejiciuntur à Balsamone, in Canonem 82. Sextæ Synodi. Quanquam si tantùm sensus esset, B.Virginem non ex necessitate, sed ex humilitate, vt celaret innocuum sibi & doloribus liberum puerperium, recubuisse, & lassitudinem externa specie professam esse, (qui videtur fuisse scopus Autoris proximè adducti sermonis de Natiu.) posset ea nouitas liberari errore quoad rem præsentem; nec remaneret eius patronis sollicitudo, nisi laborandi pro synceritate Virginis, & elungatione à mendacio, vel vitiosa simulatione in eo facto.

Adiunctum huius nouitatis, est superstitiosum commentum, quod alicubi non ita pridem viguisse, habetur ex Ioanne Hesselio ad 3. præceptum Decalogi c. 108. nimirum eorum, qui vbi per quadragenam, quæ à puerperio Deiparæ ad eius vsque purificationem intercurrit, fas est ex consuetudine sabatho vesci carnibus; id referunt ad languorem Virginis ex partu, cui minuendo eguerit Virgo lautioribus cibis: inque eius necessitatis memoriam, censent permitti in illis sabathis esum carnium. Sed hoc est apertum delirium. Cur enim in diebus illis, sabatho inductum alicubi vsu sit, puta in Gallia ex Paludano in 4. d. 15. q. 4. art. 4. concl. 2. (hoc est in quibusdam prouinciis quæ stricto nomine dicuntur *Gallia*, seu *Francia*) vt vescantur carnibus indiscriminatim; vel certè nonnullis animalium partibus, quod Hispani faciunt, re-

ferendum fuit in lætitiam ex natali Christi, & Deiparæ puerperio, quod ea tota quadragena piè recolitur. Nam eam ipsam, causam esse compertum est, cur natali Domini in sextam feriam incidente, fas sit carnes in cibum assumere. Et ita rectè Molanus in Martyrol. Vsuardi ad 25. Decembris num. 2.

Tandem circa intensiorem Deiparæ Virginitatem ex partu.

24. FVit denique, qui honorando Virginis puerperio, asseruerit Virginitatem Deiparæ factam esse intensiuè auctiorem & perfectiorem in partu, quàm ante esset. Ita Morales l. 4. in Matth. tract. 2. conclus. 8. n. 15. Hoc si sensus esset, Virginitatem Deiparæ nullo modo esse temeratam, imo per huiusmodi partum fuisse factam venerabiliorem, & sacratiorem, rectè diceretur, & consentaneè ad Ecclesiasticam ex S. Gregorio orationem quæ habet de Christo *natus de Virgine matris integritatem non minuit, sed sacrauit.* Idémque voluerunt plerique Patrum vt S. August. ser. 15. de tempo. seu potiùs Fulg. orat. de laud. B. Mariæ ex partu Saluatoris, cum dixit; [creuit in eius partu integritas corporis potiùs quàm decreuit, & virginitas ampliata est potiùs quàm fugata.] Item Chrysologus serm. 142. [In tuo partu creuit pudor, aucta est castitas, integritas roborata, solidata virginitas.] Et serm. 175. [Feliciter parturit quæ virginitatis coronam, magis magisque pariendo conquisiuit & gloriam.] Prætereа S. Epiphanius orat. de laud. Deip. [Etiam nunc sum Virgo post partum, purior si dicere liceт, quàm antea.] S. Anselmus alloq. coel. 23. n. 6. in locupletiori editione ante annos aliquot seorsim edita, idem affirmat. Creditus Augustinus in Appendice 22. aliàs serm. 10. de temp. [Sancta credidit, sancta concepit, sanctior efficitur post partum.] Et mox. [Expauit in partu suo mater; Deus per Angelum loquebatur, & Virgo auribus imprægnabatur. Audiat omnis ætas, quod nunquam audiuit. Virgo partui suo nupsit, virginitatem dum pareret, duplicauit.] Nec dissimiliter S. Hildefonsus serm. 3. de Assumpt. agens de conceptu & partu B. Virginis. [De conceptu, deferre honorem cognatis didicit, de ortu Filij, pudor creuit, aucta est castitas, integritas roborata, virginitas quoque solidata, omnes perseuerauerunt virtutes.] Idem lib. de virginit. perpetua S. Mariæ c. 2. agens de Christo, domum Deiparæ ingresso; [Hanc domum ingrediens, non pudoris spolia tulit, sed egrediens integritate donauit.] Non quod ante Christum in ea conceptum, & ex ea natum, Virgo non esset, sed quod eius integritas, exitu prolis non sit imminuta, sed augustior reddita. Nouata voce vsus Amedeus Lausan. hom. 4. de Deip. dicit, eam ab hoc conceptu & puerperio, factam esse *virginiorem.*

Si igitur hic esset sensus, eorum qui dixerunt virginitatem Deiparæ per hunc partum factam esse perfectiorem & auctiorem intensiuè, vacarent reprehensione. Ridiculè autem hallucinati sunt, si senserunt virginitatem Deiparæ per partum factam esse verè ac reipsa intensiuè perfectiorem. Nam cum virginitas possit sumi, vel materialiter, vel formaliter; materialiter quidem virginitas non dicit nisi partium corporis integritatem quam liquet esse planè

incapacem augmenti intensiui, aut perfectionis vllius ad hoc negotium facientis. Formaliter verò virginitas dicit innocentiam quandam circa venerea, & exclusionem omnimodam experientiæ delectabilium illius generis. Hoc autem cum sit aliquid negatiuum, non est capax augmenti intensiui. Nec si virtus castitatis est capax augmenti intensiui, (vt sanè est) sequitur virginitatem esse quoque eius augmenti capacem. Virginitas enim non est virtus peculiaris, sed quicquid in ea est supra simplicem & vulgarem castimoniam, est innocentia illa, quam constat augmento intensiuo non perfici.

PVNCTVM VIII.

GESTA VIRGINIS, CHRISTO INFANTE, ac puero.

EDITVM illæsa virginitate infantem, lactabat Virgo mater. Tametsi enim id negarunt insani quidam sectarij, quos à se auditos Tolosæ, scribit Cathar. l. de consummata Christi & ss. gloria, *ferè initio*, quia id in scriptura directè proditum non est, nec nisi indirectè apud Lucam verbis illis, admirabundæ mulierculæ proditum *& vbera quæ suxisti*, quæ & negari salua fide possent, cum pleraque falsa dicta referantur ab Euangelistis, & æquè possent cadere in vbera nutricis distinctæ à matre. Tamen spectata traditione Patrum, dubitare non licet, quin B. Virgo Christum lactauerit. Ita Nyss. hom. de natiu. Deip. Aug. serm. 9. de temp. & Rupertus l. 7. in Cant. Nec spectato amore Deiparæ in filium, fas est ambigere, quin ipsamet eum lactare voluerit. Non enim erat de dimidiatis illis matribus, in quas conclamat apud Gellium Phauorinus l. 12. c. 1. & Clem. l. 3. pædag. c. 4. ac ex variis Tiraq. c. 20. de nobilit.

Quomodò lac Virgini, absque viro matri.

2. LActabat autem Virgo Christum, vbere de cœlo pleno: non quod id esset nouum miraculum & distinctum à beneficio conceptionis actiuæ, (naturaliter quippe fœmina, ex quo concepit & peperit lac habet) sed quod attenta radice & prima origine copiæ lactis, idest conceptione miraculosa, quam partus & lactis copia est consecuta, referri ad cœleste donum debeat, quod Virgini vbera lacte manarint. Et hoc pacto accipiendum est, illud S. Damasceni carm. de Annunc. [Quonam modo lac profundas, ô casta Virgo, mortalis lingua eloqui non potest. Noua enim naturæ res ostenditur.] Nempe radicaliter

radicaliter, & spectata origine prima affluentis lactis, quæ sita est in conceptione. At supposito conceptu & partu, naturale fuit lac affluere. Quare non approbo, quod aliqui apud Salmeronem tomo 3. tract. 33. censuerunt B. Virginem, eo quod absque virum per miraculum concepisset, non potuisse naturaliter lac habere.

Repudio item quod in hanc rem ex Gulielmo Paruo refert Delrius in c. 4. Cant. sect. 1. vers. 10. §. 4: [Quid negas ô stulta mundi sapientia, partum Virgineum ? Deus nascebatur. Et quid item negas, lac Virgineum ? Deus pascebatur. Non potuit Deus in salutem hominum corporaliter nasci, nisi partu virgineo; nec decuit eum pasci nisi lacte Virgineo. Nec minùs habet miraculi pectus virginis lactescens, quàm venter partu grandescens. Propterea filio Virginis non tantùm dictum est; *beatus venter qui te portauit*; sed & adjunctum est, *& vbera quæ suxisti*; & quidem pulchræ sunt mammæ virginum, quia virgineæ; sed dum virgineæ sunt, lactescere nesciunt. Ideò simpliciter pulchræ sunt; sed de illis non potest dici, *Quàm pulchræ sunt.* At B. Mariæ mammæ, non tantum virgineæ fuere, sed etiam ad singulare miraculum lacte virgineo tumuerunt. Ideò cum admiratione gratulatoria vult dici; *Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ.* Planè specie & pulchritudine sua, sanctos Angelos oblectabant, cùm ab eis penderet speciosus præ filiis hominum, dominus Angelorum, minoratus paulo minùs ab Angelis, propter similitudinem carnis peccati. Repudio inquam, quod hic autor, miraculum & quidem æquale, agnoscit in lactatione per Virginem, ac in conceptione per eam. Id enim est contra Physicorum & Medicorum principia, de naturali lactis origine post partum, quomodocunque partus acciderit, saltem dummodò fœmina quæ peperit, non sit anus, sed vegeta. Harum enim & Elizabetham, & huiusmodi alias mulieres miraculo in senectute grauidas, non habuisse lac quod paruulis suis immulgerent, nisi speciali & nouo miraculo, saltémque continuato à principio conceptionis, verius videtur: quia Deus non ita vegetauit illas ad concipiendum & alendum in vtero fœtum, vt restituerit vigorem ætatis plus quàm in ordine ad hunc actum lactandi; alioqui longè diutiùs protraxissent vitam, quàm reuera protraxerint. Sanctam quoque Virginem Liduvinam, & alias quasdam in nocte Dominicæ Natiuitatis, lacte redundasse, habent Acta eiusdem Liduvinæ l. 2. c. 4. Neque hæ virgines lac habebant naturaliter. Suppeditauit ergo illis lac Deus supra naturæ debitum, & efficacitatem, quod in Virgine non fuit verum.

Suauitas considerationis, lactati Christi.

5. HIc locus plenissimus est suauitatis, attentè meditantibus [Iacet (inquit Petrus Damiani serm. 2. de Natiu. Virg.) intra materna viscera paruulus, qui cum coæterno Patre rerum omnium jura gubernat immensus. O beata vbera, quæ dum tenue lac puerilibus labris infundunt, Angelorum cibum & hominum pascunt. Exiguum exprimunt liquorẽ, & mundi reficiunt

Creatorem. Qui suæ virtutis imperio marium procellas mitigat, qui fluminibus indeficientem aquarum impetum subministrat, qui aridam terram innumeris vbique fontibus irrigat, raras de virgineo pectore guttas lactis expectat. Manat liquor ex vberibus Virginis, & in carnem vertitur Saluatoris. Hîc dilectissimi fratres mei, hîc rogo, perpendite, quàm debitores simus huic Beatissimæ Dei Genitrici, quantásque illi post Deum de nostra redemptione gratias agere debeamus. Illud siquidem corpus Christi, quod Beatissima Virgo genuit, quod in gremio fouit, quod in fasciis cinxit, quod materna cura nutriuit: illud inquam, absque vlla dubietate, non aliud, nunc de sacro altari percipimus, & eius sanguinem in sacramẽtum nostræ redẽptionis haurimus.] Rursus serm. 3. in eodem festo. [Creatus est ex ea quam creauit; portatus est manibus, quas formauit; suxit vbera quæ repleuit. Puellæ confouebatur in gremio, quem vastissima cœli non recipit latitudo. Puerilibus fasciis cingebatur, qui immensitatem orbis terræ pugillo complectitur: Matris parebat arbitrio, qui omnium rerum jura suo gubernabat imperio. Vagiebat in cunabulis, qui Angelorum gaudium erat in cœlis: vilibus tegebatur crepundiis, qui electos suos stola induit immortalitatis; imperabat illi puella, cui cuncta obtemperant, & obediunt elementa.]

[O res mirabilis (exclamat Lucas Tudensis l. 2. contra Albig. c. *16.*) ô charitas ineffabilis. Ille idem Deus fortis & terribilis, qui in monte Sinai igne & tonitruis fulgurabat, nunc in puellæ Virginis matris gremio suauis & amabilis, virgineo lacte nutritur, & humanis blanditiis confouetur. Concupiuit Deus speciem virginis. Dilexit Gigas pulchritudinem mulieris, & captus est Leo vinculis nostræ carnis.] Nec aliter Damasc. orat. de Dormit. Deip. [O singularem Dei bonitatem! O charitatem eiusmodi quæ nulla ratione indagari possit! Is qui vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, is qui cœlum & terram implet, cuius cœlum thronus & terra pedum scabellum est, ex ancillæ suæ ventre latissimum sibi domicilium fecit, absque in ea mysterium nouorum omnium nouissimum conficit. Nam qui Deus erat homo efficitur, atque modo naturam superante partus tempore procreatur, ac vuluam ita aperit, vt virginitatis claustra minimè labefactet, vlnísque terrenis, ille gloriæ splendor, ille character paternæ substantiæ, qui omnia verbo oris sui fert, infantis instar gestatur. O verè diuina miracula! O mysteria, natura atque cogitatione præstantiora! ô virgineas prærogatiuas humana conditione subliminiores! Quodnam ingens hoc ô sacra mater & virgo, mysteriũ te circũstat?]

Matris dulcedines in Christi lactatione.

4. ATtigi nostram ex tantæ rei consideratione suauitatem. Quis verò explicet, quanta lactationem infantis Dei, in virgine matre vbertas gaudiorum supernaturalium affectabatur? Rupertus quidem l. 1. in Cant. ad illud *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*, Virginem inter lactandum amaritudine perfusam videtur proponere; Vnde eam sic in-

ducit affantem suos. [Nolite solùm attendere horam vel diem illam, in qua vidi talem dilectum ab impiis comprehensum malè tractari; scilicet, illudi, spinis coronari, flagellari, crucifigi, felle & aceto potari, lanceari, mori & sepeliri. Nam quidem tunc gladius animam meam pertransiuit: sed antequàm sic pertransiret, longum per me transitum fecit. Prophetissa namque eram,& ex quo mater eius facta sum, sciui eum ipsa passurum. Cum igitur carne mea taliter progenitum, talem filium sinu meo fouerem, vlnis gestarem, vberibus lactarem, & talem eius futuram mortem semper præ oculis haberem, & prophetica, imo plus quàm prophetica mente præuiderem; qualem, quantam, quàm prolixam me putatis materni doloris pertulisse passionem? Hoc est quod dico, *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur:* O commoratio, dulcis quidem,sed plena gemitibus inenarrabilibus. Ad vbera deforis stringebatur, & eisdem lactabatur vberibus,simúlque inter vbera intus in corde futurorum præscio, semper patebat, quasi esset morte moriturus.] Sed addit mox Rupertus ex eiusdem Virginis ore, quod hunc mœrorem matris inter lactandum dilueret. [Veruntamen (inquit,) & illud sciebam, quod esset resurrecturus. Huius rei præscientia dulcis erat. Igitur dilectus meus mihi & fasciculus myrrhæ, quia moriturus, & botrus Cypri erat, quia resurrecturus, & vltra non moriturus. Botrus inquam, Cypri, videlicet terræ, vel insulæ, botros perdulces, vinúmque optimum afferentes, quia non qualecunque, sed optimum est vinum resurrectionis.]

5. Ipsi per se talis filij complexus & oscula, matrem perfundebant summa dulcedine. Hoc illis lactea dulcedine refertissimis verbis expressit apud S. Cyprianum Autor sermonis de Natiu. Dom. [Non recesserat à venerabili pectore Matris Spiritus sanctus,ad verbum Gabrielis elapsus.Possidebat domum suam; & templum quod sibi consecrauerat,adornabat. Seruabat sacrarium suum, & sanctimoniæ thalamum honorabat: lætificabant consolationes, huiusmodi animam benedictam, & tanti habitatoris reuerentia concupiscentiarum ludibria adigebat: legem mentis, lex carnis non infestabat,rebellio nulla quietem spiritus affligebat. Paruulus sugens vbera, pura alimonia vtebatur; & fons sacri pectoris, defæcatum edulium ori mundissimo infundebat. Sed & cor matris quædam dulcedines, quæ humanum superant intellectum imbuebant; erátque vtrinque mira jucunditas, cum pia sanctæ matris & deuota humilitas, & sancti sanctorum immensa benignitas,confœderatis affectibus mergerétur.]

Audi quoque Gisdelbertum in Altercat. c. 7. affantem virginem. [O mater matrum, Virgo Virginum, stella stellarum, dulcedo Maria credentium animarum, quomodò, quo affectus occursu suscepisti creatorem tuum? Nuncia vitæ audisti, corde credula, filium Dei concepisti,sacrarium facta es Spiritus sancti. Christum ergo factorem creaturarum, noua, munda, vnica vnicum genuisti, stupenda dulcedine fouisti, lactasti splendidis vberibus, nutristi paruulum & magnum; læta de paruulo, tremebunda de magno, vestisti, cibasti; tam auida inuentæ sapientiæ conseruandæ, quàm peregrina & aliena totius corporalis vel spiritualis maculæ. O Virgo florentissima, fructu speciosissima, vita &

moribus præcellentissima, quo charactere signabimus, quantis deliciis spiritualibus susceptus sit à te Patris æterni Filius? Hìc lingua non explicat, quod mens de hac susceptione mirando pertractat.]

6. Rupertus in ipsa meta libri Tertij in Cant. mellitissimè in hanc rem disserit, inducens Christum ipsum matri loquentem, vsurpatis verbis illis ex c. 1. Cant. *Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua, & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* quæ verba sic glossat Rupertus in Christi persona. [Parum erat quod dixi supra, *& eloquium tuum dulce*, quia nimis parum est, dulcedinem in eloquio habere, nisi dulce sit etiam cor. Tu dulcis in ore, dulcis & in corde. Hoc est quod nunc dico, *fauus distillans labia tua*, subjungens, *mel & lac sub lingua tua*, idest *mamma tua*. Ibi tibimetipsi dulciter sapit fauus eloquij tui, fauus distillans à labiis tuis, labiis gratiosis. Fauus tuus ego sum, mel tuum, & lac tuum ego sum, quia Deus tuus & filius tuus ego sum. Hoc tua sentit anima, hoc tua sonant labia. Aliud loqui non potes, quàm id quod in pectore habes. Ex abundantia cordis labia tua loquuntur. Et si aliàs pro tempore tacuisti, mihi tacere non potuisti. Ex quo me natum vidisti, mecum dedicata es fauo dulcis eloquij, simúlque osculo oris mei, osculo oris tui, & satisfactum etiam est sic fidei tuæ, spei, & dilectioni tuæ: Fidei per dilectionem dicentis, *osculetur me osculo oris sui.* Quid de pannis dicam quibus me inuoluisti in præsepio reclinatum? Nimirum id quod verum est, quia odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Omnium namque vestimentorum scilicet bonorum operum tuorum, quæ in me materna & plusquàm materna charitate operata es, panni illi primitiæ fuerunt. Et quia cuncta quæ tunc in me vel propter me operata es, de magno & valido charitatis igne cum suauitate humilitatis venerunt, rectè dixerim ego, rectè consenserint amici, quia odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris: Sic enim in omnibus famulata es mihi Mater & Virgo fidelis, tanquam Deo cui soli debetur odor thuris sacrificio suo, quamuis essem ego paruulus tuus, paruulus homo.]

Benè item S. Anselmus lib. de Eccell. Virg. c. 4. [Dum illum qui sibi hæc miranda fecit, paruulum inter manus suas versari, & ad verba sua pendere, & ad parui & teneri corporis læsiones paruulorum more vagire conspiceret, quò precor affectu piissimus eius animus mouebatur, quó-ve studio ad occurrendum cunctis, quæ incommoda illi fore timebat, parabatur castissimum corpus eius. Deus fili huius felicissimæ matris, qui es virtus & vera sapientia summi Patris, oramus te, quatenus ipsa misericordia, qua factus es homo pro nobis, insinuare digneris cordibus nostris, quo animo, qua cogitatione ferebatur hæc dulcissima tua mater, cùm te, inquam, talem ac tantillum in brachiis suis exultans & læta teneret; cum tibi infantulo dulcibus osculis & frequentibus congauderet; cum te lachrimantem super genua sua, quibus poterat modulis consolaretur; cum denique aliis & aliis studiis, ad quæ ipsam materna pietas informabat, tibi pro qualitatum vicissitudinibus, sedula blandiretur. Doce, inquam, nos, vel paululum mente percipere affectum ipsum, quo replebatur cor illius, vt si eum peccatorum nostrorum squalloribus obruti, quantus

fuerit plenè non mereremur contingere; saltem pauca mereamur in nostris ærumnis aliquatenus respirare: nec putetur ab aliquo contemnendum, vel parum quid sentire quemlibet in se, de affectu illius matris in filium suum.]

7. Guerricus Abbas serm. 2. de Assumpt. ingeminata studiosè matris basia, leniter arridenti paruulo sic describit ex ipsiusmet Virginis ore. [Cum paruulum tenebam inter brachia, quoties osculari speciosum forma præ filiis hominum mihi libebat, satis licebat. Nunquam faciem auertebat, nunquam matrem repellebat. Et si fortassis impatientia desiderij eram nimia, ipse tamen more suo, morem matri gerebat. Gaudebat eam replere gratia quæ diffusa erat in labiis eius, & dulcedine qua totus erat plenus, totus concupiscentia, & desiderium castarum scilicet animarum. Vnde sicut ipse de se confitetur, *qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient*, quanto gratiam oris illius gustaui suauiùs, tanto repeto nunc ardentiùs.]

Suauissimè denique Amedeus Laus. hom. 4. [Videbat oculis & manibus tractabat verbum vitæ. Felix cui præstitum est fouere eum, qui fouet ac nutrit omnia, portare portantem vniuersa, lactare filium, qui lac ipsis vberibus infudit, pascere cuncta pascentem, & escam auibus administrantem. Pendebat in collo eius Patris sapientia, & in humeris eius virtus mouens cuncta residebat. Stabat in sinu materno paruulus Iesus, & in gremio quiescebat virgineo sanctarum requies animarum. Aliquando subnixo capite, læua déxtraque tenentem, vultu placidissimo, genitricem aspiciebat, quam desiderant Angeli videre, & blando murmure vocabat genitricem, quam omnis spiritus appellat in necessitatibus. At illa repleta Spiritu sancto, sanctum pectus suo pectori copulabat, & faciem illius faciei suæ applicabat. Nonnunquam osculabatur manus & brachia, & materna confisa licentia, ab eius ore sacratissimo dulcia oscula carpebat. Non satiabatur visu, nec implebatur auditu, quia illum videbat & audiebat, quem multi Reges & Prophetæ voluerunt videre, & non viderunt, & audire & non audierunt.] Habet ibidem plurima, de studio & cura matris in lactando infante, quæ cura in nostros cedit vsus: vt propterea S. Germanus in rerum Ecclesiasticarum Theoria agens de mystica significatione Craterum; eos interpretatus, mammas Deiparæ Christum lactantis, dicat, fuisse eas, [salutare lætitiæ poculum, & tutelare ac conseruatorium totius generis mortalium.] Salutare omnino, fuit vniuerso generi humano lac Deiparæ. Nam si lac B. Ciliniæ, matris S. Remigij, piissimum Monachum Montanum, cœcum factum, luce redonauit, ex quo guttis aliquot illius lactis, vti prænunciarat, perfusus est, quod scribit Flodoardus l. 1. hist. Eccles. Rem. c. 10. quanto magis salutare lac Deiparæ quod oculis omnium planè mortalium collyrium fuit.

8. Igitur, (vsurpabo enim Augustini verba serm. 9. de tempo.) [cum gaudio dicamus sanctæ Virgini Mariæ Matri Domini nostri Iesu Christi; dicamus & non confundamur; Lacta mater Christum, & Dominum nostrum & cibum. Lacta panem de cœlo venientem, & in præsepi positum velut piorum cibaria jumentorum. Illic enim cognouit bos possessorem suum, & asinus

præſepe Domini ſui: Circuncisio ſcilicet & præputium, cohærendo lapidi angulari, quorum primitiæ fuerunt paſtores & magi. Lacta eum qui talem fecit te, vt ipſe fieret in te, qui tibi & munus fœcunditatis attulit conceptus, & donum virginitatis non abſtulit natus.]

Vberum Virginis decora, præſertim quia ſpes noſtra, à Christi per matrem lactatione.

9. LAudationem Deiparæ ex hac lactatione pangit Dyoniſius Cartuſ. l. 1. de laud. Deip. art. 18. amplexus pueri & fixa illi per matrem baſia ſuauiſſimè recolens. Et optimè art. 23. qui totus eſt de laude vberum Virginis ex lactatione Saluatoris. Et patet ſanè campus magnus in ea vberum Deiparæ laudatione excurrere volenti, ſiue originem lactis quo turgebant attendere placeat, ſiue eum in cuius bonum pretioſo illo lacte differta ſunt Virginis vbera, qui Chriſtus ipſe fuit, Deus verus, qui paruo lacte paſci ſuſtinuit, per quem nec ales eſurit. Terræ vbera ſeu mammas celebrat Philo lib. de plantat. Noë, *initio*, & in Coſmopæia, quod ſtirpes rigent & omnibus animalibus eandem beneficentiam præbeant. Et intelligit per eas terræ, matris fœcundiſſimæ mammas, amnium fluenta, fontiúmque. Habet idipſum S. Chryſoſtomus in pſalmum 9. inde celebrans has terræ mammas, quod accurrant ad nutritios, plantas inquam & animantes, extendantúrque quaquauerſum; ſecus quàm mammæ muliebres ad quas oportet infantes accedere ſi ſint lacte rigandi. Verùm quid ſtirpium & brutorum rigationi, per ſimilitudinaria terræ vbera, cum cibatione ipſiuſmet Dei, eſcam omnibus ſuppeditantis, per Virginis ſacra vbera? Hoc enim eſt, quod cœlum & terram juſta admiratione poſſit defigere, quòd Deus qui omnibus affluenter præbet eſcam & potum in tempore, ad neceſſitatem fruendi tantula eſca per creaturam ſuam ſuppeditata, deduci voluerit, indéque ſuſtentari. Cuius diuinæ demiſſionis non ignara B. Virgo, vltrò & ſedula ad infantulum priuſquàm is aduocaret, quantum humana ferebat diligentia, accedebat porrigens vbera: ingens ſibi viſa operæ pretium facere, (vt reuera faciebat) ſi officioſiſſima adeſſet paruulo, & munus ad quod delecta erat diuinitùs, exequeretur cum omni accuratione & digna tantæ ſoboli, taliſque parenti pietate. Nec dubium (quæ eximia eſt huius lactationis prærogatiua,) quin intendens in illam Deus, inſignes & corporis & animi dotes contulerit Virgini. Quod enim experimento certo liqueat, pueros cum lacte quod in prima ætatula ſugunt, & corporis & animi affectiones varias combibere; inde efficitur vt cum Regio infanti nutrix prouidenda eſt, quæ ei lac immulgeat, conquiratur, benè corpore valens, non morboſa & ſcatens corruptis humoribus, itémque animo quantum aſſequi licet optimè affecta. Hoc ſtudium, & amoris erga infantem ſuum nobile argumentum, à ſe deſiderari nequaquam paſſus eſt Deus; quæ eſt (vt dicebam) prærogatiua lactationis huius permagna.

10. Video item paſſim DD. merita Virginis apud Deum, ex hac Chriſti la-

ctatione extollere. Sed illud maximè patefacit lactati Christi per Deiparam, meritum, quod eo maximè titulo, dicitur aduocatam nostrã apud Deum agere, exhibendo vbera. Arnoldus bonæ Vallis in encomio Deip. egregiè id docuit. [Securum (inquit) accessum jam habet homo ad Deum, vbi mediatorẽ causæ suæ filium habet ante patrem,& ante filium matrem. Christus nudato latere, Patri ostendit latus & vulnera. Maria Christo pectus & vbera ; nec potest vllo modo esse repulsa, vbi concurrunt & orant omni lingua disertiùs, hæc clementiæ monumenta, & charitatis insignia.]

Adamus de Perse adductus in Allegoriis Tilmanni ad c. 24. Ecclesiastici eodem actus spiritu,ait. [Quid dulcius quàm Verbi interesse cunabulis? quàm in diuersorio Christi feriatum & liberum esse, & infantiæ colludere tam felici? Ignoscite quæso, ignoscite puero, si vbera de cœlo plena non deserit, si sacro sanctum pectoris Virginalis sacrarium non dimittit. Ad incontaminata vestigia Virginis, piscina posita est pietatis vbi pueri balneantur. Nostis ætatem hujusmodi frequentiori lauacro indigere ; facillimè sordes contrahit, & opus est vt materna sollicitudine, consuetiori balneo diluantur. Proinde à contubernio sacræ Virginis, longè procedere, tutum non arbitror. Quis enim mihi prouideret in talibus, si indulgentissimæ matris misericordiam elongarem? Tenebo illam, non discedam ab illa, quia si misericordiæ eius sollicitudo defuerit, facilè fecero abortiuum.]

Pulchrè item Rich. à S. Laurentio l. 2. de Deip. particula 1. causa 18. [*Delectabitur* ineffabiliter *infans*, idest, Christus *ab vbere* matris ei repræsentato. Sequitur, *super foramina aspidis,& in cauerna reguli qui ablactatus fuerit, manum suam mittet*. Christus enim, vt dictum est, delectatus ab vbere matris, tendit manum gratiæ ad malos, qui priùs fuerant foramina aspidis & cauerna reguli.]

11. Altero Richardus suo c. 23. in Cant. duo Virginis vbera interpretatus pietatem in peccatores ac iustos, spem misericordiæ ex lactatione Christi per Deiparam sibi pollicetur, sic eam alloquens. [A Deo pietate replentur vbera tua, vt alicuius miseriæ notitia tacta, lac fundant misericordiæ, nec possis miserias scire, & non subuenire. Et quid mirum, si misericordia affluis, quæ ipsam misericordiam peperisti? Carnalia in te Christus vbera suxit, vt per te nobis spiritualia fluerent. Cum enim misericordiam lactasti, ab eadem misericordiæ vbera accepisti. Et sicut carnem nostram in te sumpsit, & Spiritum sanctum suum nobis dedit. Cum materiale lac ex te Deus suxit, spirituale pariter Filiis Dei per te fluere cœpit. Ex eo miserorum mater facta es, & miseros alere misericordiæ lacte cœpisti. Et cum misericordia Dei sit ab æterno, amplior esse cœpit ex tempore. Et cum ex te cœpit initium, eius quoque largitas per te sumpsit augmentum. In te ergo concreuit lac diuinæ misericordiæ, & ex te nobis profluxit,Ipsa priùs repleta es, & ex te nobis descendit hæc abundantia. Vnde quia lacte hoc inebriaris, & lac istud nobis fundis, & per mundum pietas tua currit, & miseris occurrit & subuenit, meritò hinnulis compararis, & lactentibus hœdis, paritérque currentibus assimilaris. Sugunt enim lac istud in diuina fruitione, & nobis occurrunt charitate, & subueniunt meritis & intercessione.]

Infantis circuncisio curante matre, non exequente.

12. INterea ventum est ad octauam à natiuitate diem, & puero ex legis præscripto cui subjacere vltrò voluit, circũcisio à matre curata est, ibidem in stabulo in quo editus erat, vt S. Epiphanius hær. 20. affirmat: consentítque Tol. in c. 2. Lucæ annot. 30. Imo per dies illos 40. qui erant designati ad purgationem puerperæ, hæsisse matrem cum filio in stabulo, censet Suar. t. 2. 3. p. d. 15. s. 1. *in fine*. Quid præputio abscisso sit factum, vetus quæstio est vt videre est apud Titum Bostrenum. Actum de ea plenè l. 2. de Christo sect. 3. cap. 3. Ministrum circuncisionis Christi fuisse Iosephum, affirmat S. Ephrem orat. de Transfig. & S. Bern. serm. 1. de circuncis. & subscribunt recentiores quas adducit & sequitur Morales l. 5. tract. 3. n. 8. Alij ipsam Virginem filium circumcidisse meditantur. Neque enim nouum est, vt matres natos suos circumciderint, quod de Sephora habetur. Exodi 4. & de aliis matribus 1. Machab. 1. & 2. Machab. 2. sed id factum duntaxat videtur à matribus, necessitate quapiam vrgente. Certè exempla proposita ejusmodi fuerunt, vt matres necessitate adactæ, illam teneræ prolis lanienam obiuerint, quæ commodiùs patri vtpotè robustioris animi videtur assignanda, si aderat; vt ferunt exempla Abrahami Genes. 17. & 21. & Actuum 7. Nec Virgo tametsi robore mentis infracto ad omnes Dei voluntates exequendas, recedere ab eo vsu voluisse, censenda est. Quare circuncisionem ab ea permissam Iosepho, haud grauatè concedo.

Nominis IESV impositio. Delibata eius decora.

13. IDem Iosephus infanti super circuncisionem, prout ab Angelo monitus erat, augustissimum IESV nomen imposuit, non exclusa Virginis opera, cui æquè ab Angelo dictum fuerat, *vocabis nomen eius IESVM*. Et rationem nominis imponendi notatione eius nixam, præbuerat Iosepho Angelus, adhibita causali particula, *ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*. Astruit eam notationem nominis luculenter Franc. Lucas ad c. 1. Matth. vers. 21. refellens nugiuendos quosdam, qui supra Angelum periti, IESVM voluêre dictum, ab eo quod est *saluum esse*, aut *saluum fieri*. Angelus item Caninius de locis noui Testamẽti c. 1. refellit *Iehosua* vel *Iehesua* Osiandrianum, quod omnia alia sonat quàm quæ diximus signari hoc nomine. Stuporem quoque Osiandri ea in parte reuincit Serar. in c. 2. Iosue q. 10.

Non est autem quod de ornando & illustrando tam augusto nomine satagam, cum in eam rem tam multi incubuerint magna cum laude. Præter Lucam Tudensem l. 2. contra Albig. c. 16. cuius minutiloquium minus placet. Videsis Alphonsum Mendozam quodlib. 10. posit. Toletum in c. 1. Lucæ annot. 85. & 86. & in c. 1. Ioan. annot. 74. Iustinianum Philipp. 2. vers. 10. Serarium in c. 2. Iosue à q. 10. Magalianum in eundem librum & prolus. 9.

Isagog. in librum Iudic. Suarem t. 2. 3. p. d. 15. sect. 2. Nigronium ad initium Regularum communium societatis, qui alios innumeros proferunt, à quibus hoc nomen super omne nomen, ac super ipsum etiā *Dei* nomen, quippe significantis duntaxat naturæ autorem, venerabilissimum in cœlo & in terra, demonstratur. Posse certè eandem huic nomini ac imaginibus Christi adorationem deferri, non videtur ambigendum, cum æque sit aliquid Christi, ac imago. Vnde sicut cultus imaginis non sistit in imaginis materia, vel externa forma, sed spectat conjunctionem eius cum prototypo; ita & cultus nominis IESV. Non dico cum cultum huius nominis, directè & immediatè tendere in solum Christum, vt visum est Gabrieli Vasques 3. p. d. 108. cap. 11. & Molano. l. 3. de imag. c. 1. ac Soto l. 2. de Iustitia q. 4. art. 2. Contrarium enim rectè tradunt Corduba l. 1. q. 5. dub. 4. art. 2. Suares t. 1. 3. p. d. 54. s. 6. Magal. prolusione 9. in Iudic. à num. 34. Quod igitur dico de conjonctione huius nominis cum prototypo dum colitur, eò pertinet, vt tota ratio venerandi nomen in se spectatum, sit aliquid refusum à prototypo; vt de imaginibus quoque dicitur, secundùm veram de earum adoratione sentētiam. Et hinc etiam stabilitur magis, quod de pictura nominis IESV, adhibitis circum radiis à S. Bernardino vsurpatum, nec nisi nouitatis specie à Martino 5. aliquando improbatum, scribit S. Antoninus 3. p. hist. tit. 24. & 5. §. 2.

Adoratio Magorum, & quid per eius tempus, Virgo mater.

14. HÆrenti adhuc in stabulo puerperæ, cum infante Deo, affuerunt Magi. Eos enim Christum in spelunca adorasse, non alibi, vt habet S. Epiph. hær. 51. & Theophilactus in c. 2. Matth. statuit post S. Chrysostomum ibidem homil. 8. ad illud, *& intrantes domum*, disertè affirmat S. Hieron. epist. 17. & epist. 27. in metrico S. Paulæ Epithaphio, ac pulchrè his verbis ipsemet S. Epiph. sub finem orationis de Deip. [Apparet stella Magis, donec venisset supra infantem in stabulo, vel potiùs in cœlo. (Vbi enim Christus, ibi & cœlum) nam stabulum, visum est esse cœlum in terra.] En disertè Christum à Magis in stabulo repertum deducente stella affirmat. Quæ discrepantia, non improbabilem facit sententiam Delrij qui Commentario in Cantica, Orationem illam de Deipara tribuit Epiphanio juniori. Vt vt sit de germano illius Orationis parente, aduenientibus Magis Virginem cum puero adhuc hæsisse in stabulo, quod ea Oratione traditur, confirmant alij quos jam adduxi insupérque S. Bernardus serm. 1. de Epiph. qui in hunc modum Magos compellat. [Quid facitis ô Magi, quid facitis? Lactentem puerum adoratis in tugurio vili, in vilibus pannis? Ergóne Deus est iste? Deus certè in templo sancto suo, Deus in cœlo sedes eius, & vos eum quæritis in vili stabulo, in matris gremio. Quid facitis quod & aurum offertis? Ergo Rex est ipse? Et vbi aula regia, vbi thronus, vbi curiæ regalis frequentia? Numquid aula est stabulum, thronus præsepium; curia frequentia, Ioseph & Maria? Quomodò ita insipientes facti sunt viri sapientes, vt adorent paruulum despicabilem tam

ſua ætate, quàm paupertate ſuorum ?] Et mox. [Nonne timendum erat fratres, ne ſcandalizarentur viri iſti, & illuſos ſe crederent, cum tanta indigna viderent ? A regia ciuitate, vbi Regem quærendum conjectabant, ad Bethleem villam paruulam diriguntur. Ingrediuntur ſtabulum, inueniunt inuolutum pannis infantulum. Non illis ſordet ſtabulum, non pannis offenduntur, non ſcandalizantur lactentis infantia, procidunt, venerantur vt Regem, adorant vt Deum.] Ruſúſque ſerm. 2. eiuſdem argumenti, benè oculatam & Lynceis inſtructam luminibus fidem celebrat, quod vt Latro per eam, pendentem in patibulo & clauis confixum Chriſtum conſpexit, ſic per fidem Magi in ſtabulo, pannis inuolutum ac lactentem, Dei filium eſſe cognouerint, & adorauerint. En toties, in ſtabulo repertum à Magis Chriſtum ſtatuit, id quod etiam affirmat. Iuſt. cum Tryphone, Nyſſ. orat. de Chriſti Natiu. Chryſoſt. hom. 7. in Matth. Iſid. Peluſ. l. 1. epiſt. 378. Conſentiúntque Franc. Lucas Matth. 1. verſ. 11. & ex variis Patribus Caſtro in hiſtor. Deip. cap. 8. num. 9.

15. In ſtabulo igitur, Deiparæ ſupplices ad genua acciderunt magnis pro filio delatis muneribus, [Magi de ſucceſſoribus filiorum Abrahæ ex Cetura, habitantes in partibus Arabicis Magudiæ regionis.] Verba ſunt S. Epiphanij ſub finem Panarij. Vulgo *Reges* dicti, laxè accepto *Regis* nomine, pro quouis Toparcha; quem eſſe ſcripturæ vſum, latè proſequitur Sherlogus tom. 1. in Cant. anteloq. 5. n. 128. Quod autem S. Matthæus, Matrem cum puero inuentam dicat, domum ingreſſis Magis, dictum eſt, ex vſu Hebræorum, quibus ſolemne eſt, quamcunque manſionem, ac vel paſſerum nidum, *domus* nomine inſignire. In ea igitur domo quam dixi, inuenta eſt cum infante Deo puerpera, à Magis, quos ipſa afflante Deo optimè animatos, confirmauit & illuſtrauit vberiùs, ne humili ac vili ſpecie infantili auerterentur, & eum quem ſtella ſimilitudinaria ex aëre per Angelum formata domui incubans ipſis ſignarat, non refugerent Deum agnoſcere. Ingeſtum ab ea Regibus filium ad adorandum, habet S. Ambroſ. ſer. 1. de Epiph. Colloquia Virginis ac Magorum, longa oratione deſcripſit Card. Vigerius Chorda 4. decachordi c. 18. & 19. Gaudia verò matris in tanta cunabulorum Chriſti gloria, & harum Ethniciſmi primitiarum, tam illuſtri tam diuina conuerſione à ſimulachris, ad Deum viuum, non eſt, difficilè coniectura aſſequi.

Nemo tamen ſatis aſſequatur, potentiam Verbi corporati in extorquenda ſine vi, principum huius mundi demiſſa fide, & reuerentia, ad infantem pauperem in ſtabulo hærentem. Non dixerunt (inquit Heſychius orat. 1. de Deip.) his quos interrogabant, quomodò fit conceptio diuina, quomodò vterus ſine ſemine, quomodò partus incorruptus, quomodò Mater poſt partum eſt Virgo, quomodò ſubjicitur annis, qui prior illis eſt ? quomodò eſt in tempore, qui eſt ante ſæcula ? quomodò natura vteri comprehendi potuit eum, qui eſt incomprehenſus ? quomodò is qui eſt incorporeus, ſine conuerſione factus eſt caro ? quomodò Deus Verbum ſeipſum exinaniens in vtero virgineo, cùm eſſet inſignis & glorioſus, inſtar ſerui, modo indicibili ex eo incarnatus eſt? quomodò id quod eſt perfectum, infans eſſe poteſt ? quomodò lac ſugit, is qui

nutrit? quomodò is qui regit & complectitur vniuersa, continetur in vlnis? quomodò Pater futuri sæculi, fit infans? quomodò sursum & deorsum est? quomodò is qui est in cœlis, est etiam in terra? quomodò pannis inuoluitur, qui auriga est Cherubicorum curruum? quomodò jacet in præsepio, qui est in sinu Patris? quomodò fasciis continetur, qui educit vinctos in fortitudine; & cuncta alia quæ vel referre horrescimus. Sed cum taciturni peruenissent ad stabulum, vbi inquisierunt, decentem cultum exhibuerunt Regi & Deo cum muneribus.]

16. Harum Gentilitatis ad Deum conuersæ primitiarum, erga Christum & Deiparam studia, sic delibasse contentus; missa facio quæ ad eas præterea pertinent ab hoc instituto extranea, de quibus copiosè interpretes Matth. 2. Illud tamen obiter notare juuerit, quos passim *Gasparem, Melchiorem, atque Baltasarem* audire constat; ab Ebrardo, eiúsve locupletatore, l. contra Valdenses c. 12. aliter nominari. Additio quippe ad oram capitis apposita, quæ vel ipsius Ebrardi est, vel antiqui librarij, sic habet. [Quos Græci Philosophos, hos Persæ Magos appellant. Eorum nomina *Appellius, Amerus, Damascus.* Hebraicè *Galgalad, Magalad, Serachim.* Hi successores fuerunt Balaam, qui stellam nouerant eius vaticinio.] Sic autor ille, propugnans exemplo Magorum, peregrinationes sacras, à Valdensibus infrunitè impetitas. Præterea illud quoque videtur non omittendum, juxta autorem imperfecti operis in Matthæum, homil. 2. ad illud, *& intrantes domum inuenerunt puerum,* & juxta Hesychium proximè adductum, Magos Christum reperisse, & adorasse in præsepio. Ita enim verba illa Hesychij seruat in Magorum persona; *quomodò jacet in præsepio, qui est in sinu Patris?* At S. Chrysostomus homil. 8. in Matthæum, disertè ait, adoratum Christum à Magis, in B. Virginis gremio. Id quod minus mirum est sensisse Chrysostomum, qui domum quam intrasse Magos, prodit Matthæus, non existimat fuisse stabulum in quo Christus natus erat, sed domũ, eo digniorem nomine, quæ dilapsis breui hospitibus, diligentia Iosephi patuit illhuc digredienti cum infantulo Deo, sacræ puerperæ. Mihi, tametsi Chrysostomi sententia quoad domum in qua Magi Christum cum matre repererunt, superiùs est improbata, tamen quoad rem de qua nunc agimus, non displicet eius opinatio. Est enim satis pium ac verisimile, B. Virginem, satiandis sanctissimi illius pignoris & visu & attrectatione per sacra oscula Magorum desideriis, puerum gremio suo impositum, exhibuisse adorandum. Neque tamen euanescunt cogitationes quas Magis ab Hesychio iniectas vidimus, etiam quoad collocationem Christi in præsepio. Indubitatum quippe videtur, B. Virginem non celasse Magos, demissionem Verbi Dei vsque ad præsepe, in quo ipsamet aliis destituta cunis, recens vtero fusum reclinasset. Sic igitur auditam Christi in præsepio reclinationem, recogitare, & stupore inde defigi potuerunt Magi, quamuis Christum non in præsepio, sed in Matris gremio, ab eis adoratum, placeat asserere.

Demissio Deiparæ, in diebus purgationis, ac muneribus subjunctis.

17. EXactis deinde diebus purgationis, venit Deipara Hierosolimam. *Dies purgationis*, non est, quod quis existimet dictos, ab expiata vlla vel animi vel corporis macula, quandoquidem & vita, & nominatim partus Virginis, ab omni inquinamento carnis ac spiritus, abfuit quàm longissimè: sed dicti sunt *dies purgationis Mariæ*, quos purissima Virgo pro more cœterarum exegit, vt legi satisfaceret, [quasi cum aliis mulieribus esset ei in hoc opere ratio similis.] Verba sunt Autoris sermonis de Natiu. Dom. apud Cyprianum qui tamen jure contestatur, Deiparam (quippe purissimam in conceptione & partu,) legi de purificatione puerperarum non fuisse obnoxiam. Eadémque est vox Patrum cœterorum apud Toletum in c. 2. Lucæ annot. 35. & disertè S. Cyrilli l. 2. de fide ad Reginas *parum à principio*. Pulcherrimè autem S. Hildephonsus l. de Virgin. & parturit. B. Mariæ, retundens quod aliqui, sordes Deiparæ in partu affricabant, ex eo quod dicta sit implesse dies purgationis. Hoc vt seruiretur consuetudini ac humilitati, ab ea præstitum, tradit S. Hildephonsus, monstrans exquisitum eius & corporis & animi nitorem. Vnde concludit, [& ideò alia erat purgatio illa fœminarum, in qua purgabantur non minùs delicta animorum, quàm vitia corporum; & alia purgatio Mariæ, in qua non aliud quàm pro mysterio, consuetudo legis seruabatur, quia nullis egebat purgamentis, quæ Dominum de se omnium purificatorem, genuit incarnatum. Porrò, completio dierum purgationis eius, nulla alia causa est, quàm expletio & consuetudo legis. Purgatio verò & separatio reliquarum fœminarum, multis ex causis est, in qua & vitia purgantur animarum, & vitia corporum. Vnde septem deputantur dies immundi, quibus sedere jubetur mulier in sanguine immundo immundissima juxta dies separationis eius; & triginta tres dies, vt sedeat in sanguine puro. Omnibus tamen diebus istis mulier immunda erat & sordida multis ex vitiis, donec redintegraretur status totius corporis, & sanarentur thori; sanguísque cessaret à feruore vitiatus, sícque emundatis sordibus, mulier diuinis purgaretur hostiis & muneribus. Sed Beata Maria non talibus eguit sacrificiis, quæ sanctam de se genuit hostiam, per quam mundus purgatus est.]

18. Itaque suspicienda prorsus est in hoc facto, Deiparæ demissio: tametsi ea longè inferior qua Christus à lege circuncisionis immunis, tamen eam tenellæ carnis suæ laniená subire voluit, séque legi velut pædagogo obnoxium, atque adeò directionis indigum, & in speciem erroris capacem profiteri; cum esset ipsa via, veritas, & vita. Hanc humilitatem æmulata pia mater, se gessit perinde ac indigá purificationis, vt S. Bern. rectè admonuit serm. 3. de Purif.

Illud item humilitatis Deiparæ in hoc facto, specimen insigne fuit, quod cum esset lata lex Leuit. 12. vt in sacrificium pro purgatione immunditiarum puerperæ, offerenda esset hostia; vel agni qui cariùs vœnit, vel auiculæ vilioris pretij, cum facilè potuisset ex collatis per Magos pretiosis muneribus

aliquid ad eum vsum reseruare,tamen omnia effundens propter Deum & paupertatem, (quod à Richardo de S. Laurentio l. 4. *pag.* 280. benè expensum est,) non erubescens,quam Deus ipse quæsiturus in terras venit, auiculæ oblatione contenta, majorem hostiàm quæ diuitum propria erat, non vsurpauit. Nec verò vsurpare potuit; Nam si potuisset, stetisset haud dubiè cortici legis, quæ ferebat vt quæ posset offerret agnum, quæ verò præ inopia non posset,offerret àuiculam. [O amplectendum (exclamat in hanc rem S. Eligius homil. 2.) fidelibus animis exemplum spontaneæ paupertatis? Benignus Deus & dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum, qui dat omnibus affluenter & non improperat, qui in altis habitat & humilia respicit in cœlo & in terra, pauper & humilis pro nobis fieri dignatus est, vt nos sua paupertate & humilitate excelsos faceret ac diuites; hîc quidem in fide & spiritalium diuitiarum (id est sanctarum virtutum) libertate, in futuro autem hæredes regni, quod repromisit diligentibus se.] Sic ille à matris paupertate quam ex hac tenuium oblatione collegerat, ad Christi voluntariam paupertatem qui matrem pauperem elegerat, transitum faciens. Quod item pulchrè facit Origenes homil. 8. in Leuit.

Decora oblationis Christi per matrem.

19. OBlationem hanc humilem, fecit longè pretiosissimam, adjuncta, vno in hoc negotio primaria, filij per matrem oblatio, ex syncerissimo & diuini honoris studiosissimo pectore profecta, ingentique mista gaudio; quod is Deo sisteretur, qui Deum sisteret. Longè autem Deo acceptior fuit hæc oblatio, quàm ea qua Anna obtulit Samuelem, exonerata Scapha, (vt Chrysostomus loquitur orat. 3. De Anna,) Deo exhibens munus; vel qua S. Nōna Nazianzeni mater filios suos necdum editos offerre Deo solita erat, vt scribit idem Naz. orat. 19. aut quæ Aleydem S. Bernardi matrem idem circa natos suos præstitisse, habent acta S. Bernardi,aut denique qua S. Elisabethà Hungarica, vt habetur in eius vita c. 7. nudipes, & cum eximiis exquisitæ pietatis argumentis, infantes abs se editos cum primùm progredi ad templum licebat, sistebat Deo in altari. Et superuenerunt, matris gaudium & oblationis majestatem, luculento testimonio ornantes, testes locupletissimi duo; Simeon & Anna, benedicentes nato ac matri; & hanc contestantes Deiparam, illum verò Messiam, tam cupidè expeditum, tam anxiè per tot jam secula expectatum, salutare Dei, lumen ad reuelationem gentium, gloriam ac Regem Israel. [O quàm pium spectaculum (exclamat Ambrosius Ansbert serm. de Purific.) quo non nisi pij delectari probantur. Stat hinc Virgo & Mater, non cuiuscunque, sed Dei. Suscipitur hinc infantulus, paruulus, Virginis Filius, cuius diuinitatem non capit mundus. Occurrit hinc inde Propheta, atque vterque sexus de puero prophetat. Offertur oblatio pro puero, non quæ delicta emundet, sed quæ sacramenta declaret.] Prophetas vocat Simeonem & Annam, quia de Christo diuinitùs præcognito, & futuris eius gestis, pleraque prænuncia-

uerunt: Insignes omnino personæ, quas in primos publicos Christi sui testes ac indices delegit Deus. Simeonem laudat, Timotheus Presbyter Orat. de Simeone, & Cyrillus Hierosolimitanus orat. de occursu. Eiusdem canticum ac verba in hoc negotio præclarè expendit Gregor. Nyssenus Orat. de Hypapante. De eius tunc in Christum affectibus plenè S. Cyrillus orat. illa de occursu, ac Methodius serm. de eodem occursu, siue de Hypapante. Et benè quoque Ambrosius Ansbertus, ad calcem sermonis de B. Virginis Purificatione Annam celebrat egregiè Amphilochius Orat. de occursu dom. In hac biga, præsignatum esse vtrumque populum, legem decrepitam, & gentilitatem viduam Christo occurrentes, insigniter monstrat Method. dicta orat. de Hypap.

Herodis furor, Christi cum matre secessio in Aegyptum, cædes infantum.

20. HÆc tam magna, tam apertè, palam in templo, quo omnes conueniebant Iudæi, à personis spectatissimæ virtutis & autoritatis apud omnes summæ, enunciata, vrbem Hierosolimitanam vniuersam mox compleuerunt; peruenítque sermo ad aures Herodis Regis, qui primus deficiente sceptro de Iuda, & Duce de femore eius, intrusus fuerat in regnum Iudææ. Vt autem audiuit dissеminatam de nouo Rege famam, recruduit in eo plaga quæ in aduentu Magorum illata, iis verò præ pudore, (vt putabat) clam digressis, obducta erat; vt optimè expendit Beda Matth. 2. post Augustinum l. 2. de consensu Euang. c. 11. Quare multo quàm ante sollicitior de firmando sibi Regio throno, depellendóque instante successore, actus in rabiem, nihil siue diligentiæ, siue crudelitati, per se ac suos, ad auertendum maturè malum impendens, deesse passus est; omnium facinorosorum crimina hac in re supergressus, vt ait Orig. hom. 3. in diuers. de furore & truculentia Herodis luculenter disputans.

21. Vix autem Iosephus & Maria cum infante Iesu, mox ab expletis, sacris circa puerum, & matrem ritibus omnibus, remigrarunt in Galilæam, & vrbem Nazareth; (quod disertè videtur habere S. Lucas c. 2. vers. 39. tametsi S. Aug. l. 2. de consensu Euang. c. 5. & 11. Iustinus cum Triphone, Beda Lucæ 2. astipulante latè Ioanne Seruio c. 13. Concord. not. 5. migrationem illam in Galilæam & Nazareth longè post accidisse existimant:) cum trux illa bestia, præ metu ne hic ipse verè esset quem Magi stella duce quæsierant Rex Iudæorum, stimulante festino digressu tam celebrati publicè, & confestim clam dilapsi infantis, ita occultati vt vltra non compareret; immissa militum manu in Bethleëm, ac ne aberraret à scopo in omnes etiam fines eius, quo abductum puerum censebat, grassatus immanissimè est in paruulos omnes, iis quos dixi finibus contentos qui bimatum attigissent. Quod quamuis non ita pridem inclaruisset ortus infantis Regis à quo sibi timebat, tamen in re tanta, securè agendum, & transiliendos terminos justi timoris, arbitraretur. Demessi sunt infantes 14. millia, vt habet Græcum Calendarium 29. Decemb. & Li-

turgia Æthyopum. Describunt hanc carnificinam egregiè Orig. supra, Nyss. Nat. de Nat. dom. Aug. serm. 10. de sanctis. Sed Deus ante cuius oculos frustra jacitur rete, monito per Angelum Iosepho cui matris ac nati curam ac tutelam crediderat, festinam illi secessionem cum filio & sponsa in Ægyptum indixit. Cur Christus in eam regionem deferri voluerit, præclarè his verbis attigit S. Leo serm. 3. de Epiph. c. 3. [Ille qui sanguinem suum pro mundi redemptione fundendum in aliam differret ætatem, Ægypto se parentum ministerio subuectus intulerat, repetens scilicet Hebreæ gentis antiqua cunabula, & principatum veri Ioseph, majoris prouidentiæ potestate disponens, vt illam diriorem omni inedia famem, qua Ægyptiorum mentes, veritatis inopia laborabant, veniens de cœlo panis vitæ, & cibus rationis auferret; nec sine illa regionè pararetur singularis hostiæ Sacramentum, in qua primùm occisione Agni salutiferum Crucis signum, & Pascha Domini fuerat præ formatum.] Hac secessione, Deus delusum spe sua Herodem, vno qui quærebatur tot inter funera, tempori subducto, & immanissimæ carnificinæ prouidentissimè subtracto, dimisit. Et euasisse quoque, eadem prouidentia duce, Baptistam qui item ad necem quærebatur, ob vulgatam de eo famam, notat Ioan. Geometra in Catena Corderij Lucæ 11. n. 73. Terminum secessionis fuisse Heliopolim inter ac Babylonem, loco quem *Maturea* incolæ nominant, prodit Burchardus in descriptione terræ sanctæ, & Ianseniusc. 11. Concord. Ex quo de peregrinationis longitudine pronunciandum est, quod facit non indiligenter Matthias Naueus orat. 15. de S. Ioseph.

Quæ mater & infans in Aegyptiaca statione.

22. IN Ægypto quæ & quanta operatus sit etiamnum infans, matre lactante & fouente Dei filius, dimissis iis quæ Iacobus de Valentia in Cant. Deip. ad vers. 5. *sub finem*, ex Saracenicis libris prodidit, legere licet apud Baronium anno Christi 1. à num. 1. Ibi paruulo sensim crescenti & confortato, vt Lucæ verbis vtar, pia mater vestem paruulam Iosephi tunica polymita longè pretiosiorem; non quidem ratione formæ aut materiæ, sed ratione opificis, & finis ad quem referebatur, filio confecisse proditur. Lineam Christi pueri subuculam, à Deipara (vt aiunt,) confectam è crassiore lino, asseruat lipsanotheca Romana Lateranensis. Dedisse enim operam ei opificio B. Virginem, & quæsisse lanam & linum vt operaretur consilio manuum suarum, quod in fortis mulieris Laudibus à sapiente est repositum; argumento est, quod ἄτρακτον eius siue, quem pollice torquens libratum tereti versabat turbinè fusum, S. Pulcheria referente Nicephoro l. 14. c. 2. in templo Virginis Odigetriæ collocauit. Glomum item eiusdem Virginis, filo sacris digitis diducto constantem, in oppido Aduaticorum Hüo, etiamnum seruari, audio. Itaque verisimile esse potest, quod de tunica inconsutili, Christo paruulo confecta à matre, referebam. Idque in hunc modum cecinit Bapt. Mantuanus.

Cum primùm dulces infans proferre loquelas
Cœpit, & aduersis vestigia figere plantis;
Mater ei tunicas habiles ordita, nouúmque
Vestis opus, niueo puerum velauit amictu:
Suspiciénsque polos, inquit; Date numina vesti
Incrementa mea, pueri cum corpore semper
Crescat, & ad sanctos vltrò se accommodet artus:
Non gladium tineamvè ferat, non trita senectæ
Cedat, & hæc nostri durent monumenta laboris.

Quod iste Poëticè & optanti matri tribuit, aliqui tanquam rem gestam retulerunt, aientes hanc Christi paruuli tunicam fuisse illam ipsam tunicam inconsutilem, quam parte super eam jacta, Christo confixo, sortiti sunt milites. Eam enim Christo paruulo aptatam, crescenti Christo concreuisse dixerunt; quod tanquam ex apocryphis-petitum, dimittendum pronunciauit Card. Vigerius tract. de instrumentis Dominicæ passionis, & comparatione ferri Lanceæ cum tunica inconsutili §. *rationes pro dignitate inconsutilis tunicæ*. De his & aliis per reliquam vitam Christi vestibus, à Ss. matre confectis, ex Euthymio Matth. 27. & aliis, pererudité disserit Ribera Ioan. 19. ad illud, *acceperunt vestimenta eius.*

23. Resumo Ægyptiacam stationem. Iuxta Baronium anno Christi 8. n. 9. annuente ferè Suare t. 2. 3. p. d. 17. f. 2. hæserunt in Ægypto mater ac filius per annos octo. Et pretium excepti hospitio infantis Dei, extitit sanè luculentum. Quod S. Chrysosto. hom. 8. in Matth. his verbis exhibet. [Ægyptus suscipit ac tuetur insidias fugientem Tyranni. Namque tactu ipso Domini, gustum quendam sanctificationis adipiscitur; vt cum illum audierit ab Apostolis prædicari, huius quasi priuilegij honore decoretur, quod Dominum prima susceperit. Et certè solius hic Palæstinæ videbatur esse primatus: sed facta est posteà ista feruentior. Denique si quis nunc ad Ægypti veniat solitudines, paradiso quouis omnem illam videbit eremum digniorem, & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus, & populos Martyrum, & choros Virginum: Et omnem quidem Tyrannidem Diaboli dissolutam, Christi autem regnum coruscans: Et illam Poëtarum, & Magorum quondam, ac Philosophorum parentem, & cuiusque generis imposturarum repertorem, quæque etiam cæteris propria inuenta tradiderat; videbit modò piscatorum magistrio gloriantem, & contemptis omnibus jam illis repudiatisque, publicanum vbique ac sutorem pellium circumferentem, atque ad maximam fidei gloriam, crucem Domini præferentem. Et hic omnia bona, non in vrbibus solùm, sed etiam in desertis magis florent locis, quàm in ipsis vrbibus. Est enim cernere tota illa regione diffusum exercitum Christi, & admirabilem illum regium gregem, virtutúmque cœlestium conuersationem, in terris micantem. Atque hæc non in viris solùm, sed etiam in fœminis splendere

splendere conspiciaș. Nam ille quoque, non minore quàm viri virtute decorantur, &c. Non ita variis astrorum choris cœlum refulget vt Ægypti eremus innumeris Monachorum ac Virginum distinguitur ac illustratur habitaculis. Si quis illam Ægyptum veterem nouit, rebellem Deo, ac magnitudine superstitionum furentem, adorantem irrationales animantes, porros etiam cepásque pauitantem; hic optimè Christi potest nosse virtutem, per quem facta est tam admiranda mutatio.] In eandem sententiam præclarè disserit Euseb. l. 6. de demonstr. c. 20.

Regressus ex Aegypto; Pueri duodennis, amissio.

24. EXactis annis octo commorationis in Ægypto, & anno Christi nono ineunte, (tametsi aliter statuit Castro c. 12. histor. num. 7. aiens id factum, Christo annos septem nato;) factus est matris cum filio regressus in Galilæam inferiorem, positam in tribu Zabulon, circa Tyberiadem, & stagnum Genesareth: cuius tractus oppidum fuit Nazareth, Christi ibi conceptione, & eiusdem paruuli & B. Virginis illhuc ex Ægypto diuertentium, diuturna habitatione celebre. Vnde factum, vt & Christus ipse Nazarenus haberetur, & Christiani olim Nazaræi, aut Galilæi per ludibrium denominarentur.

Ex eo oppido, secundùm consuetudinem diei festi, adita à Virgine Ierosolyma orationis causa, habetur ex iis quæ Lucæ 2. narrantur versu 41. Et ex ibidem narrata, triduana secessione Christi pueri à matre & Iosepho, in ea peregrinatione, cum factus esset annorum 12. Inde magna iisdem doloris seges, non quod se grauari in eo facto culpa graui agnoscerent; (vt mentiuntur Hæretici apud Canisium 4. Mar. c. 15. vndecunque captantes prætextus in peccatis ad vellicandam Virginem; rati plurimum defore ad plenam & coagitatam suæ iniquitatis mensuram, nisi in arcam Dei viuentis, effundant malignitatis virulentiam:) sed ob amissionem Filij dulcissimi, eiusdémque Dei corporati, cuius præsentia & consuetudine frui, suauissimum; priuari asperrimum & acerbissimum. Itaque die tertio ab amissione, conquisitum omni studio puerum inuenerunt, Doctoribus legem diuinam exponentibus aures dantem; humi in pauimento matta strato sedentem, vt mos discipulorum ferebat. Quod Lucas expressit per consessum in medio Doctorum.

Lenissimè autem de secessione rogatum; (non enim increpitum, vt blasphemát sectarij apud Canisium l. 4 de B. Virg. c. 17.) reduxere Nazaretham; vbi Christus Matri, & ob matrem Iosephi sponso, per inauditum, nec vllis vnquam verbis assequendum demissionis miraculum, subditus habitauit. [Quis quibus? (ait S. Bern. hom. 1. super *missus est*.) Deus hominibus. Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui principatus & potestates obediunt, subditus erat Mariæ. Nec tantùm Mariæ, sed etiam Ioseph propter Mariam. Mirare ergo vtrumlibet, & elige quid ampliùs mireris, siue filij benignissimam dignationē, siue Matris excellentissimá dignitatem. Vtrinque stupor, vtrinque

miraculum. Et quòd Deus fœminæ obtemperet, humilitas absque exemplo: & quòd Deo fœmina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus virginum singulariter canitur; *quòd sequuntur Agnum quocumque ierit*. Quibus ergo laudibus judicas dignam, quæ etiam præit?] Rectè omnino Bernardus vtrinque stuporem ac miraculum esse agnoscit. Nam si stupendum est, Matrem præire Verbo Dei corporato, éstque ea sublimitas supra omnem comparationem; eadem opera euincitur, stupendum omnino esse, & supra omnem proportionem & comparationem luculentum humilitatis exemplum, quod Deus homo exhibuit præbens se subditum.

Demiratur hoc ipsamet Deipara apud Rupertum lib. 1. in Cant. ad illud, *Dilectus meus mihi*. Inducit enim Rupertus, B. Virginem de ea Christi ad ipsam subjectione philosophantem, quod quodammodò non considerans quod ipse esset Deus, matrem sibi superiorem arbitraretur; quippe qui in disciplina humilitatis, totum principatum possideret; quod erat sanè humillima Virginis admiratione dignissimum. Demiratur item hanc Dei ad parentes subjectionem idem S. Bern. serm. 3. de resurr. & serm. 19. in Cant. Habitauit ergo Christus subditus illis vsque ad dies ostensionis suæ in Israel. *Et mater eius* (subdit Lucas) *conseruabat omnia verba hæc in corde suo*: dicta inquam factáque pueri IESV omnia, hactenus narrata, magno studio in pectoris sinu condebat. Ab ea certè Apostoli, ab ea ipse Lucas, quicquid de Christo infante ac puero proditum est, didicerunt. Vt etiam quæ ab anno 12. ætatis Christi ad 30. acciderunt, prodidissent; quando id in tanto Euangelistarum silentio, Spiritui sancto visum non est, optare non licet.

Furfur doctrinæ: Tres Magi, Enoch, Elias, Melchisedech.

25. NOn sunt passi, desiderari in his quoque de quibus hactenus, Virginis vitæ gradibus, fucati honoris materiam, & ementita decora, qui eorum studio capiuntur. Et qui ad Virginem in stabulo cum Deo pasione hærentem; aduocet, non tres Idololatras Magos, quod hactenus est creditum; sed tres viros sanctissimos, quorum aduentus longè honorificentior Christo, Matri autem sanctissimæ, quæ cum eis colloquia miscuit, etiam longè suauior fuerit. Ægrè à me impetro, vt quod integrum volumen hoc anno 1638. editum, ad omnes vulgauit, his chartis illinam. Magos à S. Matthæo memoratos, hic autor ait esse *Enochum, Melchisedecum*, & *Eliam Thesbitem*; Magnos vtique æuo suo viros, quorum appulsus ad stabulum, longè pluris esse meritò debeat, quàm appulsus siue Arabum, siue Persarum, malis antehac artibus addictorum. Probationes inauditi huius ante hoc tempus placiti, alias toto opere non deprehendo, quàm auctius Christi & Deiparæ decus, ex hac tantorum hominum ad eos aditione, in quos bellè cadere videntur, quæcumque de Magis Christo & Virgini in stabulo supplicibus, probati autores prodiderunt. Nam & sapientissimi sunt, & supra Reges quoscunque magnifici, thesaurísque abundantes; & ab Oriente venerunt; quippe incolæ terrestris paradisi, in quo non

modò Enoch & Elias, vt fert protritissima persuasio, sed Melchisedec quoque, homo immortalis, nec Adamicus, (vt iste autor tota operis appendice contendit;) vitam exigunt; indéque euocati diuinitùs sunt, ad gloriam puerperij Deiparæ, & Christi cunabula honestanda. Quod autem passim tres Magi dicantur *Melchior, Gaspar, & Baltazar*, subsannante licet Sectario Casaubono; ita retineri posse censet hic scriptor, si dicamus tres illos viros sanctissimos, fuisse binomios, non secùs ac Danielem, & tres pueros in fornace Babylonica probatos. Itaque Melchisedeco nomen *Melchioris* adscribit; (& idem sanè est vtriusque nominis initiale elementum;) Enocho Gasparis, Eliæ Baltasaris. Argumentum denique ex seruatis Coloniæ SS. Magorum corporibus, damnat fabulositatis, tota parte 4.

26. Non placet hærere circa hæc somnia vigilantium, quæ vel ipse Magorum Euangelicorum sonus redarguit, cum in Eliam & Enochum non cadat vltrà somnus, vt docent qui de eorum statu disserunt. Dormiuisse autem Magos post adoratum dominum, testatur Matthæus. Obiter itaque tantùm dico, dimissis innumeris quæ proferri possent circa hanc nouitatem nullo rationis vel autoritatis suffragio munitam, nec apud Colonienses citra periculum à sandaliis & sputis muliercularum vulgandum, dico inquam perspicua temeritate non vacare, quod Melchisedec dicatur viuus perstare, & mortem non obiisse: tantùm quia Apostolus de eo dixit, *nec finem vitæ habens*; idest vt Patres, ac interpretes omnes tradunt, sub nomine Melchisedeci, non est consignatus in Scriptura eius obitus, vt neque initium dierum. Iam verò initio dierum caruisse re ipsa Melchisedecum, quod iste autor affirmat, error est exploratus, pugnans cum definitione Ecclesiæ, quæ omnia infra Deum agnoscit habere initium: ita vt nihil sit reipsa æternum, præter Deum. Nec ille minùs patens error est, imo manifestissima hæresis, quod Melchisedec non sit ab Adamo. Nam certum est, ac de fide, Melchisedecum fuisse verum hominem, vt Patres constanter tradunt; imitati scripturam, quæ de eo agit vt de vero homine. Ideóque Hilarius Diaconus, qui Melchisedechum esse spiritum sanctum effutiuit in opere de mirab. sacræ script. passim notatur hæreseos, ea in parte, à Doctoribus, post S. Augustinum. Atqui de fide est, omnes veros homines esse ex Adamo prognatos, vt disertè habet Apostolus Actor. 17. dicens *fecit ex vno omne genus humanum*. Igitur hæreticum est, dicere Melchisedecum talem esse, qualem sibi comminiscitur autor de quo agimus. Quare B. Virgo honores ab huiusmodi Magis, nec nato, nec sibi delatos, admittit.

Item Virginis jam matris, sepositio ab aliis matribus, in templo.

27. IN Virginis ad templum aditione in his punctis aliquoties memorata, illud non pauci ad eius honorem ac decora inculcant, quod non cum mulieribus virum passis, (tametsi de eius partu constaret,) sed in loco virginibus ad orandum destinato, precaretur. Erat enim apud Iudæos certus in templo locus Virginibus addictus, in quem non viri modò, sed ne aliæ qui-

dem mulieres commearent, vt notat Origenes Tract. 16. in Matth. & Gregor. Nyssenus orat. de Christi Nativ. Similémque vsum in antiqua Christiana Ecclesia viguisse, scribit Ambros. ad Virg. lapsam c. 6. Qui etiam notat illud ex 1. Cor. 7. fuisse parieti adscriptum, *diuisa est mulier: virgo quæ non est nupta, sollicita est quæ domini sunt.* *Parietem* vocat, ligneum septum, seu tabulas, vt ibidem loquitur, & expressit optimè Chrysostomus hom. 74. in Matth. qui addit accepisse se à senioribus, talem vsum initio non viguisse, vt viri à mulieribus inter orandum ligneo septo secernerentur: tanto minùs virgines à mulieribus non integris. Sed contrarium profectò ferunt antiquissimorum Patrum testimonia, quos ne extra locum hîc euager annotant Steph. Durant. l. 1. de ritibus c. 18. n. 2. & 3. & Baron. anno Christi 55. num. 124. In eum igitur Virginum locum, adactam Virginem tametsi jam matrem, orasse scribunt permulti: eámque fuisse causam dicunt, cur Zacharias Baptistæ pater, qui Virginem ad id inuitauit, imo modestè renitentem adegit, occisus sit inter templum & altare, vt habetur Lucæ 11.

28. Non eget Virgo his honoribus, quos apocryphorum somnia, (vt rectè dicit S. Hieron. in c. 23. Matth.) illi detulerunt. Non inficior cum Hieronimo, illum Zachariam qui occisus est inter templum & altare, posse meritò videri patrem Baptistæ. Id enim adjuncta quædam verborum Christi, insinuant; vt benè expendit Toletus in c. 11. Lucæ annot. 100. & suffragantur multi Patres, quos proferunt qui in hac parte à S. Hieronimo dissident Baron, anno Christi 1. à n. 26. Delrio in Threnos c. 2. ad vers. 20. Castro c. 11. histor. Deip. num. 11. Franc. Lucas in c. 11. Lucæ vers. 51. & Matth. 23. vers. 35. Hoc igitur non inficior, tametsi neque prorsus repudio aliorum sententiam, qui illum Zachariam, contendunt cum Hieronimo, esse Zachariam illum filium Ioiadæ, de quo 2. Paral. 24. Neque item prorsus abjicio placitum eorum, qui tertium Zachariam agnoscunt, in quem Christi verba cadant, vt contendit Ribera in c. 1. Zach. num. 1. Horum nihil, ad rem præsentem refert. Quod igitur contendo, illud est, non eam fuisse causam occisionis Zachariæ Patris Baptistæ, (dato quod is fuerit de quo Christus loquitur,) quod Virginem jam matrem orare voluerit in septo virginum. Qua in parte plerique recentiorum, quos retulimus, sensisse verba Christi proposita cadere in Zachariam patrem Baptistæ, dant manus; meritò arbitrati, non esse verisimile quod virginitas Deiparæ diuulgata sit, superstite, & illi conniuente Iosepho marito. Neque item verisimile est, ante Christi baptismum, & tempus ostensionis eius ad Israel, (quæ facta est sub annum Christi 30.) innotuisse quis esset Christus aut eius mater; quam alij nonnulli proferunt, causam summi honoris à Zacharia delati B. Virgini, ob quem delatum, sit occisus à Iudæis tanquam blasphemus. Has duas & aliam insuper necis Zachariæ Patris Baptistæ causam, ex antiquis scriptis profert (citra adscriptioné tamen suam,) S. Eustathius comment. in Hexaëm *pag.* 74. Mihi satis est, negare Zachariam Baptistæ patrem, (si is est qui cæsus fuit inter altare & ædem,) cæsum fuisse ob delatum Deiparæ locum inter Virgines, quam pepetisse constabat;

vel ob eam prædicatam Dei matrem. Non poscit sibi Virgo hos splendores, cum optimi senis quem cognatione coniunctum habebat, tanto dispendio.

Commenta circa causas & magnitudinem doloris, ob amissum Filium duodennem.

29. DE anxietate & dolore Virginis ob amissum filium duodennem, non satis honorificè sensuri visi sibi sunt quidam, nisi eum supra modum amplificarent, dicentes, Deiparam plus doluisse de Christi amissione, quàm aliquis martyr dolorem sentiat de animæ & corporis separatione. Primò quia maternis affecta visceribus, cum lamentis dolorosam inquisitionem faciebat. Non enim fides qua sciebat eum esse Deum, tollebat ei veram maternam affectionem. Secundò quia dubitauit ne ad cœlos redisset vnde venerat, ex quo oporteret ipsam eius præsentia carere. Tertiò quia dubitauit ne ab Herode inuentus fuisset, qui in eius pueritia eum ad perdendum quæsierat. Ergo & propter maternam affectionem, & propter eius absentiam, & propter Herodis perfidiam, B. Virgo fuit amarum mare in filij perditione. Exscripsi Augustinum de Ancona lect. 3. Super *Missus est*, art. 4. cum explicat eam nominis *Maria* notionem, qua dicitur sonare *amarum mare*.

Sed cum alia in propositis verbis peccantur, tum circa dolorem & modum dolendi Deiparæ, minùs seruitum est eius honori quàm intendisse autor videtur. Omitto notionem aut notationem nominis *Maria, amarum mare*, Hebraicè peritis minùs probatam, tametsi est non paucorum apud Pozam l. 2. tract. 17. c. 12. Illud quis excuset, quod Deipara dicitur timuisse Herodem Christo infanti insidiatum, qui ante regressum ex Ægypto, mortem oppetierat? Nec timor de regressu Christi in cœlum, justus fuit, aut B. Virgine dignus; etiamsi ea temperatio adhibeatur; quam Orig. hom. 19. in Lucam apposuit, quod scilicet timeret regressum temporarium Christi ad cœlos. Nouerat enim Deipara, regressum illum cum scopo Incarnationis, optimè sibi perspecto, non cohærere. Tandem quod dolorem de amissione filij, exprommeret Virgo per dolorosa lamenta, & eiulatus inconditos, quales edunt inconsultæ matres, ad leues quoscunque casus filiorum, non est consentaneum grauitati, ac dignitati, & sapientiæ matris Dei: quæ etiam dici non potest perpessa in hoc euentu dolorem maiorem, dolore ex quo martyr quisque mortem obiuit. Sic enim maximum miraculum admittendum esset, in seruata vita Virginis, ad tanti doloris incursum. Itaque ad populum phaleras. Fuit dolor Virginis in hoc euentu, dignus amore quo talis mater talem filium prosequebatur. Sed cum ea temperatione, & ad diuinam prouidentiam conformatione, quæ matrem Dei decebat, nec separaret mali grauitatem. Timotheus quidem Hierosol. orat. de Simeone, hunc putat esse gladium, quem Simeon, pertransiturum Virginis animam prædixerat; & quibus potest coloribus hunc dolorem Virginis exhibet. Concludit tamen, cautè Simeonem, & ex eo Euangelistam, non dixisse *vincet*, aut *dominabitur gladius*, sed *transibit*: hoc est, (inquit,) parumper dolebis & affligeris, ac statim dolore & afflictione liberaberis.

PVNCTVM IX.

VIDVITAS DEIPARÆ, ET RELIQVA de ea, ad Filij vsque Ascensionem.

1. VT de Christo ab anno ætatis 12. ad 30. altum vbique silentium, ita de matre. Nam ex quo Lucas c. 2. repertum in templo puerum duodennem, & reuersum cum parentibus Nazateth, eisque subditum retulit; nihil vltra, siue de matre, siue de filio prompsit, (quod item à cæteris Euangelistis seruatum,)vsque ad Christi Baptismum. Nec necessarium est, quæ Spiritus sanctus pressa voluit, scrupulosiùs rimari. Quæ ex S. Birgittæ commentariis reuelationum fusè in hanc rem describit Dyonisius Cartus. l. 1. de Laud. Deipa. art. 30. eiusmodi non sunt, vt hîc adscribenda videantur.

Mors Iosephi, & Deiparæ viduitas, Christo circiter pubere.

ILlud tamen de matre sub Christi pubertatem, asserere posse haud inani conjectura ducti videmur; eam Iosepho tunc vita functo, factam esse viduam. De Iosephi morte sub illud tempus, imo mox à regressu Nazaretham, post repertum in templo puerum duodennem, testes sunt S. Epiphan. hær. 78. & Cedrenus in compend. histor. Quanquam rationes quæ proferuntur, non transcendunt vim conjecturarum. Nimirum quod nullam vltra illud tempus de Iosepho mentionem faciant Euangelistæ, tametsi se daret occasio vt Matth. 13. cum Iudæi super Christi sapientiam attoniti, aiebant matrem eius, & fratres, ac sorores, apud se esse: Iosephum autem patrem superesse, non memorabant. Et aliquoties dicuntur venisse ad Christum, mater eius & fratres: de patre altum silentium. Non videtur igitur vixisse tempore prædicantis Christi. Nec est quod suadeat eum superstitem fuisse, Christo facto jam pubere, Iosephi enim ascitus erat B. Virgini sponsus & maritus, ad pudoris duntaxat & famæ tutelam, ac subsidiorum vitæ comparationem, præsertim in Ægyptiaco secessu. Ex quo igitur Christus, nonnullis quâ maternis facultatibus, quâ Iosephi reculis, ad victum tenuem cum matre instructus, per ætatem non vltra eguit adiutore parandorum vitæ subsidiorum, sed ipse, vt Iosepho superstiti collaborauit in fabuli opere, teste S. Basilio in const. mon. c. 5. & Iustino in Tryphond, ita potuit ad ea sufficere labore manuum suarum, quem insinuant illa de eo Iudæorum verba Marci 6. *nónne hic est Faber*; ex quo item Virginis famæ, per longum Iosephi, cum ea conuictum à conceptu

& partu, satis consultum est, necessaria vltra non fuit, siue Christo, siue matri opera Iosephi. Itaque non inuerisimiliter creditur, esse tunc vita functum, & Virginem factam esse tunc viduam.

2. Tempore certè passionis, non superfuisse Iosephum, videtur omnino verum, vt rectè statuit S. Hieron. l. contra Heluid. & post eum Laurentius Iustinianus libro de triumphali Christi agone cap. 18. *sub finem*, nec non Benzo. in psal. 86. c. 40. traditione 20. & Petrus Nannius in schol. ad epist. 79. S. Ambrosij, ac Petrus Comestor in histo. c. 38. videtúrque euinci argumento S. Epiphanij hær. 78. nimirum quod Christus nunquam matrem commendasset Ioanni, se sponsus illi fuisset superstes. Vel si adeò tunc senex fuisset, juxta quorundam opinionem, vt B. Virginem juuare non posset, quæ ideò alteri commendanda fuerit; oportuisset æquè Christum, tot Iosephi officiorum memorem, referre ei in extremis illis ætatis lineis gratiam, commendando eum Ioanni.

Scio veterum plerosque, superstitem tunc Iosephum agnoscere: sed tamen asserere commendatam à Christo matrem alteri quàm Iosepho fuisse, vt constaret omnibus, defuisse inter Iosephum & Mariam, carnis commercium. Ita Autor Serm. de pass. dom. apud Cyprianum, Chrysost. hom. 5. in Matth. & habetur c. *si enim* 27. q. 2. Ambros. epist. 79. & l. de instit. Virg. c. 6. August. serm. 81. de tempore, Arnoldus bonæ vallis ad illud Christi verbum, *mulier ecce filius tuus.* Et perpulchrè in laudatione B. Virginis *sub finem*, cum agit de commendata Ioanni B. Virgine. Hæc tamen probatio infirma est. Nam conjuges non debent sibi vitæ subsidia vi carnalis commercij, sed vi fœderis conjugalis, quod matrimonij rati celebratione continetur. Itaque cum Ioseph. matrimonij rati perfecti vinculo conjunctus esset B. Virgin. nec diuortium interuenisset, vt fabulatur Glossa ad c. *si enim* 27. q. 2. (absit id vel cogitare, de tam Sanctis támque concordibus conjugibus;) omnino ad præstanda conjugi subsidia astrictus fuisset Iosephus, si superuixisset, etiamsi deesset inter eos, (vt reuera semper defuit,) carnale commercium. Non fuisset ergo Deipara, alteri quàm Iosepho commendanda, si mansisset in viuis: ac proinde cum sit alteri commendata, jam tunc obierat Iosephus. Et ita rectè Castro in hist. Deip. c. 13. n. 9. Baronius anno Christi 12. Salianus anno mundi 4065. n. 4. Franc. Lucas Matth. 13. vers. 55. & Ioan. 2. vers. 1. & ex antiquioribus Comestor in Schol. histor. Palud in 4. d. 30. q. 2. artic. 2.

Obiisse Iosephum sanctissimè, quæ de eius sanctissima vita, & eximiis prærogatiuis supra attigimus, tractantes Virginis desponsationem, dubitare non sinunt; Virginem autem jam viduam, sicut virginibus in omni vita, conjugibus verò in suo coniugio, ita & viduis exemplo vitæ sanctissimæ formam factam & exemplar Christianæ ac perfectæ viduitatis, certus est, quisquis tantam Virginem vel tenuiter nouit, nec est quod ea in re teram operam.

Prædicationis Christi exordia. Primi miraculi exoratio per matrem, indiuiduam prædicantis filij comitem.

3. EXegerat Christus in summa humilitate & obscuritate, inter mortales, annum vitæ trigesimum; quæ meta ætatis, ad fungendum sacerdotis, Doctoris, ac Prophetæ muneribus exigebatur, vt Hebræi tradunt, & ex 7. Paral. c. 23. colligitur. Cum igitur non modò sapientiam & sanctitatem quæ illi à prima vita erant insignes, ac summæ, & in capaces crementi; sed etiam per ætatem idoneus esset ad magisterium, Deúsque illi hos obscuræ vitæ fines fixisset; audita fama quæ pridem, (puta per tres quatuórve menses,) increbuerat de Ioanne prædicante & baptizante, Christus post matrem, de diuino circa se consilio, & instante promulgandi Euangelij tempore, commonefactam, abiit in Bethabara, siue Bethaniam, (non illam Christi hospitio nobilem, sed aliam trans Iordanem,) ad Ioannem, baptismúmque eius percepit annos natus triginta expletos, vt disertè habet S. Ignatius epist. ad Trallianos. Inde quadragenaria inedia & tentationibus, in diserto interiore quo concesserat exercitus, ad matrem Nazaretham reuenit, quod habet nominatim S. Epiphan. hær. 51. sensímque asciscens discipulos, disseminandæ Euangelicæ doctrinæ fecit initium; tunc maximè cum in Cana Galilææ, vocatus cum matre & discipulis ad nuptias personarum quas necessitudine contingebat, (Ioannem Euangelistam, & Mariam Magdalenam fabulantur aliqui, apud Molanum l. 4. de imag. c. 20.) vinum ex aqua factum exhibuit, instante matre vt quæ tot miraculorum officina fuerat juxta Damascenum, primi miraculi administra, & interpellatrix existeret.

4. Et initio quidem, vt constaret, huiusmodi opera non esse humanæ naturæ quam à matre habebat, visus est Christus matrem repellere; & vt hæretici falsò addunt, perperam & inopportunè petiti miraculi insimulare; vt latè versat Vasques 3. p. d. 120. c. 4. & diligenter quoque prolatis Sectariorum locis Adamus Gontzen. Ioan. 2. versu 4. q. 1. Hoc hæretici blasphemè, & impie de more. At verè S. Greg. l. 8. epist. 42. [quia mater Virgo, cum vinum defuit, per eum, miraculum fieri volebat, statim ei responsum est; *Quid mihi & tibi est mulier?* Ac si apertè diceret: Vnde facere miraculum possum, hoc mihi ex Patre, non ex matre est. Ex matre enim mori poterat, qui ex natura Patris miracula faciebat. Vnde & in cruce positus, eandem matrem moriens recognouit, quam discipulo commendauit, dicens, *Ecce mater tua.* Ait ergo: *Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea.* Quod est dicere: In miraculo quod ex tua natura non habeo, te minimè matrem recognosco, sed cum hora mortis venerit, cognosco te matrem, quia vnde mori possum, hoc ex te habeo.] Seruirũ prætereа esse profectui nostro docet Guerricus serm. 4. de Assumpt. jungens hunc locum cum illo alio qui item à quibusdam Sectariis in Deiparæ à filio contumeliam trahitur, cum dicenti cuipiam *Ecce mater tua*, reposuit Christus, *quæ est mater mea?* In vtroque facto & responso

& responso Christi, nos instruebamur, non tam verbis quàm exemplis, sed in secundo nominatim erudiebamur juxta Guerricum, quod circa primum quoque monstrat S. Bernardus serm. 2. de domin. 1. post Epiph. nempe vt carnalium affectibus necessitudinum non solum Dei præponamus dilectionem, sed etiam eorum qui Dei faciunt voluntatem. De cætero [Absit (inquit Guerricus,) vt matrem aspernatus sit, qui tanta cura de parentibus honorandis legem dedit. Absit inquam vt in terra fastidierit matrem, cuius de cœlo concupiuit decorem.] Estque id manifestissimum, in ea vt videbatur Matris per Christum reiectione circa primum miraculum. Nam minimè repulsam esse à Christo matrem ex indignatione, argumento est, quod eius precibus & charitati in egentes sponsos, vino ad conuiuij vsum carentes, paulo post cessit; & vinum subministrauit, ex aqua pluribus hydriis ingesta, factum. Eo autem miraculo, Christi gloria manifestata est, & discipulis firmandis in fide de Christo Messia, potens argumentum exhibitum.

5. Successit publica Euangelicæ doctrinæ disseminatio, variis per vicos & castella peregrinationibus peracta, matre ad ministrandum indiuidua Christi comite, & se ab eius præsentia ac diuinis sermonibus auelli non sustinente, quod docent varia Euangelij loca à Gersone tract. 11. super *Magnificat*, signata, & diligenter à Poza l. 1. tract. 15. c. 1. *& seqq.* Idem apertè tradunt Epiph. hæresi 78. Metaphrastes orat. de vita & dormit. B. V. Guerricus serm. 4. de Assumpt. S. Hildefonsi. serm. 5. eiusdem argumenti, August. ser. 18. de temp. Annoldus Abbas in Encomio Deip. & passim alij. Ipsa baptismum Christi, cum primùm institutus est, & in vsum admissus, accepit conferente suis manibus Christo, vt infra sect. 2. dicemus. Denique toto tempore Euangelicæ prædicationis, optima mater, quacunque ratione licuit filium juuit ac fouit, vt accuratè notat Autor sermonis de Assumpt. Omnia vulgata misericordiæ opera à pia matre Christo exhibita, persequitur sigillatim Richardus à S. Laurentio l. 4. de Deip. titulo *de excellentia B. Mariæ pag.* 219.

Virgo Christum comitata ad finem vsque perfossa doloris gladio.

6. Sed vt in aduersis manifesta fit amicitiæ synceritas & soliditas, sic nusquam magis maternus Virginis in Christum affectus apparuit, quàm in extrema Christi vita. Affuit enim patienti, cum suprema illi instarent mala. Et Cardinalis quidem Vigerius chorda 7. c. 29. censet Deiparam cœnæ vltimæ interfuisse, & communicasse, ac bibisse de sacro calice: tametsi fatetur, ad decori indemnitatem, non fuisse ei ablutos pedes cum viris. Contrarium verò quoad hæc omnia statuit Henricus Institor Tractatu de quatuor erroribus circa veritatem Euchar. parte 1. serm. 10. & Vvalterus de triplici cœna Christi p. 3. cap. 11. Altum enim omnium retrò doctorum silentium; ita suadet: nec obscurè suffragantur verba Euangelistarum cœnam vltimam describentium, ad eos solos directa, qui cum bibissent ordinati sunt sacerdotes, & jussi facere quod Christum viderant facientem. At Deiparam non fuisse sacerdotio ini-

Bb

tiatam, extra dubium est. Verisimiliùs Metaphrastes orat. de vita Deip, quam Surius 15. Aug. exhibet, existimauit Deiparam in eadem domo, sed in diuerso cœnaculo, cum mulieribus aliis quæ Christo de facultatibus suis ministrarant, nec tunc aberant, cœnauisse cœnam legalem. At assumentum merum, & voluntaria diuinatio est, quam addit Barradius to. 4. l. 1. c. 17. *in fine*, nempe ad B. Mariam & mulieres sic seorsim comedentes, missam esse Eucharistiam per S. Petrum. Quidni enim potiùs per Iacobum & Ioannem nepotes Deiparæ, missam finxit, si missam fingere libuit? Affuisse Deiparam flagellationi Christi, & abductioni ad crucem, ait S. Birgitta l. 1. c. 10.

7. Affuisse pendenti in cruce, fides docet. Ei autem compassa tantoperè est, vt scribat S. Anselmus l. de excell. Virg. c. 5. alloquens ipsam Virginem. [Verè pertransiuit animam tuam gladius doloris, qui tibi amarior fuit omnibus doloribus cuiusuis passionis corporeæ. Quidquid enim crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leue fuit, aut potiùs nihil comparatione tuæ passionis; quæ nimirum sua immensitate transfixit cuncta penetralia tua, tuíque benignissimi cordis intima. Et vtique pia Domina, non crediderim te potuisse vllo pacto, stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere, nisi ipse spiritus vitæ, spiritus consolationis, spiritus scilicet dulcissimi tui Filij, pro quo moriente conquerebaris, tantoperè torquebaris, te confortaret, te consolaretur; te intus doceret, non esse mortem eum absumentem, sed magis triumphum omnia ei subjicientem; quod in ipso fieri coram moribundo videbas.]

Audi & Origenem, qui tametsi alicubi, B. Virginem insimulare alicuius infidelitatis videtur; tamen loco quem profert Corderius in Catena ad c. 2. Lucæ vers. 35. nitentissimè exposuit dolorem B. Virginis, absque vlla infidelitatis macula [Beatissimæ (inquit) ac semper Virginis Mariæ animam, gladius pertransiuit sub ipsam salutarem Christi passionem; illâ nusquam diffidentibus cogitationibus concussâ, non infidelitatis jaculis vulneratâ, nec pro iis quibus gauisa fuerat in dolorem mutatâ, sed permittente viscera materna crucifixo filio, agere quæ propria sunt insitæ compassioni. Quid enim mater non passa sit, videns suum filium, eúmque maximè qui humanâ erat naturâ sublimior, maleficorum supplicia sustinentem? Hæc vtique passio Verbi immaculatissimæ matri quouis gladio acutior acerbiórque accidit. Tametsi enim multa habuerit argumenta, vt sciret filium suum esse Deum incarnatum; attamen non in omnibus soluit naturæ leges, sed intra honestatis limites, naturæ, quæ illi propria sunt indulsit. Quocircà passionem horribilem cernens, maternis oculis propositam spectaculo, quasi plaga gladij eius anima concidebatur atque diuidebatur.]

8. Subtiliter Guerricus Abbas serm. 4. de Assumpt. [Nec procella (inquit) persecutionis, nec horrore supplicij à consectatu Filij & Magistri potuit absterreri. *Stabat* (inquit) *juxta crucem IESV, Maria mater eius.* Planè mater, quæ nec in terrore mortis filium deserebat. Quomodò enim morte terreri poterat, cuius charitas fortis vt mors, imo fortior quàm mors erat? Planè

iuxta, Crucem IESV stabat, cuius mentem dolor Crucis simul crucifigebat, suámque ipsius animam tam multiplex pertransibat gladius, quantis confossum corpus Filij cernebat vulneribus.] Duos simul in vna Christi cruce confixos, Matrem & filium agnoscit. Nec jam crucem duntaxat animæ & patibulum spiritus (vt infra cum Arnoldo loquemur) B. Virgini immanens agnoscit, sed illam ipsam externam crucem in qua Christus pendebat, Matris item crucem fuisse, & ibi confixam hæsisse, videtur statuere. Non dissimiliter ac Origenes homilia 8. in Iosue, agens de ligno gemino in quo suspensus est Rex Hay, Satanam in ipsamet Christi cruce confixum fuisse & letho datum annotauit, docens idcirco lignum illud patibulare, dictum esse lignum geminum.

Optimè planè in hanc rem Philosophatus est B. Virginis vbique studiosissimus Amædeus Lausan. hom. 5. de Deip. vbi cruciatum Virginis in filij cruciatibus & (vt vocat) *mentis martyrium* describens; [Quanto (inquit,) cunctis vicinior, tantò cunctis gloriosior, venerandæ cruci Dominicæ passionis inhæsit, hausit calicem, bibit passionem, & torrente doloris potata, nulli vnquam similem potuit perferre dolorem. Currit post Iesum, non tantùm in odore vnguentorum, sed in multitudine dolorum. Non solùm in gaudio consolationum, verùm & in abundantia passionum. Cernebat verum Salomonem mater eius in diademate, quo coronauerat eum nouerca Synagoga; & ipsa coronata corona tribulationis, post eum incedebat. Stabat autem juxta crucem, vt illud dulcissimum caput nati, vnctum oleo justitiæ præ participibus suis, arundine percussum, & spinis coronatum, tristi spectaculo videret. Aspiciebat specioso forma præ filiis hominum, non esse speciem, neque decorem; excelsum super omnes gentes, despectum & nouissimum reputatum, sanctum sanctorum cum sceleratis & iniquis affixum, oculos sublimis hominis humiliatos, & ceruicem sustinentis omnia, humeris inclinatam pendere; serenissimam faciem Dei emarcuisse, & decorem vultus eius absconditum. Hinc illi per Prophetam dicitur. *Verè tu es Deus absconditus.*] Et inferiùs. [Quid ageret cum in Caluariæ consisteret loco, & videret crucem, clauos, vulnera morientis in innocentia, nec tamen exsatiatam immanitatem Pharisæi furentis inuidia? Pendebat ille luens nostra, non sua delicta; & Pharisæi cum Scribis illudentes, percutiebant caput eius, & offerebant acetum felle mixtum ori eius, vt impleretur Prophetia Dauid dicentis ex persona Christi, *super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Inter hæc Dei genitrix consternabatur animo, & dolores vt parturientis, apprehenderunt eam. Ibi gemitus, ibi singultus, ibi suspiria, ibi mœror, ibi dolor, ibi agonia, ibi æstus animi, ibi incendia, ibi mors morte durior, vbi vita non tollitur, & mortis angustia toleratur. O veneranda & plena deuotionis & lachrymarum memoria! recordari, qualiter sancta illa anima gloriosè passa sit, quásue pertulerit de Christi morte angustias! Pallidus vultus Iesu, exanguem reddidit vultum Genitricis. Ille carne, illa corde passa est. Denique contumeliæ & opprobria impiorum, in capite materno redundabant. Mors domini, illi amarior morte fuit.] Cui hæc ad efformanBb 2

dam aliqualem dolorum Deiparæ ex Filij cruciatibus notionem satis non fuerint, recolat quanta dolorum materia piis viris sit etiamnum, fuerítque jampridem, cogitatio jam olim transactæ Christi passionis, vt quod de B. Maria Oegniacensi ad passionis Christi recogitationem deficiente scribit Card. Vitriacus, nec dubitabit quàm auctiùs virgo sanctissima, eadémque parens, immanem Filij innocentissimi lacerationem suis ipsa vsurpans oculis, condoluerit patienti.

9. Causas tanti ex filij cruciatibus ac morte doloris in matre, fusè rimatur & prosequitur Cartusianus l. 3. de Laud. Deip. artic. 24. Ego pauca de eis repræsento ex eiusdem Amedei ibidem doctrina. [Effugit (inquit) omnem sensum, humanos intellectus exuperat, concepta de passione Nati tristitia. Nulla huc similitudo, nulla ad tantam mœroris acerbitatem accedit comparatio. Quæ enim Mater dilexit filium suum, vt ista? Non enim fortuitò concepit, vt cæteræ mulieres; sed vnicus Patris, pia electione, & gratuita bonitate, matris visceribus influxit; hoc est vnde magis diligebat. Neque verò, vt cæteri offensam in vita sua matri retulit, sed gratiæ gratuitatem infudit, dicente de eo scriptura; *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Item ait de gratia. *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.* Hoc est vnde magis diligebat. Eumdem quoque habuit Deum, quem & filium, quia *homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus,* & hoc est vndè magis incomparabiliter diligebat. Sola enim à sæculo meruit habere, eumdem filiúmque, & Deum. Ergo abysso abyssum inuocante, duæ dilectiones in vnam conuenerant, & ex duobus amoribus factus est amor vnus, cum Virgo mater Filio diuinitatis amorem impenderet, & in Deo amorem nato exhiberet. Quò igitur magis diligebat, plus doluit, & amoris magnitudo, attulit fomenta passionis.]

Concidit minutiùs hæc motiua doloris Deiparæ, variis eorum adjunctis expensis, Cardinalis Vigerius chorda 7. à cap. 10. & latè etiam Clictouæus l. de doloribus Virg. per octo prima capita, ac Toletus in c. 2. Lucæ annot. 57. *sub finem.* Quod autem Albertus, quem descripsit Cartusianus supra art. 25. summum hunc Virginis dolorem, cum summo gaudio ex fructu passionis dominicæ coniunctum fuisse dicit, non est admittendum. Præoccupata enim tanto felle Virginis voluntas, mella illa non gustauit; etiamsi fructus illius recogitatione se solaretur, atque firmaret in Dei beneplacito. Benè Arnoldus Abbas tract. 4. de verbis dom. alloquens Christum. [Intuetur te illa in mulieribus benedicta, & confixis in te oculis, vulnera tua materna pietate considerat. Et licet non ignoret quid boni conferat mundo passio tua, tamen parentis affectu commoritur, & pectus maternum immanitate doloris arctatur. Suspirat intrinsecùs, & erumpentes reuocat lachrimas: & eo ampliùs anxietas intumescit, quo prohibetur egredi, & per luctus lamentáque dissolui. Emergebant quidem aliquando gemitus, sed increpati reprimebantur, reuertebantúrque in sinum mentis, de quo prodibant, & collidebant se ad inuicem introrsùs: erátque in anima illa tempestas valida, occurrentibus sibi procellis,

& quasi in sartagine frixis medullis ebulliebant amaritudines, quas excoquebat & coagulabat exacerbatio perseuerans. Imperabat quippe dolori silentium formido, & ringentium Iudæorum torui in eam oculi, illos turbines suffocabant. Verùm illa tantarum procellarum salsaginem ebibebat, & (quod difficillimum erat,) moriebatur, & mori non poterat: & clauso tanti doloris tormento intrinsecùs, alium vultum palam exhibebat: nec poterat ex facie colligi crux illa animæ & patibulum Spiritus, in quo erat hostia viua, beneplacens Deo, & medullatum holocaustum: quod cum ipsa incenderet, tantùm conscientiæ ministerio vtebatur: ipsáque sine strepitu seipsam mactans, in altario interiori, & ligna, & flammas, & latices congerebat. Nimirum in tabernaculo illo, duo videres altaria, aliud in pectore Mariæ, aliud in corpore Christi: Christus carnem, Maria immolabat animam.] Eius threnos exhibet S. Ephrem in lamentatione Virginis, & quos ibi signat Vossius. Fuerunt tamen cuiusuis absurditatis expertes; Deipara siquidem magna fide & constantia, Filio patienti affuit vt piè monstrat S. Ambrosius l. de Instit. Virg. c. 7. & Philippus Abbas l. 4. in Cant. c. 30. certantes in eius pectore, affectus doloris, amoris admirationis, superante dolore, pulchrè exhibet Laur. Iustin. de triumph. Christi agone c. 18.

Deipara Ioanni, à pendente Filio, commendata.

10. EX illo crucis throno, commendata à Christo Ioanni optima parens & vicissim Ioannes matri, verbis illis, *mulier ecce filius tuus*, in quæ verba & Virginis ad ea percepta sensum, piè admodùm, differit Laur. Iustinianus, loco proximè annotato. Sic à Christo commendata mater, accepta à Ioanne est *in sua* fuítque illi deinceps Ioannes *nouus in carne Angelus*, vt ipsa Deipara apud Guerricum loquitur serm. 2. de Assumpt. Curam inquam illius deinceps gessit, perinde ac si esset eius filius, habuit eam apud se, nec vllum vel officij vel obsequij genus prætermisit, quo subleuare sanctissimam viduam, Dei sui matrem, posset. Hic Ioanni potior quouis censu, thesaurus. Nam & Virgo thesaurus est locupletissimus, quod plenè versat Rich. à S. Laurentio lib. 4. de Deip. *pag.* 281.

Commendandi causas, sic expressit Arnoldus Bonæ vallis in laudatione B. Virginis. [Magnum quidem est, quod latroni conceditur venia: sed & hoc stupendum, quod consummata dispensatione Incarnationis, expiraturus Iesus matrem tanto affectu honorat, victor suppliciorum, & quasi sui immemor, ad matrem de cruce conuertitur, & colloquitur, intimans quanti apud eam meriti esset & gratiæ, quam solam in illo puncto respiceret, cum jam capite vulnerato, fossis manibus & pedibus, in vltimis esset. Mouebat enim eum matris affectio, & omnino tunc erat vna Christi & Mariæ voluntas, vnúmque holocaustum ambo pariter offerebant Deo: hæc in sanguine cordis, hic in sanguine carnis.] Expressit ex parte S. Ambrosium Epist. 25. quæ est ad Vercellensem Ecclesiam *in fine.* [Ioannes (inquit) docuit quod alij non docuerunt,

quemadmodum in cruce positus matrem appellauerit, pluris putans quod victor suppliciorum pietatis officia in matrem exhibebat, quàm quod regnum cœleste donabat. Nam si religiosum est, quod latroni donatur venia, multo vberioris est pietatis, quod à Filio mater tanto affectu honoratur. *Ecce* (inquit) *filius tuus*. Et, *Ecce mater tua*. Testabatur de cruce Christus, & inter matrem atque discipulum diuidebat pietatis officia. Condebat Dominus non solùm publicum, sed etiam domesticum Testamentum, & hoc eius Testamentum signabat Ioannes, dignus tanto testatore testis. Bonum Testamentum, non pecuniæ, sed vitæ æternæ, quod non attramento scriptum est, sed spiritu Dei viui.] Videndus item de hoc Testamento concinnè differens Guerricus serm. 4. de Assumpt.

11. Commendationis huius adiuncta, optimè sic expressit S. Paulinus quæst. 43. [Eandem B. Mariam astantem cruci suæ, Dominus non morientis infirmitate trepidans consolatus est; sed ipsam quam obibat volens, in potestate habens mortem, plena virtute viuentis, & constantia resurrecturi de cruce admonet, dicens de beato Apostolo Ioanne: *Mulier ecce filius tuus*, itémque illi ibidem consistenti; *Ecce mater tua*. Iam scilicet ab humana fragilitate, qua erat natus ex fœmina per crucis mortem demigrans in æternitatem Dei, vt esset in gloria Dei patris, delegat homini jura pietatis humanæ, & ex discipulis suis adolescentiorem eligit, vt conuenienter assignet Virgini Apostolo, virginem Matrem; duo pariter in eadem sententia docens, formam pietatis relinquens nobis, cum est de matre sollicitus, vt quam relinquebat corpore, non relinqueret cura: Sed nec corpore relicturus, quia quem videbat morientem, mox erat visura rediuiuum. Et illud quod ad fidem omnium pertineret, salutiferum pietatis suæ sacramentum, arcana diuini ratione consilij, sub hac voce designans, vt & alij matrem delegaret pro matre habendam, & vice sua consolandam; atque illi vicissim nouum filium vice corporis sui traderet; imo, vt ita dixerim, gigneret; quo ostenderet eam præter se, qui ex ea Virgine natus esset, nec habuisse filium, nec habere: quia nec Saluator tantoperè curam desolationis habuisset eius, si illi vnicus non fuisset.

Officia Virginis erga latronem, & Christum mortuum.

12. IVuisse Deiparam latronem sanctum suis apud Deum precibus, ex quo prima eius in Christi fauorem vox erupit, verisimile est: & asserunt, ac plures etiam addunt, nonnulli quos refero in tract. de S. Latrone cap. 6. n. 12. Demum functo vita dulcissimo filio, suprema officia cum Iosepho ab Arimathia, & Nicodemo, persoluit: depositum de cruce sacrum corpus, multis lachrymis poluens & post suauissima oscula sepulchro intulit, quæ matris erga filium studia, non malè ex Euangelica historia eruit Castro histor. Deip. c. 16. n. 12. & 13. sepulti autem desiderio, in magno luctu spe certa temperato, hæsit per triduum mortis Christi, donec aspiraret dies, & depulsis tenebris lux optata reueniret. Vacauit porrò variis Doctoribus quærere, an per triduum

mortis Christi, B. Maria dici posset mater Christi, vt latè refert Cordubal. 1. q. 49. Sed videtur quæstio otiosa, & merè de viribus. Nam quamuis certum sit tunc Christum non fuisse, ac proinde relationem matris quæ terminum actu existentem connotat, euanuisse; tamen si sensus sit, (vt sanè est,) hanc mulierem, genuisse aliquando filium nunc non existentem; verum est etiam in triduo, B. Virginem fuisse, & dici potuisse, Christi matrem.

Prima vidit rediuiuum. Coniectura de eius tunc gaudiis.

13. TRiduo exacto, quæ fuerat mœroris participum prima, ac princeps, prima facta est consolationis socia. Rediuiuum enim Christum, primò se matri videndum exhibuisse, indubitatum est: tametsi silentibus Euangelistis, quod eas tantùm apparitiones scripto consignarint, quæ stabiliendæ veritati resurrectionis Christi, inseruire possent. At maternum testimonium, nemo à Christo alienus, duxisset idoneum. Præterquàm quòd superfluum videri potuit sacris scriptoribus, prodere hoc piissimi filij in matrem pro eo afflictissimam, studium; de quo vix vllus nisi in Caucaso natus, possit ambigere. Notauit hanc rationem prætermissæ ab Euangelistis apparitionis Christi ad matrem S. Anselmus l. de excell. Virg. c. 6. Priorem verò adhibuit Rupertus l. 7. de offic. cap. 25. Quamuis autem Euangelistæ, ob has aliásve causas, de Christo rediuiuo matri primùm apparente siluerint; Patres tamen id expresserunt: apud quos hæc traditio adeò perspicuè consignata est, vt dubitare de ea non liceat. Non dico quidem esse de fide, vt videtur velle Catharinus initio libri de consummata Christi & Deiparæ gloria; aio tamen, rem esse de qua nemo pius & prudens dubitet. Esse communem sententiam obseruat Iacobus de Valentia in Cant. Deip. vers. 4. dignitate 8. Vide quos proferunt Canisius l. 4. de Deip. c. 28. Henriq. l. de fine hom. c. 21. num. 7. *litera C.* Molanus l. 4. de imag. c. 13. Bonifac. l. 1. histor. Virg. c. 17. Baron. anno Christi 34. n. 168. Suares t. 2. 3. p. d. 49. s. 1. Benzon. in psalmum 86. c. 40. traditione 22. Delrio multos adducens, lectione sacra 13. *sub initium*, Castro in histor. Deip. c. 17. n. 2. Dubitauit quidem vel etiam timidè opinatus est Petrus Blesensis epist. 50. Christum primò Magdalenæ, etiam ante Deiparam apparuisse. Sed rectè eum ibi rejicit Busæus, & contrarium, piè esse credendum, admonet Clyctouæus ad librum 4. de Fide S. Damasceni c. 15. *in ipso fine.*

14. Gaudium matris in filij apparitione, supra omnem æstimationẽ nostram esse debere, rectè pronunciat S. Anselmus l. de excell. virg. c. 6. [Perpendere gestit, (ait Rupertus supra,) Christiana deuotio, quantus torrens gaudij repentè innundans, locúmque vulneris replens, animam eius ferro doloris confossam inebriauit; cum rediuiuus filius, illi ante omnes fortasse mortales, materno virginem non defraudans honore, victoriam suam annunciauit, & dulcia carnis suæ vulnera, quam illa veram de carne sua carnem conceptam peperit, deosculanda præbuit.]

Benè nonnulla de eo matris SS. gaudio coniectauit Amed. homil. 6. [de

Deip. his præter cætera. [Tempus gaudij & tempus mœroris, ait Salomon. Mœror abiit, gaudij tempus aduenit, verum gaudium, quod de Christi resurrectione prouenit. Surrexit enim, & erexit animum matris suæ. Iacebat illa velut in quodam arctissimo mœroris tumulo, donec Dominus jacuit in sepulchro. Illo namque resurgente, reuixit spiritus eius,& quasi de graui somno euigilans, Solem justitiæ, & radios resurgentis, in luce matutina respexit. Intuita est ortum surgentis auroræ, & præcedentem in filio futuram carnis resurrectionem. Pascebatur oculis in carne fulgida resurgentis, & mente cernebat gloriam diuinitatis, vt intus & foris egrediens & ingrediens, frueretur pascuis veræ, sempiternæque felicitatis. Facta igitur extra se, suíque oblita præ gaudio, adhæsit corde lætissimo Patri spirituum, & conglutinata Deo, in illum tota efferebatur, in cuius amoris immensitate, tota refundebatur. Domine in virtute tua lætata est valdè & super salutare tuum exaltata est vehementer; desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eam. Et in calce homiliæ, alloquens Virginem. [Tu gloriosa, natum ab inferis ascendentem vidisti. Nati gloriam beatissimis oculis aspexisti, vidisti & defecisti. Defecit caro tua & cor tuum, liquefacta es, vt vocem dilecti filij tecum loquentis audisti. Factum est verbum eius, quasi ignis flammigerans in ossibus tuis. Ergo diuinis ignita colloquiis, tota effecta es velut ignis, téque holocaustum Deo suauissimum obtulisti. O Phœnix aromatisans, gratiùs cinnamomo & balsamo, & nardo suauiùs regem in aspectu tuo delectans!]

15. Penè exciderat, quæ tamen admodùm huic loco opportuna est, & vehementer placet Ruperti meditatio, qui l. 14. in Ioannem, ad illud, *Ecce mater tua*, obseruat in B. Virgine cruci astante locum habuisse illud Christi, *Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora eius*. Tunc enim B. Virgo Christum parturiuit, experta dolores quibus in partu Bethleëmitico caruerat, defectu voluptatis in conceptu Christi. Nec tantùm ad crucem parturiit Christum B. Virgo, juxta Rupertum, sed etiam nos omnes, quorum spirituali editioni instabat, pia planè & Christi & nostrum omnium mater, vt Rupertus pulchrè disserit; qui addit; [Cum autem hæc hora præterierit,cum totus iste gladius parturientem eius animam pertransierit, jam non erit memor pressuræ propter gaudium, quia natus erit homo in mundum, quia declaratus erit nouus homo, qui totum renouet genus humanum,totiúsque mundi sempiternum obtineat imperium; natus inquam,idest immortalis atque impassibilis factus, & angustias vitæ huius æternæ patriæ amplitudine, supergressus, mortuorum primogenitùs.] Nos item omnes cum eo, in spe & in radice nati sumus, vnde immensa lætitia communis nostræ omnium matris, prout Rupertus B. Virginem nuncupat: lætitia inquam commensa prioribus angustiis atque doloribus. Non enim assentior Richardo à S. Laurentio l. 3. priuilegio 10. qui consolationem B. Virginis de Christo rediuiuo, negat æquasse dolores de Christi passionibus: argumento ducto ex eo quod dicatur in persona Deiparæ, *Vadam ad montem myrrha*; passioné scilicet; *& ad collem thuris*, consolationé nimirum

pro

pro rediuiuo Christo, quæ tanto minor fuerit doloribus, quanto monte, collis. Hæc interpretatio est voluntaria, & respuenda: quippe quæ pugnat cum diuinæ justitiæ legibus, & Christi erga matrem charitate. Secundùm multitudinem ergo dolorum in corde suo, consolationes lætificauerunt animam eius.

Virginis à Christo abeunte, benedictio, & lætum vale.

16. TEnuit ea lætitia ad quadraginta illos dies, quibus Christus rediuiuus super terram remansit, matrem identidem reuisens, & gaudiis cumulans, ac replens bonis pro diebus quibus viderat mala. Nec imminuta, imo magnis accessionibus perfecta est ea lætitia, Christo in cœlum progrediente; præmissa singulatim in charos omnes, sed præcipuè ac primò pro matre, (quam affuisse, benè probat Vossius ad sermonem S. Chrysostomi mox citandum,) benedictione speciali, & omnis suauitatis refertissima allocutione, quam Cardin. Vigerius chorda 9. c. 8. tentauit exprimere. At tentauit tantùm, non etiam expressit. S. Chrysostomus serm. 6. de Ascens. illud Christi ad matrem alloquium, his verbis exhibet. [Conuersus ad matrem Dominus dixit, Pax tibi ô mater. Ne contristeris quia ascendo ad Patrem meum. Non te relinquam quæ splendor es ac fenestra mundi: Non te relinquam habitaculum meum omni fuco ac dolo carens: Non te relinquam templum meum sanctum: Non te relinquam quæ fidelis inuenta es per vniuersum mundum; Non te relinquam arcam meam sanctam & indissolubilem; Non te relinquam mater mea Virgo: Quin & quando emigratura es de corpore, non Angelum, neque Archangelum missurus sum; sed ego ipse veniam, tuámque animam Sole splendidiorem excipiam. Noli ergo contristari Virgo mater mea, quia ascendo ad Patrem meum: loco enim meo, habes Ioannem Virginem. Nonne quando in crucem ascendi, te illi commendaui, dicens Ioanni; *Ecce mater tua:* Tibíque dixi, *O mulier, ecce filius tuus.* Et nunc vice mea, ipse ad pacem tibi erit, ô mater mea Virgo. Nihil pertimescas, nam tecum ego sum.] Noluisse Christum ad Patrem remeare nisi priùs velut exorata à matre licentia; vt sicut cum eius assensu in mundum venerat, ita cum eiusdem voluntate regrederetur ad Patrem, latè meditatur Gulielmus Paruus Cant. 8. ad illud, *quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Exhibens Virginem in ea facultate concedenda cunctabundam, & Christum pro ea matri instantem. [Quid me retentas (inquit) ô pia mater ne me recipiam in dexteram Patris; ne me recipiam in hortos illos cœlestes, vbi habites mecum, & perennibus deliciis affluas? Scio quod tenera charitate rudes meos discipulos diligas; sed attende quid amici Angeli optent atque expectent, qui profectò norunt, quod te inuita nolim reuerti ad Patrem. Quia ergo amici auscultant, dic quod dictura es: fac me audire vocem tuam, idest da Filio ad Patrem redeundi licentiam.] Habet alia in eam sententiam, accommodata ad piam de hoc Christi à matre digressu, commentationem. Tametsi B. Virginem in ea quam Gulielmus commentatur Angelorum & Discipulorum controuersia, veluti arbitram,

aliquandiu pro Discipulis stetisse, & Christo regressum cogitanti iniecisse remoram, minus verisimile videtur.

Furfur doctrinæ; ac primùm circa adiuncta mortis Iosephi.

17. IN punctis de quibus nunc egimus, multiplex inconsultæ pietatis fermentum, admistum est. Ac primùm circa Deiparæ viduitatem,& Iosephi obitum, risu potiùs, quàm valida confutatione digna sunt, quæ ex vita S. Iosephi secundùm Orientales scribit Isolanus p. 4. operis de S. Iosepho c. 9. Non enim visus eis est vir sanctus satis piè excessurus, & conuenienter honestatus à Christo, nisi plerisque ineptiis extremam eius vitam contaminarent. Exhibeo plagulam. [Senuit Ioseph, & processit in diebus suis : non tamen debilitatum fuit in viribus corpus eius ; non obfuscatus est visus oculorum eius; nec computruit dens aliquis oris eius,nec decrepuit in aliquo mens eius. Sed erat in tanta ætate, completus in omnibus viribus suis, & fortis in omnibus membris suis, sicut in iuuentute sua.] Subduntur ibidem multa, de immenso timore viri sancti, instante obitu, eiúsque ad Christum obsecratione, ne reminisceretur voluntatis quam conceperat de occultè dimittenda Deipara, cum primùm apparuit prægnans.Tandem descripto eius obitu, 20. Iulij Christum inter ac matrem ad caput ac pedes morientis astantes ; additur loto & mundo à familiaribus corpore Iosephi, affuisse ad Christi nutum multitudinem Angelorum, quorum duobus edixerit Christus, vt corpus Iosephi stola candida amicirent, quod & fecisse produntur. Christum verò perfuso lachrymis suis corpori eius, benedixisse ne putresceret: Iis item benedixisse qui die qua recoleretur eius memoria, offerrent sacrificium : Et de iis qui erga Iosephum pij forent, déque eo cogitarent frequenter, tulisse edictum, vt excedentis è vita labes eluerentur ; & pestis ac mors subita, exularent ab ea domo,quæ Iosephi memoriam frequentaret.

18. Hæc Isolanus, electa abs se, tanquam vera, aut probabilia profitetur, recisis aliis, quæ negat probatum iri Romanæ Ecclesiæ. Sed nemo non videt, quàm istorum quoque veritas nutet, magna saltem ex parte. Et vt omittam diem excessus è vita, quem Ecclesiasticæ tabulæ consignant 19. Martij, non 20. Iulij ; perspicuum videtur, prærogatiuas corpori eius sub mortem assignatas ex dotibus corporeis quas Scriptura in Mose & Calebo commmendat, esse consarcinatas. Immensus verò timor judiciorum Dei, & insidiarum Satanæ in excessu è vita, & deprecatio voluntatis innoxiæ dimittendi coniugem, non consentiunt cum innocentissima Iosephi vita, eáque placiditate qua Deus ridere facit in die nouissimo, quos habet amicissimos. Cœteræ prærogatiuæ, vt sine teste proferuntur, nec muniuntur solido fundamento;ita facilè repudiantur ; eáque nominatim, qua Christus benedixisse dicitur celebrantibus sacrificium in die B. Iosephi. De quo enim sacrificio, accipi id debet ? Christianum, nondum erat institutum, quia ex lachrymis Christi super cadauer Iosephi postquàm excessit, constat obitum Iosephi agnosci ab his Bambalionibus,

ante Christi passionem. Vt autem Christus benedixerit sacrificantibus ea die ritu Iudaico, non ita multo post antiquando, nemo sanus affirmarit. Quare meras nugas in his omnibus, non Oedipus modò quispiam, sed vel Dauus deprehendat. Diploma verò (vt sic dicam) immunitatis à pœna æterna, nec non à subito interitu ac lue; citra aliam expensionem, redolet manifestam fabulositatem. Nam tametsi B. Iosephi, ad exorandas à Deo immunitates illas, patrocinium, jugi sancti viri memoria & assidua frequentatione comparatum, permagni esse apud omnes cordatos debere, extra controuersiam est: tamen nemo sibi ex vllo patrocinio securitatem omnimodam, qualem spondet hæc narratio, polliceri prudenter potest, vt dico in heteroclitis spiritualibus, cum de Electione sanctorum.

Adhæc, circa responsum Christi ad matrem in Nuptiis Cana.

19. Responsum illud Christi ad matrem de pudore nubentium sollicitam deficiente vino, plerisque omnibus, subacidum, & tantisper salitum est visum, solemnéque est Doctoribus in eum locum incidentibus, laborare, ne quid honoris optimæ Matri à Christo vt porè Filio, debitū, videatur detritum, vt petulanter contendunt Sectariorum plerique, præsertim Caluinus & Beza primarij haræ Gebennicæ subulci. Nuper verò vnus aliquis, tantum abest vt inhonorationem aliquam optimæ Matris ab optimo Filio agnouerit, in illis Christi verbis, ***quid mihi, & tibi est mulier?*** vt potiùs insignem, & supra quàm credi possit, vel etiam debeat, exaggeratum B. Virginis honorem, inibi deprehenderit. Putat enim, sensum illorum verborum esse, ***Quid mihi & tibi in reparanda hominum salute, non commune, ô mulier?*** Additque idem Autor, Christum eo responso sic concepto, expressisse affectum admirantis, & sponte inclinantis ad tantæ Matris voluntatem; imo se dedentis ad omnes eius nutus, quos repelli par non sit. Videsis plura ex eo ipso Autore in hanc sententiam recitata, lib 5. de Christo sect. 5. cap. 15. excludendo participationem tituli Redemptoris à sanctis omnibus, etiam à Deipara, cui Autor iste communem cum Christo redemptionem humani generis, per prædictum Christi responsum, significari, est arbitratus.

Sed profectò admodùm insulsè, & absque omni prorsùs fundamento. Vt enim taceam, neminem siue Patrum, siue sacrorum Interpretum, accepisse ea Christi verba in illum sensum, quis non videt nihil prorsus esse affinitatis aut cohæsionis, inter responsum illud Christi & subiectam ei ab hoc Autore notionem? Quid verò ad rem de qua agebatur, referebat, respondere Christum, ***quid mihi & tibi non commune in reparanda hominum salute, ô mulier?*** Neque enim de salute hominum reparanda quæsitum erat, sed de vini defectu, cui prospectum volebat Mater consulens sponsorum verecundiæ ex eo egestatis argumento. Et quanquam placeret gratis fingere, mentionem salutis hominum reparandæ non fuisse extraneam à petitione Matris, possétque Christus ab incongruitate responsionis liberari, tamen, non parum furfuris

aut corrupti fermenti subesset ei Christi responso, si sensus eius esset, ***quid mihi & tibi non commune, in reparanda hominum salute ô mulier?*** Multum enim per omnem modum, Christus in reparanda hominum salute à Matre differt; nec tantum habet circa illud reparandorum hominum negotium, non omnia communia, sed nihil planè, omnino inquam nihil cum Matre vlláve pura creatura commune habet in redemptione mortalium. Itaque ad populum phaleras. Nullum in proposito Christi responso mysterium, quoad Matris honorem per redemptionis humanæ participationem, latet.

Item circa dolores piæ matris, astantis cruci.

20. CIrca dolores Virginis patiente Christo, multi ex suo sensu Deiparam metientes, dum in magnum eius decus cedere existimant, quod dolori impar fuerit, exhibent eam juxta crucem, semimortuam & exanimatam, vt habet S. Birgitta l. 1. c. 10. Cartusianus in c. 19. Ioann. Ludolphus 2. p. vitæ Christi c. 64. Bonau. c. 77. medit. Pseudo Anselmus dialo. de passio. Bern. tract. de lament. Virg. Hic est quem alij vocant *spasmum B. Virginis*; quem primùm Deiparæ accidisse volunt, cum Christus crucem sibi baiularet, & oppressus onere cecidisset, ita vt angariandus fuerit Simon Cyrenæus ad subleuandum illum. Id enim conspicatam Deiparam, spasmo occupatam cecidisse dicunt; ínque eius casus memoriam, varij autores qui de Terra sancta, aut vrbe Hierosolimitana scripserunt, produnt ædificatum esse eo loco templum, nomine *S. Mariæ de Spasmo*. Nec dubium quin aucto doloris objecto, nempe Christo clauis confixo, recreuerit spasmus: quem proinde fuerunt qui cuperent, & à Pontifice exposcerent, festa die speciali, cum octaua, à dominica passionis ad Dominicam palmarum, quotannis recoli.

Sed siue Spasmus propriè sumatur; nempe pro dira contractione neruorum, & languore corporis illam consequente; siue sumatur populariter, nempe pro syncopa seu cordis defectione, neuter spasmus Deiparæ tribuendus est, vt benè argumentatur Caietanus t. 2. Opusc. tract. 13. & Mallonius ad c. 16. Palæoti de sacra Syndone, post num. 18. Nam spasmus propriè dictus, est ægritudo non modica: at B. Virgo non fuit morbo vlli obnoxia, per totam vitam. Quomodò verò dici potuisset, stans juxta crucem, quæ diram contractionem neruorum proximè passa esset, & ex terriore doloris obiecto, pati denuò, vel etiam perpetuò deberet? Spasmus autem volgariter acceptus, quamuis minùs indecorè tribueretur Virgini, tamen meritò ei abrogatur à Caietano; eam ob causam, quod semouendi sint à Deipara, corporei illi defectus, qui plenitudinem gratiæ & perfectionem eius impediunt. Atqui defectio illa animi, quæ populariter *spasmus* appellatur, cum excludat vsum rationis, tollit aduertentiam ad ea quæ consideranda occurrerent; éstque argumentum animæ mollioris & minùs firmæ. Vnde in Christum, tametsi vehementissimè tristatum, non cecidit. Neque igitur æquum fuit vt caderet in Deiparam, quam tunc temporis Christo condolere, ac diuitias bonitatis Dei in genus huma-

num suspicere, & attenta meditatione perpendere par erat. Neuter itaque spasmus, in B. Virginem cecidit.

In hanc rem sapientissimè philosophatur Card. Vigerius chorda 7. cap. 13. Et tametsi meritò dat, quod nos quoque supra admisimus, nec vlla ratione negari potest; B. Virginem acerbissimo dolore affectam esse patiente filio, veréque juxta Simeonis prænunciationem transfixam doloris gladio, vt quod parienti defuerat tristitiæ nascente filio, rependeretur eo moriente in matris oculis, atque conspectu: negat tamen aliquid fortitudine inuicta animi, & robore cœlesti virginei pectoris indignum egisse. Vnde statuit exsibilandos quosdam, quos dixisse ac prædicasse refert, B. Virginem in morte filij vnguibus ac digitis genas sibi lacerasse, capillos vulsisse, pugnis contudisse pectus, omnia inconditis questubus, & insanis vociferationibus complesse. In Iudæos, in Iudam, & quoscunque Christi morti cooperatos, multa intorsisse; quod postremum cadit in Maximum Planudem orat. de Christi sepult.& Virginis lamentat. qui fusè eas Viginis nænias prosequitur.

21. Æquè explodendos statuit Vigerius, alios qui matris studia efferebant, pro filio à passione & subeunda cruce auertenda: Describebant eius supplices voces ad Iudæos pro eruendo à morte filio, oblationem sui in locum filij vt pro eo moreretur; discursationes semianimis Virginis, & oberrationes per vicos & compita, nec sine deliquiis dum pro filio satagit. Has & similes insanarum matrum pro filiis in pari causa intemperias, homines parum attenti, ad sacrarium Spiritus sancti, transferre non sunt veriti: cum tamen Deipara, pro sua ad Dei voluntatem subiectione, & omni ex parte sancto amore quo erga filium feruebat; plena item sui à commodis omnibus non secundùm Deum expoliatione, adeò sedatè, in summa licet acerbitate ac exquisito doloris sensu, tulerit necem filij, vt quod ex S. Anselmo refertur à S. Antonino 4. p. Summæ Theol. tit. 15. c. 4. §. 1. ipsa suis manibus, si opportuisset, ad explendam Dei voluntatem filium crucifigere parata fuisset; quandoquidem non erat virtute & obedientia inferior Abrahamo, subscribítque S. Bonau. in 1. d. 48. q. vltima.

Perspectum habebat Virgo, hanc esse debitam Deo satisfactionem, pro exsolutione humani generis; nec aliam ob causam descendisse Verbum Dei in terras, & carne indui voluisse, quàm vt per ignominiam & ærumnositatem crucis, eriperet è captiuitate vinctos spei. Itaque conformabatur agnitæ Dei voluntati: tantum abest, vt de ea euertenda, esset sollicita. Hoc fuit ordinatam habere charitatem, quod ipsa de se Deipara profitetur apud Rupertum l. 1. in cant. *sub finem*, vbi sic loquens inducitur. [*Ordinauit in me charitatem*, id est intelligere me fecit, se ad hoc venisse, vt humani generis aquaticam infirmitatem in suum vinum, idest, in suæ immortalitatis conuerteret fortitudinem, & quod affectibus meis diuinam voluntatem præferre deberem. Hoc est enim ordinatam habere charitatem; optare quidem vt non moriatur talis dilectus; sed ampliùs desiderare totius humani generis salutem. Inordinata & adhuc ordinanda erat charitas Petri, qui assumens illum seorsum, *absit*,

(inquit,) *Domine, non erit tibi istud.* Dixerat enim quod tradendus esset in manus hominum, & occidendus. Iamdudum docuerat me charitatis ordinem, vt dolorem quidem, & justi doloris gladium in mente vel anima portarem; non tamen auerti propositum Dei cuperem, prouenturum ipsi ad gloriam & honorem, & humano generi ad perpetuam salutem.]

Firmant hæc pluribus, & non esse commendandam Virginem à dolore rationem opprimente ac immoderato, fusè prosequuntur Canisius l. 4. Mar. c. 28. Gerso tract. 2. de cantico decach. Abulensis q. 14. prologi Matthæi, Delrio lect. 4. de pass. Toletus in c. 2. Lucæ annot. 57. Iansenius in Concord. circa illud Ioan. 19. *Stabat juxta crucem I E S V mater eius*, & ad eundem locum Palacius. Suares t. 2. 3. p. d. 4. sect. 3. *ad tertiam obiectionem*, & d. 41. s. 2. *sub finem*, Medina 3. p. q. 27. art. 4. Benzonius in psal. 86. c. 40. traditione 19. Salaz. in c. 8. prouerb. à. n. 75.

22. Qui verò contrarium asseruisse sunt visi, vel exponendi sunt de summo dolore, citra Syncopen, & indecoros quosuis motus, cum aliquo tamen virium marcore; ita vt nisi resumpsisset & vegetasset spiritum suum, sustinere se ægrè potuisset : quo pacto S. Birgittam exponit supra Malonius. Nec aliter acceperim Laurentium Iustinianum l. de triumph. Christi agone c. 21. ac S. Bonauenturam in Officio de Compassione B. V. Vel si plus voluerunt, modestè deserendi sunt, præsertim cum nullius eorum qui proferuntur in contrarium, tantum sit pondus autoritatis, vt succumbere sit necesse. Nam quæ loca ex Bernardo & Anselmo signantur, deprompta sunt ex suppositiis fœtibus illorum Patrum. Videsis quæ dixi in syntaxi quartæ partis operum S. Anselmi ad dialogum de passione dom. Quare nescio quorsum Ribera Ioan. 19. ad illud, *stabat juxta crucem*, etiamsi ob rationes subscribit sententiæ nostræ, tamen ob autoritatem sanctorum hæreat anceps, velitque exspectari judicium Ecclesiæ. Ex his porrò quæ contra spasmum Virgini à doloribus, patiente Christo inuectum, diximus, perspicuum est, impegisse multo absurdiùs recentiores illos quos Tol. in c. 2. Lucæ annot. 57. & Benzon. in psal. 86. c. 40. tradit. 19. docent, asseruisse, B. Virginem præ doloribus, patiente filio verè mortuam fuisse.

Nec non circa sanguineas eiusdem lachrymas.

23. EOdem jure, quo spasmus & intemperiæ propositæ, à Deipara cruci astante sunt ablegatæ, sunt quoque ab ea remouendæ sanguineæ lachrymæ, quibus eam ex acerbissimo dolore fleuisse, autoritate S. Germani, (loco non designato,) confirmat Malonius ad Paleoti librum de sacra sindone c. 13. n. 10. Rursúsque ex Theophili cuiusdam fragmentis in historiam passionis dominicæ; idem recitat ad c. 5. n. 16. Idem ex eodem Theophilo prodit Collius l. 3. de sanguine Christi disp. 5. c. 3. & confirmat, certissima (vt ait,) narratione mulieris Lusitanæ, quæ marito orbata lachrymis sanguineis mortem eius defleuit, vt scribit Suares Conimbr. Episcopus tract. 225.

in Lucam. Notum sibi quoque, qui in sororis non vnicæ funere, lachrymas sanguineas fuderit, testatur Delrio Polemica 2.

Verùm non est quod labor insumatur in monstranda ea lachrymarum sanguinearum profusione per quosdam, in nonnullis euentibus. Cum enim fuerint qui corpore toto sudarint sanguine, quidni ex oculis stillare cruor sanguineus potuerit? Hoc ergo non reuocatur in dubium; sed quod id acciderit Deiparæ, & ita circumferatur vt à dolorum acerbitate celebretur; vacat fundamento: præsertim cum lachrymæ illæ sanguineæ, in exemplis prolatis, per morbositatem sic lachrymantium sint emissæ; vt in simili dictum est de sanguineo quorundam sudore in Morali dist. 3. n. 384. Nam in Christo qui morbosus non erat, sudor sanguineus, non ex tristitia sanguinem potiùs ad cor reuocatura, sed ex heroico conflictu audaciæ cum metu, ad tantam molem tormentorum ostentatam, ortum habuit: vt ibid. monstratum est n. 385. Quæ causa sanguinearum lachrymarum, abfuit à Virgine, quam ij cum quibus agimus, ita lachrymatam ex mœrore contendunt. Non est quod Virginis tristitiam pro filij cruciatibus inde extolli censeamus, quod coniuncta fuerit affectui, causæ benè affectum Virginis corpus planè dedecentis.

Aut è contrario circa saxeam matris duritiem moriente Filio.

24. SEd quid aliis facias, qui è contrario, inde Deiparæ gloriam augere tentarunt, quod in filij passione, nullomodo doluerit: quasi dolor quilibet, etiamsi moderatus, ex commiseratione & alieno malo diuinitus illato aut permisso profectus, eam dedecuerit, & à tam sancta matre etiam in acerbissimo & indignissimo vnici nati funere, fuerit alienus? Vix à me exoro, vt tam absonam decorum Virginis captationem, cuiquam in mentem venire potuisse existimem; cum Christus ipse qui B. Virgine supra omnem comparationem sanctior & perfectior fuit, dolores immensos subiuerit; disertéque ipsa Deipara ex minore doloris argumento se doluisse pro filio, testata sit cum dixit filio, *Ego & pater tuus dolentes quærebamus te.* Eique etiam Symeon gladium, non materialem, (vt infra dicetur,) sed spiritualem, hoc est acerbissimum dolorem animam transfixurum prænunciauerit. Hæc cum adeò sint explorata, vix (vt dicebam,) adducor vt credam, fuisse qui in Virginis honorem adeò desipere voluerit, quasi valdè extollatur & honoretur, si perinde ac saxea fuisset, dicatur riguisse ad filij patientis conspectum, nec vllo tacta esse dolore. Locuples tamen testis Clictouæus libro de doloribus Deiparæ in passione filij, (extat in volumine sermonum ipsius Clictouæi, ad calcem sermonum de sanctis;) prodit fuisse suo tempore, hoc est superiore seculo, qui ita delirarint. Eas ipse, priore opusculi parte per octo prima capita, omni argumentorum genere insectatur: duodecim rationibus, ex sacris literis in hanc rem productis, nec non totidem Patrum testimoniis idem ferentibus. Quæ breuiùs proposuit ad librum 4. Damasceni de fide c. 15. Premit eosdem multipliciter Delrio lect. 4. de passio. n. 17. Quod mihi ferè frustra fieri videtur, ne error oppo-

situs existimetur videri cuipiam potuisse credibilis. Et certè si Deipara fuit vera Christi mater, de quo nemo Christianus ambigit; si item saxea stupiditas & imperturbabilitas stoicorum, jure vitio vertitur; vt ratum est apud Christianos omnes, ac ferè etiam cunctos Philosophos, quis possit suspicari, matrem sanctissimam de tam atrocibus talis filij cruciatibus nullo fuisse dolore tactam, & in viscerum suorum laniatione sensum omnem commiserationis exclusisse.

25. Rationes quibus hanc stupiditatem Deiparæ, (imo patronorum huius dementiæ,) stabilitam fuisse refert Clictouæus ibidem à c. 9. ad 14. sunt prorsus euanidæ. Colligebant enim B. Virginem pro filio patiente tristatam, & miseratione commotam non esse, quia erat plena gratia: quam plenitudinem assectatur affluxus & vbertas spiritualis dulcedinis, dolorem & commiserationem prorsus excludens. Deinde quia dolor est frutex peccati, quo Deipara prorsus caruit. Insuper quia B. Virgo exultauit æquè ac Abraham videns diem domini, & gauisa est. Illud enim de Abrahamo dictum, spectasse ad passionem Christi, quæ virum sanctum diuinitus de ea edoctum perfuderit gaudio, testantur Patres; Chrysost. hom. 54. in Ioannem & ibidem Theophilactus ac Euthymius, S. Ambros. l. 1. de Abraham c. 8. Prosper de prædict. p. 1. cap. 17. passimque alij. Multo igitur magis Deipara, videns arietem hærentem cornibus exultauit animo, & gauisa est. Non igitur doluit. Quid quod rationes probant eam in partu dolore caruisse, idem probant de reliqua vita? Et cum Paulus in cruce domini glorietur, non decet, matrem Christi de ea tristatam fateri: periclitabiturque alioqui dictum Christi, qui profitetur per Prophetam, se solum calcasse torcular, nec inuenisse qui simul contristaretur ac condoleret. Dicitur item B. Maria *Mulier fortis*, juxta multorum Patrum explicationem, ad illa verba Salomonis, *mulierem fortem quis inueniet?* Ita enim S. Bern. hom. 2. super *missus est* Blesensis serm. 1. de aduentu, & Richardus suo c. 26. in Cantica. At quomodò fortis, si soluta est in lachrymas, & emollita per tristitiam? Tandem cum eximia charitate ex qua Virgo astabat cruci, non cohærebat commiseratio & dolor: cum charitas omnia indulcet, & omnem abigat molestiam atque dolorem, autore D. Augustino lib. de bono viduit. c. 21. Id quod maximè valebat in Deipara, quæ sciret, Christum velle propria sua incommoda; nolle autem tristitiam matris.

26. Horum firmamentorum infirmitas, tanta est, vt monstrari non debeat. Nam omnes rationes prolatæ, æquè probarent multo magis defuisse Christo tristitiam, vt eas applicanti patebit: Et tamen de atrocitate dolorum Christi patientis, sumus certi ex fide. Quare abjiciamus hanc dementiam, quæ per speciem honoris, Deiparam spoliat sensu veræ matri debito; eóque rigore animi donat, quo meretrix illa Salomonis Iudicio correpta; vt scilicet absque sensu doloris, contueatur dissecari prolem. [Ecce (inquit Clictouæus libelli citati c. 8.) in quod impietatis barathrum incidunt aduersarij; qui dum gloriosam Virginem Mariam volunt extollere egregio titulo, per abnegationem doloris & compassionis in morte filij sui, veram ab ea tollunt maternitatem, atque ad suam

suam positionem consequenter coguntur admittere hanc absurditatem, quod B. Virgo Maria non fuit vera mater Christi, quo nihil magis impium & execrabile de dignissima Dei parente dici posset.]

Item circa tunc superstitem in ea sola, fidem, & Ecclesiam.

27. FVerunt qui aliunde, gloriam B. Virgini circa tempus patientis Christi captarent. Nimirum dicendo, fidem, etiam externam, atque adeò Ecclesiam, per illud tempus mansisse in sola Virgine. Quod censuerunt confirmari ritu illo Ecclesiastico, quo in officio maioris hebdomadæ, omnes candelæ,vna dempta, extinguntur. In hunc enim sensum eam ceremoniam accipit Turrecremata, & Durandus in Ration. l. 4. c. 7. n. 32. qui eodem refert causam cur sabathum sit specialiter addictum cultui Deiparæ. Id quod etiam legere licet apud Autorem tractatus de pass. Dom. tributi S. Bernardo, in fine capitis secundi, nec non apud alium æquè eidem Bernardo tributum opusculum, de lamentatione Virginis.

Hoc tamen Deiparæ decus esse commentitium, nec fidei professionem & Ecclesiam in ea sola perseuerasse patiente Christo, multi recentiores monuerunt: vt Canus 4. de locis c. 5. & lib. 6. cap. vltimo, Hieron. à Rua controu. 7. scholast. Suares disp. 9. de fide s. 3. n. 7. & Duuallius tract. de Pontif. parte 4. q. 6. sanè piæ mulieres quæ Virginem tunc assectabantur, non possunt cum fundamento dici amisisse fidem, præsertim Magdalena. Sed neque Apostoli facti tunc sunt infideles, saltem Ioannes, qui ante crucem perstitit sub Christi mortem. Quinetiam S. Petrus, juxta veriorem sententiam, non amisit fidem, vt sentiunt Roffensis ad art. 25. Lutheri. Turria. l. 2. de Eccles. c. 9. A Rua controu. illa 7. propos. 2. quamuis rectè fateantur eius constantiam fuisse turbatam, & peccasse contra externam fidei confessionem; sed salua fide, quæ sola positiua infidelitate excluditur. Idem de aliis Apostolis qui defecisse visi sunt, affirmat Suarez loco allegato n. 8. Neque verò Christus rediuiuus, omnes suos de incredulitate reprehendit, sed aliquos tantùm durioris ceruicis. Quid quod præter Apostolos & Christi discipulos piásque mulieres domino viuenti famulatas, multi & Iudæorum, & gentium, nondum promulgata lege Euangelica retinebant veram fidem, & in eis perseuerabat Ecclesia? Itaque euanescit decus quod B. Virgini affingebatur, ob perseuerantiam fidei in ea sola, patiente Christo.

Nec id significat, vel candela quæ sola seruatur in Officio Ecclesiastico maioris hebdomadæ, vel sabathi addictio ad cultum Deiparæ. Nam candela seruata, Christi gloriam aduersùs omnes fremitus, deuictis tenebris superstitem signat, vt Gul. Dur. alio loco tradit: nempe l. 6. ration. c. 72. n. 26. & esse sanè idoneum hoc Symbolum Christi, Iulius Firmius l. de error. profano c. 20. vsum quendam Ethnicum referens demonstrauit. Causam sabathi Deiparæ dicati Petrus Damiani Opusc. 33. c 4. refert ad quietē, *sabathi* nomine expressam, qua Deus qui creauit Virginem, in eius tabernaculo requieuit; non

autem ad causam quæ proferebatur. Durandus in rationali l. 4. c. 1. n. 31. causam sabathi Deiparæ dicati, refert ad miraculum quoddam circa imaginem Deiparæ, Constantinopoli honoratam.

Item circa reales relationes Filij & matris, in Ioanne & Virgine.

28. EX verbo Christi ad matrem stantem juxta crucem, & ad Ioannem matri astantem, peculiare nouum Virginis decus intulit Nicolaus de Orbellis, nimirum vt realem relationem ambo acquirerent; B. Maria veræ maternitatis erga Ioannem; hic verò realis filiationis erga B. Mariam. Et quanquam non esset id magnum decus Deiparæ in omni rigore loquendo, quæ filij Dei vera mater est; præ quo titulo, quid est esse matrem S. Ioannis Euangelistæ? Tamen si verum esset exurrexisse eam relationem, dici posset esse decus aliquod.

Cœterum hoc decus qualecunque esse diceretur, si vero fundamento niteretur; reipsa tamen est planè inane, & meritò illud explodit Maior Matth. 27. circa illa verba, *mulier ecce filius tuus*. Impossibile quippe est, relationem filij exurgere in aliquo, quin præcedat ratio fundandi nempe generatio. De intrinseca quippe ratione filij, vt filius est alicuius, est processio ab eo in similitudinem naturæ. Igitur vbi hoc deest, impossibile est, per extrinsecam duntaxat Dei voluntatem exurgere filiationem & maternitatem. Ac proinde impossibile est, B. Virginem esse factam realiter matrem S. Ioannis; & hunc factum esse realiter filium B. Virginis à qua non dependit physicè in acceptione sui esse.

Tandem circa exoratam Latroni à Virgine, conuersionem, & inclinationem capitis morientis Christi in matris gratiam.

29. AD extremum aliqui inter decora Virginis Christo patienti astantis, numerant impetratam conuersionem S. Latronis. Quod ex nonnullis retuli in Tract. de S. Latrone c. 6. n. 12. quibus nunc addo postea editum. Nouarinum in vmbra Virginea à num. 713. & idem habet Auendanio serm. de Assumpt. Virg. discursu 3, sed præter meram & voluntariam diuinationem, nihil video vnde habeatur, conuersionem S. Latronis esse referendam ad preces Deiparæ. Quidni enim æquè dici posset eos qui percutientes pectora sua reuertebantur, id accepisse à Deo, Deiparæ precibus? Vel quidni Centurio, qui exclamauit, *verè filius Dei erat iste*, similiter dicitur id obtinuisse interuentu precum B. Virginis? Extendique adeò poterit hic interuentus, vt omnia alia signa & prodigia per tempus patientis Christi patrata, referantur ad preces Deiparæ, ea exposcentis vt Christi gloria illustraretur. Nemo non videt, quàm sine fundamento, & absurdè hæc jactarentur; cum nullum extet eorum vestigium, siue in scriptura, siue apud Patres. Et tamen non firmiùs fortiúsve stabilitur, quod de conuersione boni Latronis per preces Deiparæ, à nuperis illis quos retuli, gloriæ Virginis non secundùm scientiam æmulatoribus, obtruditur.

Eatenus tamen dicere quis posset, bonum Latronem esse fructum Deiparæ, quia ipsa est mediatrix omnium peccatorum, in sensu quem his verbis tradit Rich. à S. Laurentio l. 2. de Deip. particula 1. causa 16. [Sicut filius est mediator Dei & hominum 1. *ad Timotheum* 2. Sic & ipsa, nostra ad filium est mediatrix: quâ scilicet mediante, venit ad nos filius Dei: & qua mediatrice, ad filium peruenitur. Ad quod innuendum, Christus moriens ipsam habuit ab Aquilone, quo significantur peccatores; quasi hoc ipse diceret, quod ipsa mediante, dexteram suæ propitiationis extenderet peccatoribus congelatis; quod & ipse facit adhuc nobis peccatoribus, prout significat imago Crucifixi.]

Neque extremam Christi vitæ lineam, vacare nouitate circa B. Virginem, monstrandum superest. Nouum sanè Deiparæ decus excogitauit hac in parte qui scripsit, eam capitis inclinationem quam Ioannes c. 19. morti à Christo præmissam retulit, tribuendam esse precibus B. Virginis. Idcirco enim censet Christum etiamnum superstitem caput inclinasse, ne ea inclinatio tribueretur morti, quæ tribuenda erat Mariæ precibus. Flexit ergo Christus caput in matris gratiam, & vt innueret se eius meritis & oratione, peccatoribus parciturum; statímque colligeremus, quam potentem apud Deum mediatricem haberemus. Innuebat plenè eo capitis habitu, Mariam suis precibus Deum flexisse, (caput enim Christi Deus,) vt humano generi parceret, & nocentibus occurreret ac ignosceret. Ita commentatur Nouarinus in Vmbra Virginea num. 470. Fauétque Richardus à S. Laurentio libro 2. loco proximè allegato, agens de eo motu capitis Christi. Nec sanè negare licet, quin ea capitis inclinatio in Christo ante mortem, aliquo pertinuerit præter communem morem. Qui enim morte defunguntur, tum demum caput inclinant cum animam efflarunt, juxta illud Nasonis.

Sic corpus moriens jacet; & defecta vigore,
Ipsa sibi est oneri ceruix, humeróque recumbit.

Christus autem non post mortem, sed adhuc viuus inclinauit caput & postea emisit spiritum, vt notant Chrysostomus & Theophilactus Ioan. 19. Videtur quidem S. Cyrillus 11. in Ioan. aliud innuere, cum ait. [Inclinauit igitur caput. Accidit enim morientibus, vigore carnis jam consumpto, & anima quæ corpus retinet abeunte, inclinatio capitis. Quamobrem verbis hoc modo abusus Euangelista est.] Quasi diceret, quod Ioannes scripsit, *κλίνας τὴν κεφαλὴν*, *cum caput inclinasset*, per catachresim dictum esse, pro eo quod *est inclinans emisit*. Nihilominus alij Patres proprietatem vocis retinent, quæ fert, inclinationem capitis præcurrisse emissioni spiritus: proindéque ea inclinatio, non potest referri ad defectum animæ sustinentis. Quin potiùs moribundi, vt expendit Franc. Lucas Ioan. 19. capite erecto, aut nictabundo esse coguntur: mortis enim & spiritus egredientis vis, caput violenter erigit. Quo ergo potiùs Christus Dominus, extremũ illum nutum retulisse dicẽdus est, quàm ad honorem dilectissimæ Matris, & significandum se eius postulatis annuere?

Hoc est decus Virginis merè confictum, absque vllo prorsus fundamento. Quidni enim si ea inclinatio capitis pro nutu accipienda erat, ad Deum Patrem referebatur; dicendo, significasse Christum annuere se, quando ita ferebat voluntas Patris, morti subiacere, vt sic mors per Adamum illata depelleretur, & vita reueniret? Idipsum sanè est, quod Autor qq. ad Antiochum, figuratè expressit, cum dixit q. 76. [Mors adhuc restabat, atque hæc metuens appropinquare non audebat. Ideò Christus, inclinato capite vocauit eam. Antequam enim inclinasset caput, propriùs accedere verebatur.] Eodem reuoluitur quod communiter dicunt Patres & interpretes, nempe Christum ea capitis inclinatione significasse, se sponte ponere animam. Hæc de ea capitis per Christum inclinatione paulo ante mortem, Patres & Doctores, sapienter. Quod autem Christus eam capitis inclinationem retulerit ad annuendum Matri est planè voluntariè confictum, præter mentem Patrum, nullatenus suffragantibus Euangelistis. Nam quamvis referant, Christum de cruce Matrem Ioanni, & Ioannem Matri commendasse, tamen neque ea commendatio fert quod isti cum quibus agimus, de hoc Christi capitis motu diuinant; neque motus ille siue inclinatio, immediatè subsecuta est colloquium cum Matre, vt possit nexus aliquis inclinationis illius & commendationis excogitari: sed interjacuerunt pleráque alia quæ apud Ioannem oculatum testem c. 19. legere est. Itaque facessant commenta. Deipara satis per se micans, huiusmodi decoribus non eget.

PVNCTVM X.

ALTERA VIRGINIS VIDVITAS, DIGRESSO ab ea in cœlum sponso animæ, Christo Domino, per totam reliquam Virginis mortalem vitam producta.

1. VIDVITATEM Deiparæ, sponsi Iosephi morte contractam, hactenus prosecuti sumus. Nunc aliam Virginis viduitatem quam Christo in cœlum digresso incurrit, & ad finem vsque vitæ B. Virginis protracta est, restat exponere. Fuisse enim Christum B. Virgini sponsum, æquè ac animabus quibusuis justis, frequens est apud Patres, vt infra dicam agens de Virginis sanctificatione, & plenè Richardus à S. Laurentio lib. 6. de laud. B. Virginis *à pag.* 408. Nec quia B. Virgo mater est Christi, Christus verò eius filius, cogitandæ hîc sunt incestæ Magusæorum & Persarum nuptiæ cum matribus; cum nihil hîc nisi spiritale,

& quoad animam, inter Christum & matrem innehatur.

Quorsum prolongatus digresso filio incolatus matris, & quæ eius tunc studia.

DIgresso igitur in cœlum Christo, B. Virgo vidua mansit, factumque eius ab hoc altero sponso diuortium. Qua in re difficultatem non modicam, scitè omnino aperuit Amedeus Lauſ. hom. 7. de Deip. soluit autem, [quoniam ista dilatio, discipulorum Christi non minima consolatio fuit. Ista dilatio matri nil minuit, & mundo contulit remedia salutis. Voluit enim Dominus Iesus, vt ipso ad Patrem reuertente, Apostoli materno solatio, & eruditione fruerentur. Qui quidem licet edocti essent à Spiritu, ab illa tamen poterant edoceri, quæ mundo justitiæ solem edidit, & fontem sapientiæ ex prato virgineo, intemerato nobis alueo produxit. Mira denique pietate primitiuæ Ecclesiæ prouisum est, vt quæ Deum in carne hac præsentem jam minimè cerneret, matrem eius visu jucundissimo recreata videret. Quid enim tam jucundum, quid tam decorum, ac delectabile, quàm Matrem Plasmatoris, & Redemptoris omnium, videre? Nam si sepulchrum eiusdem nostri Redemptoris, quod extat vsque hodie, ita visui desiderabile est; si lapis in quo requieuit stirps sancta Iesse, tanta est expetibilis celebritate, vt affectus & animos cunctorum prouocet in se, & quadam pietatis arte trahat ad se omnia; quæ vel qualis erat Dei genitricem cernere lætitia, donec eam diuina pietas, communi sorte degentem nobiscum concessit in terra?]

2. Mansit igitur in terris vidua Virgo, sed non desolata. Tantis enim ex summa cum Deo conjunctione cœlestibus deliciis affluebat, vt vitam potiùs angelicam, quàm humanam viuere videretur. In particulari autem, quid ageret, quibuscum degeret, quo iret, nemini mortalium compertum esse, statuit S. Hildef. serm. 5. de Assumpt. Sed generatim tantùm cum eodem S. Hildefonso, & cum Sophronio serm. de assumpt. dicere licet, B. Virginem exegisse vitam, partim orando domi, partim sacra loca Christi mysteriis veneranda, præsertim, quæ profuso inibi sanguine erant consecrata, frequentando non sine incensissimis affectibus; vt piè admodum meditatur Cartusianus l. 3. de laud. Deip. artic. 7. Apostolis quoque instruendis, & confirmandis in Christi fide & amore discipulis, egregiam nauauit operam, quod præclarè, tradit Gulielmus Paruus in c. 5. cant. ad illud, *aperi mihi.* Audi S. Anselmum l. de 4. virtut. B. Mariæ c. 3. [Memoriæ erat tenacis & vnicæ, omnia quæ sola de filio sciebat, secretiori consilio, sibi tantùm cognita coaceruans in cumulum, conscientiæ inculcauit hominum. Vnde de ea dicitur. *Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Debet ergo ei totus mundus saluationis suæ plenam notitiam, quæ plenissimæ cognitionis Apostolis non inuiderit scientiam. Quapropter quia ad exiguum boni increscerct processus Euangelij, nisi cognosceretur tenor principij, meritò illa dicitur & Apostolorum Apostola, & Euangelistarum Euangelista, per quam principalis, ipsis fidei principibus, illuxit doctrina.]

3. Consulebatur ab Apostolis in quibusuis subnascentibus difficultatibus, fideles erudiebat. [Quamdiu filius hominis, (inquit Rupertus l. 2. in Matth. ad illud, *per aliam viam reuersi sunt*) manere debuit minoratus paulo minùs ab Angelis, ferè tamdiu fuit Beatæ Virgini tempus tacendi, & tamdiu tacuit, tamdiu in silentio fuit, velut hortus conclusus: Hortus, inquam, conclusus, fons signatus: quo accedere, cuius secretum audire, nullus meretur nisi cognitus, nullus cui talis hortus, talísque fons, clausuram vel signaculum oris sui, aperire indignum arbitraretur, vbi autem gloria & honore coronatus est filius hominis resurgendo, & in cœlum ascendendo, vbi sedet ad dexteram Patris, ex tunc eidem Beatæ Virginis fuit tempus loquendi ; & hoc amicis, idest, sanctis Apostolis, & talia loquendi, qualia priùs portare non potuissent: Quod sciens filius ipse hominis, dixerat quodam loco ; *Adhuc habeo multa vobis dicere, sed non potestis portare modò.* Vbi venit spiritus veritatis, primus quidem & princeps ipse illos omnem veritatem docuit: sed & ipsa Beata Virgo, testimonium suæ vocis adhibuit, & taliter locuta est auribus fidelium, vt proinde rectè dicat dilectus eius Deus. *Fauus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua: Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus, Cyprus cum nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomum, cum vniuersis lignis Libani, Mirrha & aloë cum omnibus primis vnguentis. Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano*] Eadem optimè tradit lib. 1. in Cant. vbi Deiparam idcirco nominat, *magistram magistrorum*; & minutiùs l. 5. eiusdem operis.

4. Affuit, cum Spiritus sanctus visibili specie, demissus est è cœlis: & quo capacius ac nitidius erat sanctum illud vas, eo pleniùs se illi ac lubentiùs infudit gratiæ fons viuus, Spiritus sanctus, vt meritò Dyonis. Cartus. l. 2. de laud. B. Virginis art. 26. extra omne dubium ponat, quod plus gratiæ acceperit in illo Spiritus sancti delapsu, & veluti diluuio gratiæ mundum vniuersum eluente, quàm quiuis alius è sacro illo cœtu primorum fidelium. Cum iisdem porrò frequentasse exercitia pietatis, & Sacramenti Eucharistiæ vsurpationem, insinuat Lucas Actorum 2. Siquidem de iis ipsis quos c. 1. memorauerat adunatos, & vna cum eis Deiparam, subdit in fine capitis secundi, eos frequentasse Eucharistiam. Sic enim fractionem panis illic memoratam, intelligunt Sancius ibidem, & optimi quique interpretes. Quanto denique vsui & commodo esset omnibus fidelibus prolongatio incolatus Deiparæ, præter jam dicta, paucis mõstrabũt quæ habet Amedeus Laus. hom. 7. [Virgo Matrẽ (inquit,) omnium in se charismatum commercia deferebat. Prima namque visione scintillans sacri amoris ignibus, proximorum pectora suauiter exurebat, animis fidem suggerebat, suadebat verecundiam, honestatem venustabat, inflectens ad pietatem. Spirabat florem Virginitatis, ferebat nouale castitatis, depingens oculis habitum humilitatis, & præferens indicium veritatis. Splendor indeficiens in circuitu eius, & ignis exardescens à facie eius. Fluuius igneus, rapidúsque egrediebatur ab ea, qui hostes succenderet, amicos confoueret; juuaret proximos, concremaret inimicos. Fertur ab iis, qui norunt

naturam animantium, quod solo visu, & flatu mortifero, vicina quæque sibi Regulus venenatus interimat. Sic illa è regione ignis diuini, calore vehementer accensa, & verbi flammigerantis sparsa incendiis, odorem resuscitantis gratiæ, iis qui longè, & iis qui propè commanebant, exhalabat. Et aliis quidem, idest, aduersæ partis, erat odor mortis in mortem; aliis verò, idest credentibus in filium suum, odor vitæ in vitam.] Addit in eam rem permulta, & suauissimè & piissimè. Nec pauca Carthusianus l. 2. de laud. Deip. artic. 5. & 19. qui etiam artic. 21. distentam regimini centum viginti sacrarum virginum per hoc tempus Deiparam, repræsentat. Viderit vnde id habeat.

Fidelium ad Deiparam, & ipsius ad certa loca, peregrinationes.

5. Aditam à plerisque per hoc tempus Deiparam, suscepta ad eam visendam peregrinatione, multi testantur, adducto nominatim exemplo S. Dyonisij. Et sanè habet hîc multo magis locum, quod S. Paulinus epist. 36. ait, de meritò visendo Sene Valgio, cui naufraganti, nunc ipsemet, nunc per S. Felicem astiterat; eúmque mulserat manu, & sinu exceperat. [Si ergo (inquit,) religiosa cupiditas est, loca videre in quibus Christus ingressus & passus est, & resurrexit, & vnde conscendit, & aut de ipsis locis exiguum puluerem, aut de ipso crucis ligno aliquid saltem festucæ simile, sumere & habere, benedictio est; considera quanto maior & plenior gratia sit, viuum senem vel testimonio diuinæ veritatis inspicere? Si præsepe nati, si fluuius baptisati, si hortus orantis magistri, si atrium judicati, si columna districti, si spina coronati, si lignum suspensi, si saxum sepulti, si locus resuscitati, euectíque; memoria diuinæ quondam præsentiæ, celebratur, & veterem veritatem præsenti fide comprobant in rebus exanimis viua documenta; quàm religiosè aspiciendus est hic, quem alloqui Dei sermo dignatus est? cui se facies diuina non texit? cui nunc Martyrem suum, nunc semetipsum Christus ostendit? In cuius viuente terra, Dominici corporis videmus impressa vestigia, si fidelibus oculis & acie spiritali, quod in eo sinus Christi, quod manus contigit, perlegamus; & caniciem quæ sæpè super Domini genu jacuit, sæpè Domini sinu tepuit, nostra manu sæpè mulcentes, & auriculam sæpè palpantes, quam cœlestes digiti domino jacente traxerunt.] Hæc multo magis visendam fuisse Deiparam, suadent. Nec quod nos faueremus si facultas suppeteret, omisisse credendi sunt, primi illi præferuidi Christianæ fidei cultores.

6. De variis Deiparæ per hoc tempus peregrinationibus, multa habet Poza l. 1. tract. 16. & 17. Illa maximè repudianda non est, qua Ephesum migrasse aliquando dicitur, cum Ioanne Euangelista. Nam quamuis S. Epiphanius hær. 78. dicat, cum B. Ioannes profectus est in Asiam, nusquam haberi in scriptura, quod adduxerit secum S. Virginem; tamen hoc non probat, B. Virginem eo non concessisse, quamuis literis non sit proditum. Non enim omnia, consignata sunt scriptis. Itaque cum Concilium Ephesinum to. 2. editionis Peltani,

c. 26. in epist. Synodica ad Clerum Constantinopolitanum, testetur, Deiparam quandoque cum Ioanne incoluisse Ephesum; ambigendum non est, quin traditione apud Ephesinos inclita, constiterit Concilio, ita factum esse. Alterius verò rationis fuit, quod Deipara per id tempus videndam obiecisse se dicitur S. Iacobo in Hispania degenti, vt Sancius tract. 2. de aduentu S. Iacobi in Hispaniam c. 8. Castro in histor. Deip. c. 18. n. 7. passímque alij cum rerum Hispaniæ scriptores, tum decorum Deiparæ illustratores, confirmant. Tametsi enim eam traditionem conuellere prudentis non est, tamen ea præsentia absque Virginis peregrinatione est exhibita, vt notum est si fuit tantum præsentia obiectiua, quali plerique cœlites se alicubi videndos proponunt, absque vero descensu è cœlis, & peregrinatione in terras. Et de ipsius Christi apparitionibus impersonalibus, justam lucubrationem dedit Thyræus. Si autem αὐτοπροσώπως B. Virgo illhic apparuit, vt de SS. mortuorum apparitionibus sæpè statuendum, affirmat Mendoza q. 5. scholast. à n. 7. & de hac ipsa B. Virginis apparitione idem habet n. 14. vt & Suares l. 6. de Angel. c. 21. n. 23. neque hoc pacto per profectionem & peregrinationem migrasse in eum locum, censenda est; sed Deus eam per reproductionem ibi stitit, ad breue tempus.

Data ad varios literæ.

7. SCriptas itidem per hoc tempus, à B. Virgine ad varios epistolas, quibus eos ad Christi amorem & in fide eius constantiam hortaretur, multi referunt, quorum piam existimationem sollicitare non placet. Epistolas quidem S. Ignatij ad B. Virginem, agnouit S. Bern. serm. 7. in psal. 90. Eóque ipso, adjunctam Deiparæ ad Ignatium responsionem, videtur habuisse pro germana. Easdem latè tutatur Melchior Incofer loco mox allegando c. 25. Florentini aliam ad se datam epistolam à Deipara gloriantur, quam exhibet Canisius l. 5. de Deip. c. 1. & Castro in historia Deip. c. 23. aliam quoque adjungens datam ad Messanenses, pro qua justo opere pugnauit Melchior Incofer. Non abhorret à flagrantissimo Zelo tantæ Virginis, vt sicut præsentes alloquiis, ita absentes literis, ad viam salutis capessendam, & Christum, sine quo non est salus, verum Deum agnoscendum, juuare voluerit. Nam & Christus ipse, literas ad Abagarum Regem dedisse proditur, quas Eusebius recitat 1. histor. c. 13. verásque pronunciat S. Ephrem in suo Testamento, & Darius Comes scribens ad S. Augustinum epist. 263. inter Augustinianas; tametsi à Gelasio Papa, in decreto de libris apocryphis, ablegentur à serie librorum authenticorum, quod sacris Euangeliis non sint insertæ, nec Ecclesiæ suffragatione inter scripturas Canonicas annumerentur. Quia non constat Ecclesiæ quod verè sint scriptæ à B. Virgine. Nam si constaret, haberentur Canonicæ. Qua eadem ratione, prædictas Deiparæ literas, dicere liceat apocryphas, hoc est non susceptas ab Ecclesia, nec in ea veneratione habendas, quæ defertur Canonicis scripturis, tametsi non propterea improbabile haberi debeat, quod

quod aliquæ epistolæ, verè sint à B. Virgine fideles confirmante, aut consolante, exaratæ. An tamen quæ proposita sunt, haberi debeant genuinæ, nunc non moror. In postrema certè, quædam pugnantia obseruat Castro supra *in fine* reprobans item eas quæ datæ ad S. Ignatium jactabantur.

Felicißimus obitus.

8. IN his piis erga Deum ac proximum studiis, consenescentem Deiparam, mors occupauit post annos ætatis 72. juxta verisimiliorem sententiam, Baronij anno Christi 48. n. 5. & Suaris t. 2. 3. p. d. 21. ſ. 1. & Castri in historia cap. 20. num. 19. Nam quamuis S. Epiphanius hær. 78. anceps videatur, num Deipara mortem obierit; tamen indubitatus Ecclesiæ sensus fert, eam verè obiisse, juxta generales scripturæ locutiones, quibus omnibus filiis Adæ, moriendum esse denunciatur. Nec habet in hac parte locum, restrictio quæ circa similes locutiones, de peccato per omnes Adæ filios in conceptione contracto, adhiberi solet. Dedecebat enim, matrem Domini vllo peccato sordere; non dedecuit autem eam, mortis oppetitio; cum ipse Christus mortem oppetierit. Consentiunt vnanimiter hac in parte D D. Catholici, apud Canisium l. 5. de Deip. c. 2. & 3. & apud Coccium t. 1. l. 3. art. 3. [Transiit in visione Dei, (inquit Amedeus Laus. hom. 7.) & beatissimam illam animam sole clariorem, cœlo excelsiorem, Angelis digniorem, Domino exhalauit. Enim verò in transitu eius glorioso, illustratur mons Sion, vbi prouecta dierum, decessit in senectute bona. Ibi expleuit munus vitæ, dans plenam atque perfectam virtutum omnium consummationem. Ibi orienti magis quàm morienti, & abituræ plus quàm obituræ, occurrũt castra Dei; & ruunt obuiam ei exercitus militiæ cælestis. O quàm pretiosa in conspectu Domini mors Genitricis suæ! Quæ vita adæquabatur morti eius? quæ gaudia funeri eius? Addas licet mundanos honores; addas conuiuia, ac festa trophea; addas omne quod demulcet, & quod delectat vniuersum; his tamen omnibus jucundior, atque suauior est. Est enim absolutio à carne, via ad vitam, nil habens doloris, acerbitatis nihil, nihil formidinis. Fouet autem pro doloro, delectat pro acerbitate, & pro metu firmat in littore fidæ stationis. Nec tenebras inducit, quæ lumen æternum aperuit, nec vitam tollit, quæ dirigit ad autorem vitæ. Hac morte gloriosa migrauit, si transitum ad vitam, mortem liceat nominare. Immo, (vt verum fatear,) vita est, vbi sola mors moritur, vbi corpus mortis exuitur, vbi vita carnis pia quiete defuncta, fænore multiplici in posterum reseruatur. An non vita, cum itur ad fontem vitæ & vita æterna à vita perpetuo meatu hauritur?] Alia in hanc rem suppeditat Autor homiliæ de Assumptione B. Mariæ, tomo 9. Hieronimi, quam à Monacho quodam Corbeiensi proscriptam, defendit Hincmarus Remensis, asserens (inquit Flodoardus l. 3. hist. c. 23.) [Eandem à S. Hieronimo Catholicè dictatam, sicut & stylus, & cautela sensus, & intellectus, & alia certa indicia monstrant; & certæ personæ per quas de partibus Orientalibus tempore certo

delata ad regiones nostras peruenit, fidem faciunt.] Eiusdem Hincmari studium in curanda illius homiliæ concinna descriptione, & Codicis pretioso tegumento, ibidem legere est cap. 5.

9. Genus mortis, constat siccum, (vt ita dicam,) fuisse: hoc est,non obiisse gladio, quicquid in contrarium senserint aliqui vt refert Timotheus Presbyter Hierosol. homil. de Simeone, & non nemo apud Isidorum l. de vita & morte sanctorum c. 68. ac apud Bedam Lucæ 2. Sed imposuit illis, verbum Simeonis ad Deiparam, *tuam ipsius animam pertransiuit gladius*; quod tamen mysticè accipiendum esse,pro grauibus doloribus & acerbis animæ cruciatibus, consentiunt omnes; Et vt benè expendit Timotheus homilia citata, non dixit Simeon, gladium transfixurum corpus Deiparæ, sed animam, quæ gladio materiali mortem inferre idoneo transfigi non potest. Accedit quod non modò in omnibus historiis, altissimum de huiusmodi Deiparæ cruenta morte silentium est, vt ex S. Ambrosio scribit S. Augustinus serm. 35. de Sanctis. Sed etiam apud S. Dyonisium,extat luculentum testimonium de eius fœlici obitu, in pace & absque gladio. Nam de B. Virgine accipiendum esse illum Dyonisij locum,(non de sepulchro Christi, vt latè contendit Biuarius anno Christi 48. ambigítque Cartus. l. 4. de laud. Deip. art. 5.) docet & multis euincit Petrus Halloix in S. Dyonisij Areopagitæ vita c. 6. eique capiti subiectis annotationibus. Itémque Card. Baronius anno Christi 48. & Perlinus de concept. distinct. 7. c. 1. n. 23. ac Benzonius in psal. 86. c. 40. traditione 31. Et ex eo item Dyonisij loco habetur, Ss. Apostolos, omnes vndecunque conuenisse ad Deiparam sub eius mortem, éique defunctæ, justa & honores funebres persoluisse. Id quod etiam ex Iuuenale Hierosolimitano scribit Damasc. orat. 2, de Assumpt. & Euthymius l. 3. c. 40. ac Niceplio. l. 2. c. 23. qui Iuuenalis orationem coram Marciano Augusto habitam recitat.

10. Omnes Angelos affuisse morienti Deiparæ, affirmat Suares l. 6. de Ang. c. 10. *in fine*. Et idem tradit Damasc. orat. de dormit. Deip. adstantes Angelorum classes, Virginis è vita discessum, expectantes, describens. Mox etiam Angelos partim præcurrentes, partim comitantes, partim subsequentes nullum officij genus erga Dei sui matrem prætermisisse, testatur. Et Orat. 2. cum descripsisset conuentum Apostolorum & veterum Iustorum ac Prophetarum ad Virginem, subdit. [Quin ne Angelorum quidem caterua, huius cœtus expers erat. Quantumcunque enim summo Regi voluntate paret, ob ídque dignum est quod ipsi adstet, id nimirum ipsius quoque juxta carnem matrem, illam inquam beatissimam, & omnibus generationibus, atque adeò omnipus rebus conditis excellentionem, stipare oportebat. Huic omnes astabant, spiritus fulgore collucenti, splendidissimísque radiis eos illustranti, qui cum pudore ac metu, & constanti cupiditate, purum in eam mentis oculum defigebant.]

Ipsum verò Christum affuisse morienti matri, rectè cum variis quos profert, statuit Alfonsus Mendoza q. 5. scholast. num. 17. consentítque Canisius 5. Marial. c. 3. & præiuerat his verbis Damasc. orat. de dormit. [Sanctam

illam animam ab eo tabernaculo quod Deum susceperat, sejunctam, suis manibus ille omnium rerum parens & effector excipit; legitimè nimirum eam honorans quam matrem effecit.] Idem. [Rex ipse ad suam matrem venit, vt diuinis suis & purissimis manibus, sanctam & puram labísque expertem ipsius animam susciperet. Atque ipsa quidem, vt à vero non abhorret, dixit; In manus tuas commendo spiritum meum: Animam meam tibi charam accipe, quam à peccati labe puram seruasti, *&c.* Transfer me ad te, vt vbi tu viscerum meorum fœtus es, illhic quoque tibi contubernalis sim. Ad te enim propero, qui ad me descendisti.] Subdit responsum Christi. [Veni in requiem tuam benedicta mea mater. Surge veni amica mea, pulchra inter mulieres. Ecce enim imber transiit.] Quod si morienti matri affuit optimus Filius, eiúsque è corporis ergastulo prodeuntem animam accepit, vt agnoscit Damascenus, planè eandem in cœlum officiosus deduxit. Nam purissimam illam & vsquequaque nitentem animam, illico in exitu à corpore, cœlo jam à Christi morte patenti, inferri necesse fuit, cum nihil in ea superesset ignibus emendatoriis detergendum aut defricandum. Itaque comes illi cœlos adeunti Christus fuit.

Et hinc gloriosiorem Christi ascensione fuisse Deiparæ assumptionem, monstrat Petrus Damiani serm. de ea. [Ascendenti quippe Domino, egressa est obuiam omnis illa beatorum spirituum gloriosa societas, quando naturæ superiori prætulit inferiorem, & inconuertibili Sacramento, susceptum hominem in ipsa diuinitatis clausit identitate. Occurrentibus autem Angelis, Electorum animas, quas secum educebat adiunxit, & sic vtrorumque triumphali pompa deductus ad Patrem, sedet ad dexteram Majestatis. Attolle jam oculos ad Assumptionem Virginis, & salua Filij majestate, inuenies occursum huius pompæ non mediocriter digniorem. Soli quippe Angeli Redemptori occurrere potuerunt; Matri verò cœlorum palatia penetranti, Filius ipse, cum tota curia, tam Angelorum, quàm Iustorum solemniter occurrens, euexit ad beatæ consistorium sessionis.]

Moriendi causa, & modus, ac vita meta.

11. VErùm qua ex causa moriendum fuerit Virgini sicca morte, prout diximus, obscurum videri potest. Non enim ex morbo corporeo qui quidem rationem morbi haberet, & ex humorum intemperatione prouenirет, obiisse dici potest: cum ratum sit apud omnes, Deiparam æquè ac Christum, nulli vnquam morbo fuisse obnoxiam, vt supra vidimus, Abucara opusc. 37. interrogante Barbaro an Deipara mortua sit an viuat, respondet, viuere nunc Deiparam, atque adeò mortuam nunc non esse existimandam. Hinc tamen morte emigrasse, & quasi in somno, lenissimè animam Deo tradidisse, ad eum modum quo Adam dormiens, costa spoliatus est. Subscribo, si sensus sit, Deiparam diuinitùs præmonitam de instante morte, non tam vi morbi, aut senij, vel naturalis debilitatis, corpus ad animæ conseruationem indispositum red-

dentis, vt ait Suares t. 4. 3. p. d. 43. sect. 2. *in fine* quàm diuina voluntate, cum post porrectam à Christo ipso communionem, (vt Gerso coniectat tract. 9. super *Magnificat*, partitione 1.) se ad orandum composuisset, inuitatam à Deo, spiritum emisisse. Qua externa specie obiisse Paulum primum Eremitam, scribit Hieron. tametsi hic, ex morbo aut Senio; Virgo jubente & ad se illam ducente Deo, vt Moysi contigit.

12. Sunt in hac sententia sic exposita, Molanus l. 3. de imag. c. 32. qui adducit Ioannem Echium & Clyctonæum, consentitque Poza l. 3. tract. 16. c. 5. juxta quos, Virgo non decubuit in lecto. Vel si id demus Andreæ Cretensi orat. 2. de dormit. Deip. S. Hildephonso serm. 1. de Assump. Gregorio Turonensi l. 1. de gloria martyrum c. 4. & Damasceno orat. 2. de Assumpt. Deip. lectum in quo Deipara moriens jacuit memorantibus: non languore, & præuia virium prostratione fuit decubitus; sed vt communi more, singularitatem deuitans, excederet è vita, quæ semper fastum omnem & singularitatis speciem declinauerat. Dilectus sanè discipulus, quem speciali gratiæ matri, fuisse in morte consimilem scribit Nicephorus l. 1. histo. c. 35. ad eum ferè modum mortuus, refertur ab eodem Nicephoro l. 2. c. 42. Nec quæ in contrarium objicit Benzonius in psalmum 86. c. 40. traditione 30. reuera vrgent. Assumit enim, vt certum, Deiparam obiisse sublata debita dispositione naturali, vi causarum naturalium. At hoc probandum fuerat, non gratis assumendum; cum sit idipsum de quo agitur.

Demortuæ Virginis anima, in mortis puncto, gloriosissimè cœlis illata est, eo gloriæ munerata cumulo quem infra attigemus, & luculenter prosequitur Canisius l. 5. Mar. c. 4. Corpus non ita multo post à morte, sepulturæ traditum est, vt ex antiquissimis scriptis monstrant Baron. anno Christi 48. & Coccius t. 1. l. 3. artic. 3. Præmissas per Apostolos laudationes funebres, obiter tangit S. Dyonisius cap. 3. de diu. nomin. expandit verò Andr. Cretens. orat. 2. de Assumpt. Quod corpus exanime in nube sublatum esse in cœlum ibique suscitatum, scripsit Abelardus serm. de Assumpt. ex Gregorio Turonẽsi lib. 1. mirac. c. 4. fabulosum est & ablegandum.

Furfur doctrinæ; virgo Præses Concilij Hierosolimitani.

13. HIc terminatur via Deiparæ. Statim enim à morte fuit in termino & comprehensoribus est annumerata. Quare nos quoque hîc concludemus priorem hanc partem Tractationis, vbi cribrum admonuerimus quo excutiantur ementita decora, quæ nec in hac parte vitæ B. Virginis, desiderari passi sunt nonnulli. Quod diximus, Deiparam Apostolorum post Christi ad cœlos abitum egisse Magistram, vsque eò amplificauit Rupertus l. 1. in Cant. *sub medium*, vt dixerit, eam in Concilio Apostolico de concessione legalium, principem fuisse, & omnem soluisse quæstionem, factámque esse Magistram Magistrorum, id est Apostolorum; juxta illud, *fons hortorum, puteus aquarum viuentium quæ fluunt impetu de Libano.* Quæ verba Amicus quidam & opere

quod de Deipara edidit, in eum sensum accepit, vt significare voluerit Rupertus, Deiparam fuisse Concilij illius præsidem, id quod ratum habet, is quem dico Scriptor nouus, in suo Deiparæ Chronico, & à Benzonio lib 1. in Canticum Deip. c. 13. tribuitur Ruperto, atque Canisio.

Hoc tamen, nec in decus Virginis reuera cedit, nec à Ruperto asseritur. Ruperti quippe sensus duntaxat est, Apostolos, & vniuersum illud concilium, consuluisse super ea controuersia Deiparam, & mentem eius exquisiuisse; eisque respondentem Deiparam, licet è concilio absentem, direxisse omnia, & omnem soluisse quæstionem: Ita tamen, (ait Rupertus,) vt nôn clamaret neque contenderet, nec audiretur vox eius foris. Hæc verba satis insinuant, Ruperti mentem non ferre, quod Deipara concilij præsidem egerit: tametsi consulta, (vt est profectò verisimillimũ, benéque censuit Castro c. 19. hist. n. 8.) mentem suam aperuit & sicut exemplo vitæ, ita etiam consiliis & directione præsedit Collegio Apostolico, vt loquitur Flau. Dexter anno 34. n. 7. Nec aliud voluit Canis. lib. 5. Marial. c. 1. cum visus est dicere B. Virginem præfuisse publicis conuentibus. Cœterum cuiuscunque fuerit ea opinatio, quod B. Virgo præses Hierosolimitani Concilij fuerit, parum aptum est inde exornare Deiparam. Neque enim plus inde ornatur, quippe ementito & falso priuilegio, quàm si diceretur, sortita potestatem consecrandi sacros ministros, vel conficiendi corpus Christi. Non his prærogatiuis à sexu fœmineo alienis, decorauit Christus matrem suam, nec in eo Concilio quod veluti forma Conciliorum omnibus deinceps Christianis seculis futurum erat; consultum fuisset, statuere exemplum quod Elizabetha quæpiam peruersè æmulata, traheret ad confirmationem hæreseos, de monstroso fœmineo capite Ecclesiæ. Quare apagè tale decus Deiparæ. [Ne loqui quidem in Ecclesia mulieri, aut in viros autoritatem habere, sacræ literæ permittunt.] Ait S. Epiphanius de ipsamet B. Virgine agens hær. 78. Et inferiùs disertè ait, non esse collatam ei facultatem, vt in terris præesset. Quod fortiter probat & eruditè suo more illustrat Sanderus l. 6. de Claue Dauid cap. vnico §. 4. Quid verò iis facias, quos Perlinus l. de concept. distinct. 7. c. 1. n. 22. refert (nec improbat,) dixisse, in illis verbis decreti Apostolici *visum est Spiritui sancto, & nobis* nomine *Spiritus sancti*, intelligi B. Virginem. Hæc insulsitas, ne refelli quidem debet.

Virgo, 150. *Monialium Carmelitanarum Antistita.*

14. AD hoc tempus vitæ B. Virginis, pertinet fastidiosum negotium quo eam implicuit Carthagena lib. 17. de Arcanis homil. 3. allegatis Richelio & Eisegrenio ac Bergomensi qui tamen non omnino idem dicunt. Ait ergo Carthagena, B. Virginem instituisse Monasterium Monialium quarum ipsa curam haberet. Et quia corruptela, corporum regularium per secularia capita specie commendationis exsugendorum, nondum inualuerat; sequitur B. Virginem fuisse Abbatissam titularem, atque adeò monialem. Non decuisset autem, tam sanctam, támque industriam Antistitam, paucis monia-

libus regendis incumbere. Itaque cum Richelius centum ei ac viginti Nonnas ſubjeciſſet, Carthagena ad 150. eas amplificauit; addens, eas Moniales fuiſſe Carmelitanas, quia nullum tunc temporis vigebat religioſum inſtitutum, præterquàm Carmelitanarum. Ex quo habetur, B. Virginem fuiſſe Carmelitanam, & Carmelitanarum ſiue Abbatiſſam, ſiue Prioriſſam, aut quomodolibet aliter earum Antiſtitam nominare placeat. Fauet quod Honor. in Gemma animæ l. 1. c. 239. veſtem & conuerſationem Sanctimonialium à B. Virgine ſumpſiſe exordium profitetur. Verùm de B. Virginis Monachatu poſt Chriſti Aſcenſionem, altiſſimum eſt apud omnes retrò Patres ſilentium. Plerique omnes, eam vt exemplar Virginum, ac coniugatarum, & viduarum proponunt. Nemo ſtatuit vt monacharum exemplar homogeneum, (vt ſic dicam,) ſiue in ratione Monialis. Quod addo, quia quæ S. Ambroſius in Opere de Virginibus, (quod ad Moniales directum eſſe S. Auguſtino teſtatur alibi confirmo,) de B. Virgine, nitentiſſimo Virginearum virtutum ſpeculo tradit; non poſſunt trahi ad hoc negotium. Nam etiam Aldelmus l. de laude virginitatis, ſcribens ad Moniales, pleraſque Ss. Virgines, illis proponit tanquam illuſtria virginalium virtutum exemplaria, quas tamen conſtat non fuiſſe Moniales. Quare mens S. Ambroſij tantùm fuit, Deiparam ſtatuere tanquam luculentum exemplar virtutum Virgini piæ conſentanearum, in quocunque demum ſtatu viuent. Itaque B. Virginem fuiſſe Nonnam, & Nonnarum Præfectam, planè latuit Patres; imo & poſteriores omnes, demptis pauculis quos ſignauimus. Et mirum eſſet, Robertum de Abruſcellis clarum ſua ætate Theologum, S. Bernardo familiarem, & à Petro Cluniacenſi l. 3. epiſt. 17. valdè laudatum, cum Monaſterium fontis Ebraldi in quo fœmina etiam viris præeſt, in tractu Pictauienſi inſtitueret; ex illis Chriſti verbis *Mulier ecce filius tuus*, & *ecce mater tua* inſtitutionis ſuæ originem rationémque petiiſſe, non etiam (quod multum interfuiſſet,) allegaſſe munus Antiſtitæ, quod B. Virgo obiuiſſet. Quare ignotum Roberto fuit, hoc eius decus. Sed & prouidendum eſt Carthagenæ, ne quem Parthenonem Robertus inſtituit, ſuperiorem eſſe fatendum ſit, eo quem B. Virgo & fundarit & rexerit. Nam in Monaſterio fontis Ebraldi non ita multo poſt ab eius ortu, viſas à ſe Moniales circiter quinque millia, ſcribit Sugerius Abbas ad Eugenium Papam. Refert epiſtolam Sirmondus ad Goffridum Vindocinenſem l. 4. epiſto. 32. cum tamen Abbatia B. Virginis, non niſi centum quinquaginta Moniales numeraſſe dicatur. Ac ne de eo quidem numero conſtare poteſt Carthagenæ, cum Richelius quem exſcripſit, viginti duntaxat ſupra centum numerarit: propè dixi, diuinarit. Nam Patres qui de Parthenone illo prorſus ſiluerunt, numerum Virginum ei adſcriptarum non prodiderunt. Tabularium autem Monaſterij, ante tot ſecula per Agarenos exciſi, in manus Carthagenæ vel eorum per quas profecit, perueniſſe non ſcribitur. Quæ ratio, apud minùs credulum lectorem, æquè vocabit in diſcrimen, inſtitutum certum, cui Carthagena adſcribit Monaſterium B. Virginis, ex principio quod Beatam quoque Martham Chriſti hoſpitam in extrema vita, eidem Ordini adſcriptam conuinceret: Sicut & Saphyram, quam plerique veterum

Euangelica consilia professam prodiderunt. Vtrumque autem, ignotum omnibus, hactenus fuit. Quidni verò, quando B. Virginem Monialibus conserere fixum erat, decus illi Fundatricis noui Ordinis, multo justiùs quàm sanctis plerisque Heroinis est attributum? præsertim cum habeat hîc locum illud veluti effatum, Carthagenæ propè perpetuum, nullam prærogatiuam esse B. Virgini negandam, qua alius quispiam Sanctorum aut Sanctarum, sit exornatus. Nec certè par fuerat B. Virginem alterius insistere vestigiis, & alium à Christo, instituti quod profitebatur, Ducem, aut Ducissam agnoscere. Videndum denique erit Carthagenæ, ne B. Virgini, (horrendum dictu!) Defectionis ab instituto labem illinat, eámque etiam tetro proprietatis vitio contra Monasticam regulam sorduisse sit ipsi fatendum. Nam Nicephorus, qui ex antiquioribus, Deiparæ extremam vitam & mortem descripsit, testatur eam vna duntaxat & altera muliercula comite, quas Testamento secularum suarum hæredes constituit, ad Filium abjisse; nullis Monialibus, quæ piæ Matris suprema verba & faustam comprecationem exciperent, abeunti astantibus. Fatendum ergo esset, B. Virginem obiisse extra Monasterium suum, & Testamentum condidisse contra Monasticos Canones.

Subitio mortis indebita.

15. IN extremas item lineas vitæ mortalis, à B. Virgine exactæ, irrepserunt nonnullæ gerræ per pietatis laruam, & speciem honoris erga Deiparam. Fuerunt enim qui negarent, B. Virginem fuisse morti obnoxiam. Refert quippe Clictouæus Opusc. de doloribus Deiparæ in pass. Christi c. 14. illos ipsos quos ibi exagitat, inficiatores dolorum B. Virginis, consequenter ad firmamenta quibus paradoxum illud stabiliebant, asseruisse, B. Virginem non soluisse mortis debitum, quia nihil morti debebat. In quæ verba Clictouæus, distinctionem adhibuit. Si enim sensus sit, B. Virginem non soluisse debitum mortis, vt est pœna repensa peccato originali contracto; vel irrogata cuilibet ex obligatione primorum parentum in quibus deliquit; sic verum est, B. Virginem nihil morti debuisse, nec soluisse mortis debitum, cum fuerit prorsus expers peccati, etiam originalis. Si autem sensus sit, Deiparam non soluisse debitum mortis, vt est conditio naturæ humanæ, compositæ ex sensibilibus contrariis in se inuicem continuè digladiantibus, & enutritæ cibis inducentibus corporis alterationem; sic ait Clictouæus, B. Virginem soluisse mortis debitum, & mortuam esse ex eo debito; quod à se plenius discussum ait Tract. de concept. immacul. B. Virginis lib. 2. *in dissolutione quarta obiectionis*.

Mihi tamen qui in hunc alterum Clictouæi librum non incidi, scrupulus contra priùs constituta infigitur ex hac doctrina. Iuxta eam siquidem haberi videtur, Deiparam ex morbo obiisse, & laborasse infirmitate illa, quam cibi corpus alterantes, & corporis humores ac qualitates pugnantes, inducunt antecedenter ad mortem. Quare planiùs & expeditiùs dicetur B. Virginem etiamsi à peccato prorsus immunem, tamen quia filia Adæ erat, pœnalitati-

bus nostratibus quæ ipsam non dedecerent, inter quas est mors, fuisse obnoxiam, atque adeò mortis debitum soluisse, & mori debuisse: eámque esse pœnam peccati quod Adamus actualiter admisit,& in omnes posteros,quantumuis ab omni culpæ labe puros, infœliciter diffusa est, nihil vetat affirmare.

Mors ex amore.

16. Circa causam mortis Deiparæ, vulgaris est existimatio, fuisse ardentissimum amorem erga Deum; ex quo, quippe incensissimo actu veluti liquefactam defecisse volunt, & auulsa à corpore anima, expirasse. Ita Albertus super *Missus est* cap. 171. Suares obiter t. 2. 3. p. disp. 21. s. 1. Benzonius in psal. 86. c. 23. Cartus. l. 4. de laud. Virg. art. 3. & passim qui dicuntur contemplatiui, qui B. Virginem in morte inde maximè celebrant,quod non ignauè, & vt solent mortales, nihil diuinum cogitantes, ac præ morbi grauitate absorpto rationis vsu obeuntes; sed negotiosissima, & tum maximè in Deum æstuans excesserit, non ferente corporis imbecillitate, ardorem illum & vehementiam amoris. Ex quo tamen, negant inferri dolores mortis, in Virgine mortem oppetente. Nam amor juxta S. Dyonisium extasim facit. Passa igitur ex vehementi amore extasim B. Virgo, abstracta est à sensibus, nec sensit angores quibus præmuntur morientes. Nam neque Paulus per extasim abductus à sensibus, 2. Cor. 12. dignoscere potuit quæ circa se fiebant: quod multo justius de profundiore & sublimiore B. Virginis extasi, cogitabimus. Ratiocinatio est Magni Alberti super *Missus est* c. illo 171. & fauet S. Birgitta l. 6. reuel. c. 62.

17. Sed non est quod hinc magnificetur obitus Deiparæ; meritóque eam causam mortis eius, inficiatus est Poza l. 3. tract. 16. c. 5. & subscribit Nouarinus in vmbra Virginea num. 1714. Nam amor quo Deipara in Deum ferebatur, precipuè erat is qui subjungitur scientiæ infusæ, longè superiori lumine fidei, & independenti prorsus à corpore. Fides siquidem, tametsi quoad judicium est assensus supernaturalis,tamen ratione notionum simplicium quas importat, supponit notitiam sensitiuam, & cooperationem phantasiæ, ac proinde eius exercitium fatigat corpus. Præterquàm quòd appetitus qui phantasiæ subordinatur, commouetur à prælucente phantasia; vnde per sympathiam agitatur corpus, vt experimento quotidiano est compertissimum. Tanta verò potest esse commotio, etiamsi circa rem sanctam, vt mors consequatur. At scientia infusa, cùm à sensibus hausta non sit, nec phantasiæ cooperationem deposcat; nequaquam fatigat corpus. At proinde cum amor quo præcipuè feruebat Deipara, is esset qui splendidiori eius de Deo notitiæ, atque adeò scientiæ infusæ subjungebatur, dici non potest quod is amor,Virgini languorem intulerit, eámve (quod morbosus amor præ impotentia præstat,) viribus prostrauerit. Quid quod ratum ferè apud omnes est, B. Virginem nunquam ægrotasse, ac ne sub mortem quidem? Dedecuit enim animam vndecunque innoxiam, corpori aliquatenus morboso censeri; vel vas illud totius

totius sanctimoniæ, nulla vnquam labe maculatum, morbi iniuriis quassari. Atqui æstus ille amoris, & incendium flagrantissimum, ex quo mortuam volunt B. Virginem, ob planè exhaustum corpus, & animales ac vitales spiritus absumptos, membráque exsiccata, & quasi tosta; non posset non esse morbus; imo superaret ardores febriles æstuosissimos. Fatendum igitur esset, B. Virginem ex febris vehementia decessisse, quamuis adderetur febrem illam ortam esse ex amoris vehementia; vt certum est, in plerisque Oestro vitiosi amoris percitis, accidisse. At constat, hoc refugere illos ipsos qui dicunt B. Virginem præ amoris vehementia expirasse, si vnum demas Carthagenam l. 12. de Deip. hom. 4. sibi apertè contrarium; cum ibidem tanto studio omnem morbum à corpore Virginis ablegat. At nunquid febris, morbus? Tandem si ita esset, periclitaretur Virgo audire biothanata, súique homicida. Nam juxta sententiam Toleti in c. 1. Lucæ, annot. 74. B. Virgo habuit sub dominio liberæ suæ voluntatis omnes affectus; ita vt rationem non præuerterent, sed ad eius edictum exurgerent. Et quicquid sit de affectibus appetitus sensitiui, amorem tamen supernaturalem valdè perfectum, fuisse B. Virgini liberum, constare videtur ex eo quod alioqui non fuisset meritorius. Si igitur B. Virgo spontè ac liberè addixisset se amori adeò violento, vt animam è corpore exturbaret; homicida sui ipsius dicenda esset. Tantum igitur abest, vt honor Deiparæ accedat, ex obitu per amorem adeò validum ac turbidum, qui corporis & animæ diuortium inferat, vt potiùs cedere in contrarium videatur.

Triduana animæ jam gloriosæ, citra vinculationem, infossio in corpore.

18. AVdiui ipsemet, semel & iterum, mirabiliarium diuini verbi tractatorem, de sacro suggesto ad concionem plenissimam prærogatiuas obitus Deiparæ exponentem; cùm alia quæ ad calcem operis quo ad gloriam animæ & corporis referam, effutiuisse; tum illud nominatim, quod est huius loci proprium, nempe in morte B. Virginis per triduum illud, vel & alij statuunt per quadragenam qua corpus in sepulchro hæsit, infossam corpori fuisse animam, tametsi disrupta jam vita aurea; hoc est vnione corpus & animam priùs colligante, per mortem intercisa, verum esset animam non vltra agere partes animæ, nec animare materiam cui insidebat, sed ei merè astitisse. Qua ratione, animas mortuorum, quandoque obsidere viuorum corpora, exemplis compertum est. Fundamentum porrò totum huius prærogatiuæ, ex qua is quem dico Christianus Orator, Virginem in obitu celebrabat, ex iis verbis Isaiæ petebatur. *Erit sepulchrum eius gloriosum*, quæ de sepulchro Virginis accipiebat; nec potuisse gloriosius alia ratione fieri, demonstrabat. Ne quis mihi per immemoriam aliquid nunc excidere, aduersùs hoc Virginis decus suspicetur quàm tunc audiuerim; relegat quæ illo ipso tempore in faculis ad Idiotam num. 20. in hanc rem notaui, & circa memoriam ista nunc referentis, non hærebit.

19. Video prudentem lectorem, non tam de mea fide sollicitum, quàm rei

indignitate commotum, succensere; non tam ob falsitatem & absurditatem insulsitatis propositæ, quàm quod inde gloria & honor B. Virginis aliquando sit captata. Quid enim ad gloriam obitus Deiparæ refert, quod anima hoc illôuè loco fuerit, dummodò beata fuerit, vt sanè illico fuit? Christi anima è corpore excedens, in infernum migrauit; qui confestim, abjecto priore nomine, ex illata illhuc beatitudine, dictus est *paradisus*, vt B. Augustinus epist. 57. pulchrè eruit ex Christi ad latronem oraculo. Vbilibet igitur fuisset anima Deiparæ post excessum è corpore, quia beata erat, & Deo fruebatur, erat in paradiso: ac proinde nullus ei locus esse poterat non gloriosus. Cur igitur cœlo exclusa, vbi solummodò magnificus est dominus Deus noster, corporis ergastulo retenta fingitur, citra vinculationem, vt gloriosiùs excipiatur? & quidem in sepulchro, quasi esset animæ sepulchrum necessarium, non autem corpori. Vt enim locus Isaiæ, qui centum Iugis boum colligatis, (vt cum Caietano iocemur,) nunquam ad hoc negotium trahetur, posset cum aliquo colore huc aptari; dicendum esset, animam Deiparæ fuisse corpori pro sepulchro; sicque fuisse sepulchrum Deiparæ gloriosum. Sed ohè jam satis est, gerrarum atque nugarum, quoad rem quidem propositam.

Resurrectio solius Virginis in sexu fœminea.

20. PErtinet ad tempus in quo versamur, priuilegium quod nonnulli B. Virgini concesserunt, vt sola in fœmineo sexu resurrexerit, cœteris mulieribus in sexu virili resurrecturis. Neque enim B. Virgo, denuò resurget in mundi clausula; cui mox ab obitu, obtigisse resurrectionem ad vitam immortalem, negari absque temeritate non potest, vt rectè statuit Suares t. 2. 3. p. disp. 21. sectione 2. Itaque priuilegium quod excutiendum proponimus, quicquid sit de verbis, aut etiam de mente Autorum qui illud inuexerunt, referendum est ad tempus quo B. Virgo paulo post mortem resurrexit, ita vt eo tempore B. Virgo surrexerit in fœmineo sexu, cum cœteræ omnes mulieres, in sua resurrectione hoc est in anastasi generali, habituræ sint sexum virilem. Tribuit B. Virgini hoc priuilegium, Scotus in 2. d. 20. q. 2. vt quidem Scotum refert Cornelius in c. 4. ad Ephes. versu 13. ad illud *in virum perfectum.* Molina item disp. vltima Cosmop. *in fine*, quamuis ait Scotum obscurè loqui, tamen addit videri Scotum id voluisse.

Nihilominus, & ipsa sententia falsa est, (imo erronea,) Scotóque afficta; & quamuis admitteretur vacare errore & falsitate, non contineret tamen priuilegium vllum aut decus Deiparæ, sed potiùs dedecus & imperfectionem. Et falsitatem quidem resurrectionis mulierum, (dempta Deipara,) in sexu virili, perspicuè tradunt S. Hieron. epist. 27. & 61. August. 22. Ciuit. c. 17. & Tertullianus de resurr. car. c. 60. Fuisséque ita definitum in S. Synodo contra Origenem, refert Nicepho. 17. hist. c. 28. Scripturas in eam rem profert Castro V. *resurrectio* hær. 5. Nec obest quod Apostolus Ephes. 4. agnoscat, omnes resurgentes occursuros Christo *in virum perfectum.* Sensus enim est,

neminem fore deinceps puerum sensu, & cognitione paruulum, (sub quo typo exhibetur status huius vitæ 1. Cor. 13.) sed omnes tunc fore perfectos notitia rerum diuinarum, & euacuaturos quæ erant paruuli. Item non obest, quod aliqui Patres negant in resurrectione fore masculum & fœminam, vt Macar. hom. 34. & Athanas. serm. 3. contra Arria. Hoc inquam non obest, quia hi Patres intendunt duntaxat remouere præsentem finem diuersitatis sexuum, (quod Matthæi 22. dicitur, *non nubent*, *neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei*;) salua tamen identitate corporum, quæ deposcit identitatem partium quibus diuersitas sexus constituitur, vt omnes Scolastici agnoscunt in 4. d. 44. quibus miror obstrepere Cauellum ad locum Scoti allegatum; inde argumentantem, quod nonnullæ personæ, salua identitate indiuidui, euaserint in alium sexum, fœminæ scilicet in mares, vt videre est apud Plinium l. 7. c. 4. & Autorem qq. vet. ac noui Testam. in 15. Verùm in illis euentibus, nulla noua partium conformatio facta est, sed quæ præerat & latebat, foras se dedit, vt tradunt Mercur. 6. Var. c. 20. Laur. l. 7. Anato. q. 8. & Delrio 2. Mag. quæst. 22. Itaque identitas sexus, tametsi non est aliquid specificum, tantúmque pertinet ad conditiones indiuiduales, tamen est necessaria ad identitatem corporis, ac proinde omnes resurgent in illomet sexu in quo vitam exegerunt.

Quamuis autem gratis daremus, identitatem sexus, non requiri ad identitatem corporis resurgentis, non esset tamen B. Virginis priuilegium, resurgere in eodem sexu, si aliæ fœminæ resurgerent in sexu virili. Id enim idcircò de aliis fœminis inuectum est, quia fœmineus sexus continet imperfectionem, qua in resurrectione tolli debet. Quidni ergo ea imperfectio, tanto magis esset remouenda à B. Virgine, quanto præ omnibus decet eam omnis perfectio? Quare sexus fœmineus, tametsi per comparationem ad sexum virilem dicitur imperfectus, tamen in se & simpliciter spectatus, non est imperfectio, sed naturalis conditio indiuiduorum muliebrium, quæ statum quoque innocentiæ, & terrestrem Paradisum non dedecebat; ac proinde cœteras quoque mulieres resurgentes non dedecebit, si à B. Virgine rediuiua non abhorruit. Cœterùm quod insulsum hoc placitum de solius B. Virginis resurrectione in sexu fœmineo, tribuitur Scoto, Cauellus, indiligentiæ, tribuentes arguit, contendens id esse assumentum ad Scotum. Quod tametsi admitto, fitque verisimillimum ex tam multis aliis assumentis quibus sæpè Scotus in posterioribus editionibus occurrit suffarcinatus; tamen arguendi potiùs fuerant Cauelli domestici, qui grauem Scriptorem suis ineptiis onerarunt, quàm qui tanquam ab eo scriptum allegarunt, quod in eius contextu legerunt.

PARS SECVNDA.

ABSCONDITVS CORDIS HOMO, IN BEATA VIRGINE.

1. OMNIS gloria eius filiæ Regis ab intus, juxta Dauidicum oraculum. Quia enim apud Deum pretiosiora sunt interiora, quàm extrinseca ornamenta; & animi bona longè præstant quibusuis foris apparentibus; idcirco certum esse debet, Christum Dominum, B. Virginem, & magnis bonis in exteriori homine exornasse, quantum decebat Dei matrem, & virtutis congrua exercitatio postulabat: maximis verò & incomparabilibus cumulasse in interiori homine. Sicque mulier fortis, (quam non pauci Deiparam interpretantur ac nominatim S. Bernardus hom. 2. super *Missus est*, & Richardus suo c. 26. in Cant.) Lana & lino conuestitur; hoc est (interprete D. Augustino serm. 217. de tempo.) externis ac internis ornamentis, quorum ista per linum quod corpori ad cutem admouetur, illa aptè signantur per lanam, quæ supponitur, & extrinsecùs adiacet. Eo item pertinebat juxta Philonem lib. de nom. mutat. tentorium duabus contextum extremitatibus; arca auro intus & extra refulgens; binæ Pontificis tunicæ, intima vna è lino, extima altera variè acu picta cum toga talari. Addit lib. de Temulentia binas aras; ad suffitus interiorem, ad victimas verò exteriorem. Quæ omnia symbola fuisse docet, consociationis internorum externorúmque ornamentorum, in persona Deo grata. Itaque cum hactenus, de externis & foris conspicuis Deiparæ ornamentis sit disputatum; ad interna progrediendum est, eo ordine quem Apostolus seruauit, orsus à radice bonorum omnium internorum; nempe à prædestinatione, & per intermediam justificationem, prouectus ad gloriæ adeptionem.

PVNCTVM I.

VIRGINIS PRÆDESTINATIO, AC electio æterna in Dei Matrem.

1. BENE' S. Bernardus hom. 2. ſuper *Miſſus eſt*, ait Virginem nec fortiter nec fortuitò inuentam, ſed à ſeculo electam, ab altiſſimo præcognitam,& ſibi præparatam; Vtique in prædeſtinatione æterna, ad quam aggredimur. Duplex autem veluti perſona in B. Virgine ſecerni debet. Spectari namque poteſt, & vt priuata, (vt ſic dicam,) & vt Dei mater, orbiſque per filium Regina. Quamuis enim duæ illæ rationes, ac veluti perſonæ in eam concurrant, tamen diuelli ſine dubio potuiſſent, nec niſi per accidens junguntur, atque adeo merè concomitanter ſe habent. Sanè ſi Chriſtus non veniſſet; (vt profectò non veniſſet,ſi peccatum fuiſſet ſeclufum;) B. Virgo in ratione perſonæ juſtæ, cum Chriſto nequaquam tunc nectendæ, fuiſſet prædeſtinata ad certam gratiam & gloriam, nec tamen fuiſſet electa in Dei matrem. Sicut Apoſtoli, ſi Verbum non deſcendiſſet ad nos nequaquam fuiſſent electi in Apoſtolos; & tamen fuiſſent prædeſtinati ſub alia ratione; ſiue quatenus juſti priuati. Nunc ergo per accidens eſt, quod prædeſtinatio Virginis, & electio in Dei matrem ſimul concurrant; ac proinde meritò ſecernimus eas conſiderationes,vt euinci videtur ea ratione, quæ in negotio decretorum diuinorum ſolemnis eſt; nimirum quod pro inconnexione objectorum, ac eorum vel ſimultate, vel preſuppoſitione,& prioritate aut poſterioritate, varietas quoque & prioritas ac poſterioritas, in diuinis decretis ad ea terminatis ſtatuatur.

Virginis vt perſonæ priuatæ prædeſtinatio, ſimul & vniformiter facta cum prædeſtinatione cæterorum.

2. PRædeſtinatio itaque Virginis, ſiue electio talis perſonæ tanquam priuatæ ad certam gratiam & gloriam gratiæ illi commenſam, in eodem ſigno facta eſt, & per ordinem ad eadem media, in quo electorum omnium prædeſtinatio. Tametſi enim non defuerunt Theologi, quibus viſum eſt, aliquos electos in vno ſigno, alios in poſteriore electos eſſe; & aliquibus per merita,aliis abſque meritis fuiſſe decretam gloriam. Tamen vera ſententia cui ſubſcribo, planè fert electionem omnium qui quandoque aſſequentur gloriam; nec hominum duntaxat, ſed etiam Angelorum, fuiſſe & in eodem ſigno peractam, & vniformem.

Et simultas quidem ac vnitas signi rationis, in quo omnes quandoque beandi, sint à Deo electi; inde obiter perspicua esse potest, quod in diuina intentione ad plures naturas ac personas terminata, si ex parte Dei spectetur, nullus est ordo prioris & posterioris; sed tantùm si inter prædicta objecta, intercedat aliqua causalitas vel præsuppositio. Atqui inter quoscunque electos, siue Angelos, siue homines, nulla est præsuppositio propter quam hi priùs quàm illi dicantur ad gratiam & gloriam electi, vel è contrario. Omnes igitur simul electi sunt, tanquam eiusdem Reipublicæ membra, & futuri incolæ eiusdem ciuitatis cœlestis. Hoc de Angelis ad homines comparatis, haud grauatè admittitur, & innuitur à D. Augustino 15. ciuit. c. 1. haud obscurè agnoscente, homines cum Angelis vnam ciuitatem Dei ex æquo construere: sequitúrque ex eo quod apertè tradit S. Anselmus l. 1. Cur Deus homo c. 18. nempe quod homines non sint electi ad gloriam occasione peccati Angelorum, & vt implerent ruinas eorum. Quod si de Angelis ad homines comparatis, verum est eos simul electos esse ad finem vltimum, quem æquè per se primò respiciunt; idem multo magis verum haberi debet, quoad quosuis homines puros; ita vt nulli sint ante alios electi, cum nullius electio pendeat ab alterius electione; quamuis aliqui absque præsuppositione vlla causali, præuideantur esse futuri tempore priores aliis, quod ad rem non pertinet. Quare fixum esto, B. Virginem, vt priuatam personam & absque maternitatis titulo, non fuisse electam in signo aliquo ante alios electos, sed vnâ cum ipsis.

3. Iam verò vniformitatem electionis B. Virginis ac cœterorum electorum, inficiati sunt Ochamus, & Gabriel in 1. d. 41. q. vnica *litera D.* & Catharinus toto l. 3. de prædestinat. & in c. 1. ad Ephes. ad illud, *ante mundi constitutionem*, digress. de prædestinat. vbi adultos eximiæ dignitatis electos, & nominatim B. Virginem contendunt electos fuisse, absque vllis meritis ex mera Dei benignitate efficaci & absoluta. Latè hoc refellunt Soto in c. 9. ad Rom. Vasquez 1. p. d. 90. c. 2. & Perer. in c. 8. ad Rom. disp. 25. Breuiter autem contrarium statuo, ex eo quod omnes electi sint æquè ciues cœlestis Hierusalem; nec scriptura diuerso modo necessitatem gratiæ pro omnibus, & Dei in quoscunque miserationem, exponat. Quare nihil hìc quoque peculiare habet B. Virginis electio. Nec dissentit. Valentia 1. p. disp. 1. q. 23. p. 4. §. 2. & p. 6. tametsi affirmat B. Virginis prædestinationem fuisse singularis cuiusdam præcellentiæ quoad media. Hoc enim non excludit vniformitatem electionis quoad motiuum, & modum quo peracta est; sed tantùm fert ordinem ad præstantiora & efficaciora media: quam præcellentiam nunc non diffitemur, sed eam tantùm quæ propositam vniformitatem excluderet. Itaque B. Virgo, ad gratiam & gloriam sibi vt priuatæ personæ respondentem, electa est eodem modo generali, quo cæteri electi ad suam gratiam & gloriam. Nempe ad gratiam quidem, spectando totam seriem justificationis, ex pura Dei misericordia: ad gloriam verò per merita juxta sententiam probabiliorem, quæ communiter circa omnes electos alibi stabilitur.

Electio Virginis in Dei matrem, cæterorum electione posterior.

4. PErgo ad electionem B. Virginis in Dei matrem, cui annexa fuit electio ad vberiorem gratiam quam esset obuentura vi electionis terminatæ ad Virginem prout personam priuatam. Quis enim credat B. Virginem(& idem est de Præcursore ac Apostolis, si non veniente Christo, non fuissent ad hæc munera destinati;) quis inquam sibi persuadeat, B. Virginem tantundem gratiæ ac gloriæ fuisse habituram, etiamsi non fuisset electa in Dei matrem? Non esset ea prouidentiæ ratio, digna Deo; vt videtur per se manifestum. Electio igitur Virginis in matrem Dei, annexam habuit electionem ad illud gratiæ & gloriæ superpondium, quod erat tantæ dignitati consentaneum, supra sortem priuatæ conditioni congruentem. Et de hac electione, duo controuerti video inter DD. nempe 1. in quo signo rationis sit facta: puta an æquè primò ac electiones cœterorum electorum, ipsiúsque etiam B. Virginis, vt priuatæ personæ? 2. an sit facta ex pura Dei misericordia, excluso ordine ad merita; an verò per ordinem ad merita Virginis præuisa, eíque obuentura vi electionis prout priuatæ personæ?

5. Prior dubitatio expedienda est, dicendo B. Virginem fuisse electam in Dei matrem occasione peccati ad cuius excidium venturus decretus est Christus, alioqui minimè venturus, vt suppono ex dictis lib. 3. de Christo s. 1. c. 4. si enim Christus non erat venturus secluso peccato hominis, certè neque prouidendum ei erat de matre, quæ ob solum aduentum Verbi in carnem, opportuna erat. Igitur B. Virgo non est electa in Dei matrem, nisi in signo posteriori quàm cœteri electi. Nam Deus eos quos præsciuit & prædestinauit, non elegit dependenter à peccato, siue primi hominis, siue alterius cuiuspiam. Electio quippe Adami V. G. non est facta post absolutè præuisum eius peccatum, quin potiùs permissio peccati est effectus prædestinationis, juxta veram sententiam Molinæ 1. p. q. 23. art. 1. disp. 3. Intenditur enim à Deo, ob fructus optimos ex ea permissione prouenientes. V. G. vt grauius periculum ex superbia timendum submoueatur, juxta doctrinam S. Augustini 14. Ciuit. c. 13. & l. de natura & gratia c. 24. & 25. & S. Bernardi serm. 54. in Cant. Vel certè, vt homo deinceps sit cautior & sollicitior pro seipso, ac in Deum erectior: quod ex peccati permissione consequi, notatur apud Anselmum in Elucid. *circa medium*; significatúrque à Climaco apud Anastasium q. 8. in Scriptur. docente spirituales diuitias per vitia parari: vtique occasionaliter, Deo ex prolapsione homini libera à se permissa, eruente bonos illos fructus, qui ad hominis salutem maximè conducunt; atque adeò non possunt non esse effectus prædestinationis.

6. Si igitur electio Adami, atque adeò etiam cuiusuis alterius peccatoris, facta est antè præuisum absolutè eius peccatum, multo magis electio cuiusuis prædestinati, facta fuerit ante præuisum absolutè cuiuscunque alterius peccatum, à quo neque vllam habet dependentiam, neque eius occasione facta est.

Cur enim? Fateor, interdum attendendo euentus temporales in quibus vnus electus reprobo cuipiam succedit, dici solere hunc electum non fuisse venturum, nisi reprobus abijsset in locum suum: qua ratione in martyrio 40. militum Cappadocum, dici solet quod carcerarius non venisset, nisi miles transfuga defecisset. Tamen electio Dei fuerat directè ac per se terminata ad carcerarium. Et idem dicendum est ad Scripturas & Patres, à quibus ea substitutio electorum in locum reproborum significatur; vt videre est apud Suarem in illis exponendis laborantem l. 1. de prædest. c. 12. à num. 14. Interdum quoque D. Augustinus ait electos eximi de massa perditionis originalis, in qua reprobi relinquuntur: non quod electionem statuat posteriorem peccato Adami, sed per anticipationem; quia qui eliguntur, futuri postea sunt in massa perditionis, & inde diuinitùs extrahendi per remedia vi anterioris electionis conferenda.

Necessariò hæc obiter præmittere oportuit, aduersùs sententiam eorum, qui homines tantùm electos esse voluerunt post præuisum Adami peccatum: quod sensit Bellarm. l. 2. de gratia & liber. arbit. c. 9. & Becanus 1. p. tract. 1. c. 14. q. 5. Itémque aduersùs eorum opinionem, qui aliquos homines, electos tantùm esse censent post præuisum absolutè aliorum peccatum, quod habet Alcaz. Apocal. 3. *versu* 11. Hæc inquam præmittere obiter oportuit, vt statuere liceret, nullius hominis electionem factam esse occasione vllius peccati, siue alieni, siue proprij.

7. Cum ergo B. Virgo sit tantùm electa in Dei matrem occasione peccati; manifestè sequitur, hanc eius electionem, fuisse factam in posteriori signo, quàm electiones cœterorum hominum, ipsiúsque etiam B. Virginis, prout personæ priuatæ. In quo dissidemus à Suare t. 2. 3. p. d. 1. sect. 3. ac Benzonio in psal. 86. c. 20. aliisque, statuentibus electionem B. Virginis in Dei matrem, fuisse anteriorem præuisione peccati. Ita quippe sentiunt quoad B. Virginem, quia statuerunt Christum esse electum independenter à peccato. Nos autem quia sensimus Christum secluso hominis peccato non fuisse venturum, atque adeò non fuisse eligendum ac prædestinandum nisi homo peccasset; cogimur idem asserere de electione B. Virginis in Christi matrem.

Comparatio duplicis electionis proposita.

8. HÆc porrò electio, spectato nostro concipiendi modo, fuit disjuncta à priore, qua B. Virgo, vt persona priuata, electa est ad certam gratiam, & ei correspondentem gloriam; nec habuit cum ea nexum, nisi quem habet id quod aliud consummat, cum eo quod per illud consummatur, atque perficitur: sicut verè ea prior B. Virginis electio, perfecta & consummata est in posteriori signo, in quo posita est electio eiusdem mulieris in matrem Domini. Nam Deus in primo electionis æternæ signo, non statuit absolutè de B. Virgine, per vnicum quasi actum, spectato nostro modo concipiendi: Sed primùm quidem, in primo signo rationis, illam elegit cum cæteris quandoque beandis;

beandis; elegit inquam ad certam gratiæ & gloriæ mensuram, proportionatam non muneri matris, sed diuinæ erga eam fœminam beneficentiæ, præcisè à Christo: quæ mensura ex mero Dei beneplacito, & absque intuitu ad maternitatem huic subiecto conferendam, potuit esse longè auctior, quàm cæterorum electorum: sicut neque nunc, mensura donorum eis prouisorum qui nullo munere cum Christo connexionem habente funguntur, æqualis est; sed in nonnullis ex mera Dei benignitate, præcisè à quouis munere, est longè auctior. Actui porrò quo Virgo quatenus priuata persona sic eligebatur ad certam gratiam & gloriam, adhibita est in altero signo conditio; quod scilicet hæc persona, præter gratiam & gloriam ad quam tunc absolutè eligebatur, euehenda deinceps esset ad maternitatem Christi, eíque debitam vberiorem gratiam & gloriam, si contingeret, Christum occasione peccati decerni venturum. Christo siquidem qui in eo signo nondum decernebatur absolutè, non potuit absolutè decerni mater; sed tantùm sub conditione quod per occasionem peccati venturus esset, mulier ista, cuius tanta sedulitas ne deesset gratiæ Dei primo illo decreto destinatæ præuidebatur; electa est in eius matrem, & ad id munus, eiúsque consentaneas appendices, superpondium inquam illud gratiæ & gloriæ, quod dicebam, conditionaliter est destinata dependenter ab anteriore merito, atque adeò in altero signo posteriore.

9. Mox autem in alio signo vlteriore, ea conditione præuisâ, & Christo ad remedium peccati absolutè præuisi prædestinato, consummata est electio Virginis quoad maternitatem, & accessiones gratiæ ac gloriæ, tam sublimi muneri tantæque dignitati consentaneas. Vnde electio B. Virginis in pluribus signis, & per actus veluti plures, est consummata. Neque enim Suares, eiúsque partiarij, qui omnes electos simul & semel, etiam quoad gradum gloriæ electos fuisse contendunt, hunc eligendi modum quoad Virginis maternitatem, & ei subiuncta dona, duplici quasi actu, & in pluribus signis consummatum, possunt defugere. Nam ipse quoque Suares l. 1. de prædest. c. 10. n. 7. admittit, gloriæ appendices supponentes peccatum, non potuisse cadere sub primam illam Dei intentionem, qua destinat electos ad tantam gloriam; sed hanc accessionem, ait postea aduenire, præuiso peccato. Idem ergo contigit circa B. Virginem, quoad maternitatem Dei, eiúsque corollaria, quia supponunt peccatum. Quod apertè docet Rich. à S. Laurentio l. 4. de Deip. tum ait. [Possunt ei dicere peccatores, quod propter ipsos, facta est ipsa mater misericordiæ. Nisi enim homo peccasset, non incarnaretur filius Dei, nec ipsa fieret mater Dei: Restat ergo &c. Propter hoc curialiter dicit ei quidam versificator.

Festina, miseris misereri Virgo beata.
Nam te si recolis miseri fecere beatam.
Ergo bea miseros, quorum te causa beauit.

Addit etiam aliũ, eidem placito, æquè metricè suffragantem, in hunc modum.

Nec abhorre peccatores,
Sine quibus nunquam fores
Tanto digna filio.
Si non essent redimendi,
Nulla tibi pariendi
Redemptorem ratio.]

Modus quo peracta est electio Virginis in Dei matrem.

10. IAm quomodò hæc secunda Deiparæ electio facta sit; an scilicet absque meritis & ex mera Dei misericordia, an verò per merita; longus pateret ad excurrendum campus, nisi tractando causam meritoriam Incarnationis l. 5. s. 2. c. 1. exspatiati latè in eo essemus. Breuiter autem resolutio est, maternitatem Dei non cecidisse sub condignum meritum B. Virginis: cecidisse tamen sub congruum, quale mox exponemus. Meritum condignum maternitatis Christi jure abrogari Deiparæ, inde perspicuum est; quod maternitas sit circumstantia Incarnationis. At circumstantiæ cum spectent ad eundem ordinem cum substantia Incarnationis cui adjacent, sunt præmia extra omnem ordinem gratiæ, & veluti extranea actibus hominis; ac proinde non ceciderunt sub meritum condignum, & simpliciter dictum, vllius puræ creaturæ; atque adeò neque B. Virginis.

11. Sicut tamen nonnullæ aliæ Incarnationis circumstantiæ, cadere potuerunt sub meritum congruum purarum quarundam creaturarum, ita & ista circumstantia, potuit cadere sub meritum congruum B. Virginis. V. G. antiqui Patres permulti, qui in id flagrantiùs & sollicitiùs incubuerunt, vt Daniel, meruerunt accelerationem aduentus Christi: non de condigno, quasi ex vi votorum & operum id suo quasi jure possent reposcere; sed congruè duntaxat, quia decuit tantam eorum circa Christi aduentum sollicitudinem, donari à Deo ea remuneratione. Similiter ergo, congruentissimum ac decentissimum fuit, B. Virginem quæ muneribus & gratiis vi primæ electionis acceptis, corresponsura præuidebatur adeò nauiter, exornari insuper prærogatiua maternitatis, & vbertate illa donorum quæ maternitati adiuncta erant, vt consentaneè quasi stiparetur & decoraretur. In quo vides interuenire rationem aliquam meriti, non quidem condigni, quod ex justitia exigit præmium saltem supposito pacto; sed congrui & in decente prouidentia fundati. Quod addo, quia ne illud quidem meritum congruum in hac parte comminiscendum est, quod cerneretur inter hominem inæquale quid Deo offerentem, & ipsum Deum pro sua charitate, homini quod potest præstanti benignè indulgente, reponeret illi quod expeteret. V. G. peccatoris actus, est inæqualis gratiæ primæ sanctificanti obtinendæ, quantumcunque ex gratia actuali sit conceptus & pretiosus. Et tamen Deus misertus peccatoris reuenientis ad cor, intuitu illius qualiscunque mercis, rependit de congruo gratiam sanctificantem, ex

conuentione generali Deum inter ac peccatores inita, de rependendo tali munere peccatori ingemiſcenti. Nulla talis conuentio, ſiue generalis, ſiue particularis, in hoc negotio interuenit, quæ Deum congruè mouerit ad decernendam B. Virgini maternitatem.

Dicitur tamen Deipara congruè meruiſſe maternitatem, quia per cooperationem in præuiſione Dei præſtitam benedictionibus dulcedinis quibus decernebatur præuenienda, occurrit diuino obtutui tanquam maximè idonea, quæ in habitaculum verbi quandoque incarnandi deligeretur. Sicut ſi Rex appellat in aliquam vrbem, quamuis ex nullo pacto, aut vi juris cuiquam ciuium competentis, obſtringatur ad aliquem diuertere; tamen congruum eſt, vt adeat potiùs ad eum qui ob eximias dotes, & obſequia, ac officia inſignia erga Rempublicam, aptiſſimus cenſetur qui domi ſuæ Regem excipiat. In hunc ſenſum accipienda ſunt varia Patrum dicta, quibus pronunciatur, B. Virginem dignam fuiſſe quæ eligeretur in Dei matrem. Varia protuli c. illo 1. & pleraque etiam habet Caniſius lib. 2. Mar. c. 16. An verò merita quibus Virgo ſe vtcunque aptauit ad maternitatem, collata ei fuerunt dependenter à Chriſto, & quomodò, cum Chriſtus ſit ea poſterior, diſcuſſum non indiligenter eſt loco annotato, & tranctando de Chriſto capite.

Furfur doctrinæ; Virgo prædestinatorum prima poſt Chriſtum.

12. EX dictis deprehenditur heteroclisis, quam in electionem Deiparæ intruſit aliquorum pietas, rata inſignem ſe prærogatiuam & honorem eximium deferre B. Virgini, aſſerendo eam eſſe electam omnium primam poſt Chriſtum. Ita Suares t. 2. 3. p. d. 1. ſ. 3. Spinellus in Throno Dei c. 14. Magalianus in c. 5. Iud. *verſu* 7. annot. 8. Fernand. in c. 29. Geneſ. ſect. 8. n. 11. Salaz. l. de conceptione cap. 2. Iacobus de Valentia in Cant. Deip. *ad verſ.* 4. in prima dignitate Virginis, Ioan. de Carthag. l. 1. de B. Virgine homil. 2. Qui ita ratiocinantur, vt quemadmodùm Deus conſtituit ex vno Adamo fieri omne genus hominum, eique primo loco, & ante omnes mortales ex eo educendos conſtituto, adhibuit ſociam ex latere eius formatam; ita in ordine ſupernaturali, Chriſtum caput ſuper omnem Eccleſiam primo loco elegerit: proximè verò poſt ipſum, elegerit B. Virginem, quæ proinde omnium prima poſt Chriſtum, in ſerie prædeſtinatorum ſit collocata. In quam rem laudant, cùm alios, tum S. Gregorium in lib. 1. Reg. *initio.* Rupertum l. 2. in Cant. S. Bernardinum t. 2. ſerm. 51. art. 3. c. 4. S. Antoninum 4. p. tit. 15. c. 14 §. 3. Idémque ſignificare viſus eſt S. Bernardus epiſtola. 174. vocans Deiparam, [electam ex omnibus, prælatam omnibus.] Addunt etiam ſuffragium Rabbinorum apud Franciſcum Georgium in Harmonia mundi Cant. 10. tono 5. c. 6. vbi refert, inter myſteria Hebræorum celebrari, vnam eſſe omnium puratum creaturarum primam, Meſſiæ matrem, nomine *Mariam*, cognomento *Mitatrom.* Ita denique ſonare putant illud prouerb. 8. *Ante omnes colles, ego parturiebar.* .i.. ante omnes Angelos & ſanctos prædeſtinabar:

nondum erant abyssi.i.nondum intelligebatur peccatum originale,& massa vniuersorum hominum per illud fermentata, *& ego jam concepta eram.* Accedit & illud ex c. 24. Ecclesiastici quod Ecclesia æquè accommodat Deiparæ *ab initio, & ante secula, creata sum.* Idest in prædestinatione Dei, post Christum in summo vertice locatum, constituta sum prima, & ante omnes planè electos, quorum electio in posteriori signo est subsecuta.

13. Hunc honorem B. Virgini malè deferri, constat ex antedictis. Vel enim B. Virgo spectatur vt mater Dei, vel vt priuata persona. Iuxta primam considerationem, non potuit esse prima prædestinatorum. Nam si ipsemet Christus posteriùs ratione electus est quàm cœteri; quippe duntaxat electus per occasionem peccati: quantò magis B. Virgo prout mater, dicenda est electa in posteriore signo? Atque adeò vt sic, non potest esse prima prædestinata post Christum. Quod si B. Virgo, spectetur vt persona priuata, & præcisè à Christo; sic fuit electa ante Christum,in eodem planè signo cum cæteris omnibus electis, tum Angelis tum hominibus. Quod autem B. Virgo Prouerb. 8. juxta sensum accommodatitium ab Ecclesia tacitè receptum, & à multis DD. approbatum apud Canisium l..1. de Deip. c. 11. dicatur *possessa* fuisse *à Deo in initio viarum suarum*; & Ecclesiastici 24. dicatur *creata ante secula*; non est sensus, eam fuisse primam inter prædestinatos prioritate præsuppositionis, de qua nunc agimus: sed tantùm sensus est, B. Virginem, secundùm Christum, fuisse inter electos primam ordine dignitatis, quamuis posteriùs ratione prædestinatam in Dei matrem sicut Christus ipse, qui posteriùs ratione quàm cæteri,& solius peccati occasione electus est, tenet tamen super omnes primatum; éstque totius Ecclesiæ ex hominibus & Angelis constitutæ, supremum caput, ac vertex, & apex prædestinatorum. Nec aliud voluerunt, siue SS. Gregorius & Bernardus qui in contrarium malè adducebantur, siue Rabbini illi Christo anteriores, qui de B. Virgine tam honorificè locuti referebantur, haud dubiè ex instinctu & motione Spiritus sancti, nondum tunc ablato ab ingratissimi populi Magistris cœlesti afflatu. Fateor Rupertum, ex sententia de Christi prædestinatione independenter à peccato, delapsum esse in hanc æquè falsam sententiam circa Dei matrem: sed is non est tanti, vt alio loco monstrare memini, & latè prosequitur Ioannes Hesselius tract. de Inuocat. sanctorum, & in probatione veritatis Eucharistiæ cap. 81. *sub finem.* Minoris verò etiam sunt cæteri, qui pro hoc ementito Virginis decore proferebantur. Quare aliunde eam celebremus.

Alius prædestinationis Deiparæ primatus, æquè inanis.

14. SVnt qui primatum prædestinationis B. Virginis præ aliis electis, fateantur non fuisse in instanti rationis *in quo*; dicant tamen fuisse in instanti *à quo*: ita vt quamuis Christus, & Deipara, omnésque electi, prædestinati sint in eodem simul signo rationis, tamen omnes electi sint prædestinati propter B. Virginem tanquam finem: tametsi ipsa postea sit propter

Christum, sicut Christus propter Deum. Ita Perlinus in Apolog. pro Concept. distinct. 4. c. 14. n. 2. & quod ad mundi fabricam Fernandius in c. 1. Genes. sect. 1. n. 5. ex variis Rabbinis. Fauet quod B. Virgo à nonnullis Patribus appellatur *negotium omnium seculorum*; item *scopus & finis consiliorum Dei*, quo pacto eam nominat S. Germanus orat. de præsentat. Deiparæ. Argumentum ad hoc decus Virginis stabiliendum, profertur ex 2. Timo. 2. vbi dicitur, *omnia propter electos*. Hoc si ita est, (vt sanè est,) quidni dicamus, omnia quoque esse propter B. Virginem omnium electorum præstantissimam secundùm Christum? An non regina cœli, regina mundi, & totius gratiæ mater suauissima, vocitatur?

15. Hoc Virginis decus est commentitium. Nihil enim suppetit, ad affirmandum B. Virginem esse finem electorum omnium. Nam quod dicta est negotium omnium seculorum, & scopus machinationum Dei omnipotentis, non pertinet ad eam nisi vt Christo grauidam, atque adeò non nisi ratione Christi ex illa procreandi. De Virgine autem seorsim à Christo spectata, nemo Patrum dixit, esse scopum rerum omnium, & omnes electos ad eam referri, tanquam ad finem: Quæ videtur propria & peculiaris prærogatiua Christi domini ob quam illi assignandam diù multúmque certatum esse in Tridentina Synodo, notauit Vega qui aderat l. 7. in Conc. c. 20. Tantum abest, vt venerit illis Patribus in mentem, idem decus alicui alteri quàm Christo, competere. Quod si omnia dicuntur esse propter electos, id quod de cursu rerum temporalium, & conseruationis mundi, dictum ab Apostolo est, non sequitur omnia esse peculiariter propter Virginem, sed propter chorum totum electorum; alioqui quilibet electus, potiretur hac ipsa prærogatiua, quam aduersarius ex eo Pauli loco Virgini arrogat, quod nemo finxerit. Denique est quidem Deipara, Regina cœli & orbis, & mater gratiæ, quia Christum peperit; sed quid hæc omnia ad illam finalem causalitatem Virginis in vniuersum ordinem naturæ & gratiæ præ omnibus electis inferioribus? Itaque valeant falsi tituli, verorum abundè est.

PVNCTVM II.

VIRGINIS SANCTITAS AB VTERO, imo & à conceptu.

1. CONSVMMATAM occasione peccati præuisi electionem B. Virginis ad maternitatem, & consequenter ad tantam gratiam & gloriam, quantam Dei matrem decebat; excepit in tempore opportuno prima gratiæ sanctificantis infusio; quæ quando cœperit, & cuiusmodi fuerit, vestigandum est.

Virgo Sancta, antequàm nata.

STatuendum verò imprimis est tanquam inter Catholicos planè certum, eam gratiæ, infusionem, non fuisse dilatam vsque ad Virginis natiuitatem ex vtero matris: ita vt contrarium, (quod Sectarij affirmant, nominatímque Pomeranus in c. 1. Ierem.) meritò censeatur explodendum, vt rectè statuunt Vasq. 3. p. d. 114. c. 1. & Val. disp. 2. q. 1. puncto primo: víxque adduci possum, vt existimem, Gulielmum Paruum censuisse B. Virginem non fuisse sanctificatam ante Verbi Incarnationem, quod ei tribuit Delrio in cap. 6. Cant. sect. 1. *in mixta interpretatione.* Est enim id adeò absurdum, vt homini illi Virginis studiosissimo non videatur potuisse excidere; sed tantùm puto voluisse significare excellentem sanctificationem tunc à Virgine comparatam.

Habet verò hîc jurè locum illud principium ex S. Bernardo aliàs adductum; nempe quod omnis perfectio ad sanctitatem animæ pertinens, alicui puræ creaturæ concessa, non sit neganda Deiparæ. At constat Ioannem Baptistam repletum fuisse Spiritu sancto, adhuc ex vtero matris suæ: ídque multi Patres disertè tradunt quos appendunt. Tol. Lucæ 1. annot. 23. Canisius l. 1. de S. Ioanne c. 1. & Castro c. 6. histor. Deip. n. 4. Optimè S. Gregorius 3. moral. c. 4. & S. Bern. epist. 174. & Autor sermonis 4. super Salue regina apud eundem Bernardum. Nec desunt, qui Hieremiam alióśque multos in matrum vtero sanctificatos obtrudant; veréne & cum fundamento, discutio agens de præpropera justificatione sanctorum. Vt vt sit, Ioannem Baptistam in matris Elisabethæ vtero sanctificatum esse indubitatum est. D. quidem Augustinus epist. 57. dubius in hac re videtur; verba tamen Euangelij, omnem in hac re dubitationem præcludere, affirmat S. Thomas 3. p. q. 27. art. 6. Multo itaque magis ea prærogatiua Deiparæ concedenda est, quæ differentius præ illo nomen hæreditauit. Autor sermonis 4. super Salue Regina apud Bernardum, latè & fusè hoc confirmat. Locum infra dabo. Idem vt fide credendum statuit Richardus à S. Laurentio l. 2. de Deip. partic. 3. *initio* & Corduba l. 1. q. 44. concl. 5. Tametsi eius sententia de tacita huius veritatis reuelatione, facta Ecclesiæ extra scripturas & traditionem, rejicienda est. Sed si placeat id de fide censere, nitendum est traditioni.

An in momento creationis animæ, infusa Virgini gratia, expellens peccatum.

2. HOc cum apud Catholicos sit extra controuersiam, non est tamen inter eos planè ratum, an Deipara eam primam sanctificationem sit adepta in primo momento temporis, quo anima eius creata est, & conserta corpori intra matris vterum, tum primùm perfectè & vltimò disposito ad animæ receptionem. In quo momento, omnes nascimur, & formamur filij iræ, ac sordentes originali peccato, vi generationis ex Adamo per viã seminalẽ ordinario

modo peractæ. Non est tamen dubium, quin Deus potuerit in ea generali lege dispensare cum aliquo; & peccatum in quod alioqui vi generationis incursurus esset, potuerit remouere ab anima tunc primùm creata, infundendo ei vnà, cum esse naturali, gratiam sanctificantem cum qua peccatum mortale, (cuiusmodi est peccatum originis,) est omni modo incompossibile. Ridiculè enim aliqui quos refert Aug. Anconit lect. 2. super *Missus est*, dub. 4. imaginati sunt, in eodem temporis instanti sub diuersis signis, posse simul esse peccatum & gratiam sanctificantem. Hoc meritò ridet Augustinus Anconitanus, ac etiam Dur. in 3. d. 3. q. 2. n. 6. & Mayro in 3. d. 3. q. 1. artic. 4. Nam signa illa, non sunt instantia minora aliis vulgo dictis instantibus immissa; sed à nobis sunt excogitata, ad designandam dependentiam vnius ab alio; vel cum de decretis diuinis agitur, ad insinuandam præsuppositionem obiectorum, in quæ decretum nostro modo concipiendi multiplex, tendit. Cum ergo quantacunque vel signa vel instantia naturæ subdistinguantur in vno instanti temporis, absit tamen inde omnis duratio, nec interueniat nisi vnum momentum quoad durationem prorsùs insectibile; Fieri autem non possit, (saltem de potentia ordinaria, & vt existimo, nulla prorsus vi;) vt simul & semel idem colluceat gratia sanctificante, & tenebrescat mortali peccato; simul inquam, sit inquinatum & mundum apud Deum; simul justum & iniustum; ac ne transeunter quidem, quod contra inconsultam Petri Lorcæ opinionem Theologicam de transeunti cohæsione gratiæ & peccati, ex malè intellecta philosophica sententia de duorum expulsione formali, alibi monstratum est: sequitur fatendum omnino esse, peccatum originis, si primo momento creationis animæ interueniat, non posse eodem temporis momento, vel expelli per gratiam sanctificantem, (sic enim esset simul & non esset;) vel cum ea cohærere. Et qui in Virgine, ita de facto contigisse censuerunt; nec virginis honori consuluerunt, quam fassi sunt fuisse eo primo momento inquinatam, nec formalem pugnam & incompossibilitatem lethalis peccati & gratiæ, introspexerunt.

Quare supposita possibili dispensatione alicuius humanæ animæ ab incursu peccati originalis, in momento generationis hominis, per speciale Dei priuilegium, immittens sanctificationem cum ea labe incompossibilem; videndum restat, an illud priuilegium sit concessum B. Virgini, ac proinde anima eius in primo momento suæ creationis habuerit gratiam sanctificantem; ipsa verò Deipara in primò suæ conceptionis momento sancta fuerit.

Pars negans.

3. NEgant Thomistæ, prætendentes esse sententiam D. Thomæ 3. p. q. 27. art. 2. Negant item veteres quidam scholastici, in 3. d. 3. vbi Dur. q. 1, n. 10. item Gregor. in 2. d. 30. q. 2. Aug. de Ancona lect. 2. super *Missus est* dub. 1. Ægid. Rom. quodlib. 6. q. 20. Consentit Henricus quodl. 15. q. 13. quanquam non nisi pro solo primo momento creationis animæ: nam illicò pòst, censet aduenisse gratiam, & abactum peccatum. Congerunt pro sua sen-

tétia Thomistæ, plurimos Patres. Capreolus in 3. d. 3. profert quadraginta. Caiet. t. 2. Opusculorũ in 1. c. 4. ad quindecim se restrinxit. Addendi iisdem, qui verè id tenent Philippus Abbas l. 6. in Cant. c. 40. & Richardus à S. Laurentio passim, nominatímque l. 7. *pag.* 465. hoc ait esse quod dictum est, *tenebræ erant super faciem abyssi.* Nec non Petrus Collensis l. 6. epist. 23. qui B. Virginem in peccato originali esse conceptam, censet esse sententiam omnium retrò sanctorum. Vnde ait. [Prouerbium est, non sunt dimittendæ veteres viæ, propter nouas. Quis Sanctorum, quis antiquorum, non ambulauit semitam nostram? Credo & verè fateor, si in hoc errassent, & hoc eis Deus reuelasset. Quibus enim sua tam familiariter reuelauit consilia, vt etiam ad supplementum Euangeliorum, Epistolarum, & prophetarum, perpetua stabilitate canones & decreta statuerint, pari penè obseruantia tenenda cum Euangelio, hoc solùm eis tacuisset, si periculosum esset?] Honorius item Augustod. in Sigillo c. 5. agnoscit B. Virginem benè viuendo peccata declinasse, licet natam in peccatis, plurali nomine *peccatorum*, designans Originale peccatum, quia virtualiter est omnia peccata. Vnde etiam pueri qui hoc vno peccato sordent, dicuntur baptizari in remissionem peccatorum. Et Dauid ex legitimo licet thoro satus, se in peccatis conceptum dixit. Natam ergo in vtero siue conceptam in peccatis tradens Honorius, conceptionem illam perspicuè agnoscit peccato originis inquinatam. Conceptionem quoque Virginis peccato oblitam agnoscit Guliel. Paruus Cant. 6. ad illud, *vna est columba mea.*

4. Additur etiam ratio, fundata in scripturis, quæ docent omnes in Adamo peccasse, & quotquot ex Adamo via ordinaria generantur, incurrere peccatum originis: quod Concilia Africana necessitatem baptismi paruulorum astruentia, contra Pelagium, infinities confirmant. Ab ea autem generali regula, silentibus scripturis & diuina reuelatione indubitata, quemquam eximere, & arbitrari mundum esse ac nitentem jam ex primo momento, de immundo conceptum semine; S. Thomas q. 4. de malo, artic. 6. damnat erroris. Denique certum est B. Virginem subiacuisse morti, quæ est effectus originalis peccati. Habuit ergo etiam huius effectus causam; nempe peccatum ipsum originis. Et alioqui non esset à Christo redempta, quod tamen indubitatum esse debet, & extra controuersiam. Cum enim indubitatum sit, B. Virginem numquam subiacuisse vlli peccato actuali, quantumlibet leui; certè si fuisset exors peccati originalis, non incurrisset vllam captiuitatem è qua redimi posset. Ne ergo euacuetur crux Christi, & vniuersalis omnium hominum redemptio ab eo facta euertatur, admittunt hi autores, B. Virginem, saltem in primo momento sui esse, subiacuisse originali peccato: sententiam verò contrariam qua ea Virginis omnimoda puritas admittitur, Bartholomeus Spina Ord. Prædicat. ad tractatum Turrecrematæ de concept. damnat hæreseos.

Eligitur pars affirmans.

5. CONtraria sententia, quæ affirmat, Deiparam in primo momento sui esse, accepisse gratiam sanctificantem, atque adeò caruisse peccato originis, est mihi planè vera. Eam ego sic intelligo, vt B. Virgo ex vi quidem generationis suæ ordinario modo peractæ, contrahere debuerit peccatum originis, ideóque rectè dicatur peccasse in Adamo: reipsa tamen non contraxerit peccatum originis, ob interpositam diuinam præseruationem, per infusionem gratiæ sanctificantis, factam illo ipso instanti, quo anima fuit creata, & quo aduenturum illi erat peccatum originis, nisi gratia illud inhibens, fuisset immissa. Quia enim peccatum originis est priuatio gratiæ sanctificantis, quæ fuisset collata in generationis momento, nisi primus parens peccasset, idcirco facilè intelligimus, posse Deum præpedire incursum peccati originis, immittendo gratiam sanctificantem; qua immissa, exulet necesse est gratiæ ipsius sanctificantis priuatio.

Nec refert quod ea gratia non accipiatur vi generationis ex Adamo, sicut fuisset accepta si Adam non peccasset. Nihilominus enim quia gratia adest, necesse est excludi peccatum originis. Sicut etiamsi dies, qui directè & essentialiter constituitur luce, indirectè inferat corpus solare, tanquam lucis illius causam: tamen si eadem lux aliunde aëri obueniat quam à Sole, æquè dispellentur tenebræ, at æquè aberit nox à sic collustrato aëre, sic igitur tametsi B. Virgo in momento primo sui esse, non acceperit gratiam sanctificantem vi generationis ex Adamo, juxta primum Dei cum homine pactum, quod ferebar, vt stante semper Adamo, quicunque ex eo progigneretur, sanctitatem acciperet in ipsa generatione; (id enim est, quod dicebam homines tunc vi generationis fuisse sanctificandos:) tamen quia accepit gratiam ex beneplacito Dei, qui sibi in ea complacuit, æquè exclusum est peccatum originis, quod priuatione gratiæ sanctificantis, in puncto generationis homini debitæ, continetur.

Sententiæ de immaculata & planè pura B. Virginis conceptione passiua, sic explicatæ, subscripserunt antiqui permulti, in 3. dist. 3. nominatim Scotus cum vniuersa schola sua; & extra eam Argentina, Cartusianus, Gabriel, Almainus, ea dist. 3. Item Baconus in 4. d. 2. q. 3. & 4. & quodl. 3. q. 13. Pelbartus toto l. 4. stellarij, Catharinus tract. de concept. & lib. 4. contra Caiet. Iacobus de Valentia in disputatione subiuncta psalmo 45. fusè & benè. Et in Cant. Deip. *ad vers.* 4. dignitate 2. Bellarm. l. 4. de amiss. gratiæ & statu peccati c. 15. 16. & 17. Canisius l. 1. de Deip. cap. 6. & 7. Vasq. 3. p. d. 117. Val. 3. p. d. 2. q. 1. p. 2. Suar. t. 2. 3. p. d. 3. sectione 5. Spinellus de Throno Dei c. 7. à n. 4. Scortia Theor. 301. Benzon. in psal. 86. c. 40. tradit. 15. Iustinia. 1. Ioan. 1. *vers.* 8. Morales l. 3. in Matth. tract. 1. qui innumeros in eandem sententiam proferunt, præter alios deinceps secutos.

Propensio Ecclesiæ in sententiam propositam.

6. HAnc sententiam, Ecclesia tametsi non definiuit, nec tanquam ex fide tenendam proposuit, habet tamen valdè acceptam & gratam, præ contraria cui nuperis summorum Pontificum Pauli 5. & Gregorij 15. constitutionibus,compedes quodammodò iniecit; negata illi quacunque progressione in publicum, siue ad sacrum pulpitum, siue ad scolasticum suggestum; ac etiam quod multo arctius est, ad priuatum cum altero colloquium, rescisso magnam partem iure liberi commeatus, quo Pius 5. illam donauit sua de hoc argumento constitutione, quam latè expendit Camitolus l. 6. respons. q. 40. E contrario autem, eadem Catholica Ecclesia, sententiam quæ immaculatæ conceptioni B. Virginis astipulatur, liberat omni periculo: docens eam non esse vlla censura dignam, & grauiter damnans illos, qui eam percellere ausi fuerint. Cultum item ex ea sententia Deo & B. Virgini exhibitum collaudãs, & ad eum exhibendum, quâ festi institutione, quâ officij peculiaris approbatione, quâ indulgentiarum ex thesauro Ecclesiæ, liberali largitione inuitans. Quæ omnia, videre est in duplici de hac re Decreto Sixti quarti, confirmato per Tridentinam Synodum sessione 5.

7. Et festum quidem, adeò auersatus est Diaboli superiore seculo primogenitus, Lutherus; vt quanquam ipsam conceptionem,statuat fuisse purissimam, vt videre est serm. de Concept. tamen de festo, dixerit, *nullum festum magis odi quàm festum Conceptionis, & corporis Christi.* Sed quod de Nerone censuit Tertullianus c. 5. Apolog. tali damnatore huius festi gloriandum est. Qui enim scit illum, intelligere potest, non nisi grande aliquod bonum à Luthero esse damnatum. Aptè sanè in hoc festum cadit, quod S. Damascenus Orat. 3. de Natiu. Virginis, de festo Natiuitatis dixit. Nam & hæc est natiuitas quædam, iuxta illud, *quod in ea natum est, de Spiritu sancto est* Ait ergo Damascenus. [Virginis Natiuitas, festorum est anteambulo, mysterij Christi præludium: Oportebat enim priùs palatium parari, atque ita Regem adesse.] Quàm verò hoc festum sit antiquum, attingit Baron. ad Rom. Martyrol. 8. Decemb. nec non Ferreolus Locrius lib. 6. Mariæ Augustæ c. 1. adducens varia placita. Idipsum versat diligentissimè Salaz. in opere de concept. toto c. 35. qui ibidem c. 33. num. 4. ex pleniore editione Bullæ Sixti 4. confirmata per Alexandrum 6. in extrau. *Illius qui se*, descripta in monumentis Minorum, monstrat excommunicatione irretiri aduersarios; cum festum de quo agimus, contendunt non de conceptione idest animatione prima corporis B. Virginis per infusionem animæ in illud; sed de sanctificatione post aliquod tempus subsecuta, saltémque non in ipso primo momento facta, celebrari: *Reconceptionem* vocat Rich. à S. Laurentio l. 12. *pag.* 1042. Negans conceptionem esse celebrandam,ídque admittens de reconceptione,Sed vt benè vrget Bachonus quodl. 3. p. 13. non aliud celebrat Ecclesia,quàm quod præfert vox *Conceptionis*, quæ Calendario Romano adscripta legitur.At vox *Conceptionis*,

non aliquid factum post animationem denotat, sed ipsam primam animæ cum corpore coniunctionem; quæ cum per se non fuerit cultu digna, imo apud Iobum & Ieremiam, ob adiunctam originalis peccati labem, exosa sit, nec vno telo feriatur; facta tamen est dignissima cultu & veneratione, ob sanctitatem qua in Virgine enituit. Nec possunt ista eneruari, ex eo quod Græci suo item Calendario inscripserint vt Deiparæ, (quanquam non 8. vt nos, sed 9. Decemb.) sic Ioannis Baptistæ conceptionem, 23. Septembris. Viderint quippe Græci, an conceptionem ipsam B. Ioannis sanctam fuisse velint, eámque idcirco festiuam exigant. Romana autem Ecclesia, quia conceptionem Ioannis non censet à peccato parentali fuisse liberam, meritò festum de ea non admisit: Sicut ob contrariam causam, admisit festum de conceptione Deiparæ, quia eam agnoscit sanctam, & à peccato liberam. Et quanquam Bellarminus l. 3. de sanctis c. 16. agnoscit sanctam quoque esse posse huius festi celebrationem, tametsi conceptio B. Virginis sancta non fuisset, quia hoc fuit primum pignus certum nostræ redemptionis, & magna gaudij nostri, ac gratiarum actionis Deo pendendæ materia; tamen negari non potest, quin mens Ecclesiæ sit, Deum ex sanctitate ipsiusmet Conceptionis honorare per hoc festum, vt patet ex D. Bernardi censura in primos huius festi cultores intorta; quæ alioqui fuisset prorsus irrationabilis. Igitur ex huius festi cultu rectè infertur sanctitas conceptionis.

8. Eadem est ratio officij, quod de Conceptione recitatur ex Ecclesiæ præscripto. Et olim quidem vsurpatum est peculiare officium de conceptione cuius meminit Sixtus 4. Postea tamen à Pio 5. siue ex priuato ad contrariam partem affectu, vt aliqui suspicati sunt; seu potiùs vt omnia ad pristinum morem reuocaret, & reuelationi Helsimo Abbati, tempore S. Anselmi factæ, se conformaret; institutum est, vt officium, idem hac die esset quod in die Natiuitatis B. Virginis, solo *Natiuitatis* nomine, mutato in nomen *conceptionis:* quæ etiam in 8. responsorio, *sancta* nominatur in actu signato. Ibi enim sic dicitur, *sentiant omnes tuum iuuamen, quicunque celebrant tuam sanctam conceptionem.* Audin' *sanctam conceptionem*? Denique indulgentiæ, quæ tantùm valent quantum sonant, expresè conceduntur iis, qui tale officium frequentauerint, & festum de conceptione passiua B. Virginis, celebrauerint.

Par argumentum peti potest, ex approbatione Religiosi ordinis, sub titulo *conceptionis immaculatæ*; itémque ex templis & altaribus eodem titulo consecratis. Quæ omnia perspicuè declarant, quàm sententia cui subscripsimus, accepta & grata sit Ecclesiæ Catholicæ; & mentem eius de puritate & nitore conceptionis B. Virginis, apertè præferunt. Venit autem Ecclesia in hanc mentem, partim quia aduertit scripturas fauere huic veritati; partim, & maximè quia non obscuræ hac de re traditionis vestigia, apud omnes retrò Patres deprehendit. Nec inualidum à ratione præsidium desiderari perspexit. Attingamus breuissimè singula.

Scriptura pro eadem sententia, & varij ex eis Typi.

9. SCripturas dixi fauere. In eis quippe B. Virgo, celebratur tanquam tota pulchra & absque macula, & prædicitur contritura caput serpentis, gestúraque æternas cum Satana inimicitias. Priorem locum ex c. 4. Cantic. depromptum, Deiparæ accommodant Cantacuzenus ad eum locum Canticorum afflatum S. Spiritus singularem, in verbis illis agnoscens, necnon Alanus & Rupertus ibid. in Catena Delrij. Latè item Hugo Victor. serm. 9. instit. Monast. Et pulchrè Idiota c. 2. contempl. de S. Maria. Scribítque Pelbartus l. 4. stellarij part. 1. art. 3. Alexandrum Alensem jam jam acturū animam, eo loco ad Deiparam aptato, sic eam affatum, commendantem per illam Deo exitum suum. *Tota pulchra es amica mea, & nulla macula, neque originalis, neque actualis est in te.* Posteriorem locum allegatum, qui habetur Genes. 3. copiosè in eundem sensum ex variis Patribus expendunt Salaz. l. de concept. c. 19. à n. 8. & Perlinus l. de concept. distinct. 4. cap. 1. necnon ad illud caput Pererius atque Fernandius, ibidémque Delrio; & in adagialibus ex eodem capite, dispellens offutias hæreticorum. Atqui perspicuum est B. Virginem falsò dicendam esse totam pulchram & absque macula, si in primo momento sui esse, sorduisset labe turpissima atque mortali cuiusmodi est peccatum originale. Perspicuum præterea est, B. Virginis ac Satanæ, quem spectabat vibrata in serpentem sententia, benè aliquando consensurum, si Virgo fuisset aliquando in lethali peccato: nec fuisse contrituram caput Satanæ, si subiacuisset peccato originis, quod est verè caput dæmoniacum, & initium totius prauitatis in homine. Quare ex eo loco non incommodè colligitur, Christum dominum (vt dixit S. Dyonisius Alex. Epist. contra Paulum Sanosetanum) *matrem incorruptam, à pedibus vsque ad caput benedictam seruasse*; idest matrem suam à primo vitæ momento, ad extremum vsque halitum, puram prorsus, & ab omni labe liberam esse voluisse. Locum ex psal. 45. *adiuuabit eam Deus manè diluculo*, quem in hanc rem accipit ibi Iacobus à Valentia, sciens prætermitto; tametsi non est inutilis, cum adiuncti versiculi aptentur Virgini ab Ecclesia.

10. Accedunt typi summæ puritatis B. Virginis nulla vnquam labe violatæ, latentes in Scripturis plerisque antiquis, iuxta Patrum interpretationem. Sic enim B. Virgo terræ, è qua Adam ante maledictionem illatam formatus est, comparata legitur à S. Andrea in actis eius, conscriptis per Clerum Achaiæ, & S. Bernardo serm. de B. Maria componitur cum arca Noë; tum alias ob causas quas minutè exquirit, tum maximè iccirco quod sicut arca illa nihil damni sensit, ab aquis, ita B. Virgo [nullius (inquit) vitij naufragium sensit.] Ibidem quoque S. Bernardus, arcam de lignis Sethim imputribilibus à Beseleele confectam & ornatam, accommodat Deiparæ à Spiritu sancto prælectæ, præseruatæ, præparatæ, & ornatæ. Nubem diei nunquam tenebrescentem & semper luce perfusam, qua præuia deducti sunt à Deo filij Israel, S. Hieron. in psal. 77. præsignasse ait B. Virginem. Iuditæ de Holopherne victoriam,

Esthoris apud Assuerum gratiam, varij huc accommodant. Nemo in his purissimis typis Virgini aptandis, feracior Ioanne Geometra cum hymno quadruplici in B. Virginem, tum longo & illustri loco qui describitur in Catena Corderij ad c. 1. Lucæ. v. 36. Hos & alios plerosque Deiparæ typos, quibus eius perpetuus nitor nulla vnquam quantulacunque labe infuscatus exhibetur, varij Patres ad B. Virginem accommodant, vt latissimè referunt Catharinus l. 3. de concept. *post medium*, & Salaz. l. de concept. c. 38. Spinellus in Throno Dei c. 7. à num. 12. Perlinus l. de concept. dist. 6. tota vt taceam Biblia Mariana Alberti Magni, & libros de Deipara Richardi à S. Laurentio, qui scatent antiquis huiusmodi typis, perfectam puritatem B. Virginis, nunquam vel leuiter contaminatam, præferentibus.

11. Fateor omnia ista ex scripturis petita pro puritate conceptionis Deiparæ, nec non alia quæ confertim addensat Iustinianus 1. Ioan. 1. vers. 8. à n. 42. ad 53. vix in alio sensu ad hanc rem aptari, quàm in allegorico, qui cum de dogmatibus agitur, non subministrat argumenta planè valida, vt obseruat Gillius l. 1. tract. 7. cap. 5. & fusissimè prosequitur Maximil. Sandæus in Theol. Symbolica l. 6. comment. 5. exerc. 6. habetúrque ex S. Dyonisio epistola ad Titum, docente Theologiam Symbolicam non esse argumentatiuam. Certum nihilominus est, argumenta ex huiusmodi scripturis petita, non posse prorsus contemni: Nam in scripturis Testamenti noui, videmus interdum contexi argumenta ex locis veteris instrumenti, in hoc sensu acceptis; vt in epistola ad Hebræos, cum sacerdotium Christi probatur ex antecedente quondam eius figura. Et apud Ioannem, cum liberatio Christi à crurifragio probatur ex integris & comminui vetitis ossibus Agni paschalis. Quare & per se sensus ille respuendus non est; & accedente communi sensu Doctorum, aut Ecclesiæ accommodatione, plurimùm confert. Certè S. Bernardus serm. 3. de Vigil. Natiu. dom. *initio*, cum disserendum suscepisset de verbis illis Mosis; *Hodie scietis quia veniet dominus*, quæ ab Ecclesia accommodantur ad Christi in carne aduentum per natiuitatem ex matris vtero; ídque extortum videri posse non ambigeret, ait: [Verba hæc quidem suo loco & tempore in scriptura posita sunt; sed non incongruè illa, Vigiliæ Dominicæ Natiuitatis, Ecclesia Mater aptauit. Ecclesia, inquam, illa quæ secum habet consilium & Spiritum sponsi & Dei sui, cui dilectus inter vbera commoratur, ipsam cordis sui sedem principaliter possidens, & conseruans. Nimirum ipsa est quæ vulnerauit cor eius, & in ipsam abyssum secretorum Dei, oculum contemplationis immersit, vt & illi in suo, & sibi in eius corde perennem faciat mansionem. Cùm ergo ipsa in Scripturis diuinis, verba vel alterat, vel alternat, fortior est illa compositio, quàm positio prima verborum: & fortassis tanto fortior, quantum distat inter figuram & veritatem, inter lucem & vmbram, inter dominam & ancillam.]

12. Non approbo ego quidem, quod ab Episcopo quodam pereruditio, auditum à se pro suggesto scribit Iosephus à Costa l. 3. de Christi reuel. c. 11. nimirum eam esse Ecclesiæ vim, vt quæ de sapientia Dei literaliter dicta

essent, etiam literaliter intelligi deberent de Virgine matre, cum ad eam in eius officio accommodantur, verumque & proprium, & vt passim vocamus literalem sensum illorum verborum sacrorum, esse eum in quem ab Ecclesia recitantur. Vnde is Antistes, veritatem conceptionis immaculatæ, ex iis scripturis quæ in officio Ecclesiastico diei Conceptionis in Ecclesia leguntur, firmari ineluctabiliter censebat. Hoc ego non approbo: quia Ecclesia per accommodationem suam, non potest loco scripturæ tribuere sensum literalem quem priùs non haberet.

Nec illud item admitto, quod à Costa c. illo 11. contendit; nempe sensus istos accommodatitios ab Ecclesia factos, non minoris esse certitudinis, quàm cum verba scripturæ in primarium & proprium sensum referuntur; eo quod Spiritus sancti assistentia, passura nunquam sit, vt in re tanta, populo Christiano illudatur. Hoc quoque repudio, neque enim Ecclesia sic accommodans locum aliquem, nisi aliunde habeat certam notitiam veritatis ad quam eum locum aptat; intendit, vel etiam intendere potest, eam definire vi illius loci: Definiret autem si tantam ei certitudinem conciliaret, quantam habet locus acceptus in sensu proprio & literali. Duntaxat ergo intendit Ecclesia per has accommodationes, accendere & fouere fidelium pietatem, illustratione mysterij ad quod scriptura quæpiam accommodatur: ad quod non exigitur, vt locus aptatus validè confirmet veritatem, quæ ab Ecclesia intenditur aut recolitur: tametsi ad eius confirmationem non sit inutilis, imo vt dicebam, plurimùm conferat, præsertim apud dociles & Ecclesiam reuerentes.

Denique difficile est euincere, quod de his locis in sensu accommodatitio vsurpatis, contendit Alcazarius l. 4. in Apocal. c. 2. vers. 1. notat. 2. nempe propter vnionem Virginis cum Christo, Spiritum sanctum in sensu secundario à se intento, expressisse Virginem, iis ipsis locis quæ de Christo sunt in sensu primario. At quid dicemus de locis ad Christum non pertinentibus, Virgini tamen accommodatis ab Ecclesia? cuiusmodi est illud. *Maria optimam partem elegit.* Num aliqua vnio inter Deiparam & Magdalenam fingenda erit, vt Spiritus sanctus in sensu secundario eam accommodationem intendisse asseratur? Quare ratum sit, quod dixi, has non esse nisi accommodationes ob Ecclesiæ autoritatem, qua perfunduntur, nequaquam spernendas, non tamen ex Spiritus sancti intentione, etiamsi tantum secundaria, huc pertinentes.

Reuelationes & miracula.

13. SCripturarum suffragationi, haud immeritò subnecti queant reuelationes & miracula, tanquam diuinæ testificationis tesseræ. Quanquam enim neutrum motiuum, est per se satis potens ad injiciendam omnibus fidelibus obligationem credendi fide diuina Catholica, rem in quam cadit; (esto reuelatio, eum cui fit, éstque certus de reuelationis veritate, obliget ad credendum diuina fide priuata; de quo aliàs,) tamen negandum non est, quin vtrumque

illud motiuum sit valde idoneum ad persuadendum, & diuina autoritate aliquatenus perfusum censeatur.

Ex reuelationibus ergo quæ in hanc rem adducuntur explicatissima est quam habet S. Brigitta l. 1. c. 9. & l. 6. c. 49. Eleuant illam aduersarij, sed admodùm infœliciter vt ostendit Cathar. l. 4. contra Caiet. *pag.* 356. Reuelationem factam Helsimo vel Herluino Abbati, S. Anselmus testatam dedit variis locis signatis 1. p. Syntaxeos opusculorum. Eam quóque eludere tentauit Petrus Cellẽsis l. 6. epist. 23. Anglicanas reuelationes, ob loci vliginem, crebrioribus inibi somniis annumerans. Quæ irreuerentiùs dicta, non sunt conuellenda pluribus. Idem fuisse reuelatum S. Elisabethæ, refert Pelbartus l. 4. p. 1. art. 3. testimonio 12. qui ex Ioanne Vitali, & Henrico de Hassia, addit alias reuelationes eiusdem veritatis, roboratas miraculis.

Sed illud quoad miracula illustre est, quod scribit de Alexandro Alensi, qui cum octauo Decembris, publicè docuisset conceptionem Deiparæ fuisse maculatam; illico graui morbo tentatus est: & recurrente ea die quotannis, ea infirmitate occupabatur adeò grauiter, vt ferè opprimeretur: donec deprehensa reuenientis stata die morbi vera causa, homo adhuc secularis, vt scribit Bernardinus de Busti in Mariali 1. p. serm. 7. parte 2. votum vouit se deinceps in alia fore sententia, eámque edito libro confirmaturum. Voti emissionem, consecuta est festina sanatio, & libri per Alensem conscriptio pro pia sententia, in qua tantoperè mentem fixit, vt etiam moriens, in eius professione efflare animam voluerit. Suo tempore, sanitates & gratias admirabiles, interposita conceptione immaculata impetratas, testatur Catharinus l. 4. contra Caiet. *pag.* 357. Hæc igitur & alia in hanc rem à plerisque collecta, tametsi diuina testificatione perfundi videantur, ideóque magni sint facienda, tamen quod non paucis cauillationibus pateant, & indociles minùs flectant, habemus firmiorem scripturarum sermonem, cui benè fecimus attendentes.

Patres pro eadem sententia.

14 AD diuinam suffragationem, ex scripturis & reuelationibus ac miraculis petitam adiungendus est sensus Patrum, qui traditionis diuinæ argumentum suppeditat. Tam multa porrò Patrum loca in hanc rem vbiuis præstant, vt superuacaneum videatur, grauare se labore, aliqua de nouo congerendi. Diligenter Salazarius l. de concept. c. 42. per singula Christiana secula, digessit testimonia Patrum qui conceptionem puram B. Virginis, agnouisse visi sunt. Et multos quoque, Græcos pariter & Latinos, collegit Coccius t. 1. Thesauri l. 3. artic. 1. Eminent ij qui B. Virginem, omni ex parte puram, & incontaminatam, ac prorsùs impollutam, ipsísque beatis spiritibus puriorem & nitidiorem nominant. Multa huiusmodi ex S S. Ephremo, Basilio, Ambrosio, Nazianzeno, aliísque Patrum primoribus, profert in hanc rem Iustinianus 1. Ioan. 1. ad vers. 8. à num. 55. Virginem in partu doloribus puerperarum per Euæ culpam transfusis caruisse, quia cum aliis natura com-

municabat, non culpa, dixit Autor sermonis de Natiu. dom. apud Cyprianum. Optimè S. Aug. l. de natura & gratia c. 36. cum de peccatis agitur, (nec se restringit ad vllum prorsùs peccatum ; imo maximè agit de originali ; vt benè expendit Cathar. l. 2. de concept. §. *est & alia.*) negat velle se vllam prorsus quæstionem habere de B. Virgine : eo quod ob filij dignitatem, ab omni peccato immunis fuerit. Laudant pro immaculatæ conceptionis nitore, hunc D. Augustini locum, Iacobus de Valentia in psal. 45. in fine conclusione quarta, & Autor sermonis quarti super *Salue Regina* apud Bernardum. Estque reuera insignis locus, perperam Petrus Cluniac. l. 5. epist. 7. allegat eum ex lib. de perfect. justitiæ Notatu item in hanc rem dignus est Damasceni locus ex orat. 1 de Natiu. Virg. quo ad conceptionem Virginis, è beatis Ioachimi lumbis, immaculatum semen fluxisse docet, & naturam in eo conceptu, ausam esse gratiam anteuertere, diffitetur. Apertè veritatem propositam docet Honorius in Sigillo circa illud Cant. 5. *vt aperirem dilecto meo.* S. Hildephonsus expressissimè tradit hanc sententiam l. de perpet. B. Mariæ Virginitate, & parturit. *Ante medium*, & *ferè in fine.* Disertè quoque Petrus Damiani ser. de Annunc. Et optimè quoque serm. de assumptione, nec non creditus Anselmus, reuera Heruæus 2. Cor. 5. & Laur. Iustinia. in fasciculo amoris c. 7. & l. de perfectionis gradibus, ac libro de casto connubio Verbi & animæ c. 7. & Idiota l. de B. Maria c. 2. & 6. Ioannes denique Geometra hymno 4. sic affatur Virginem. [*Gaude primæui libera labe Patris* ;] id est, quæ peccatum originis non incurristi. Et paulo ante. [*Et vitij nostri crimine, Virgo carens.*]

Discussa varia Patrum loca, minùs idonea.

15. ABstineo consultò pluribus, nominatímque nonnullis grauissimorum Patrum, sed parum fideliter prolatis locis. Eiusmodi est, quod Gerardus Vassius ad orat. 1. Gregorij Neocæsar. de Annunc. contendit, antiquissimum illum Patrem, clarè & disertè tradere B. Virginem esse conceptam absque originali peccato ; quia ait, ex omnibus generationibus hanc solam Virginem esse sanctam corpore & spiritu, ac impollutam, & Euæ in gratia productæ, antistropham. Iungítque in eam quoque sententiam, S. Ephremum, quia in Encomio, vocat B. Virginem, planè puram & immaculatam, ac ab omni labe peccati alienissimam. Quæ omnia aduersarij, facilè accipient de Virginis nitore quoad peccata actualia tantùm.

Æquè imbelle est, quod ex S. Athanasio epist. ad Epictetum refert Coccius t. 1. l. 3. art. 1. nempe quod agnouerit conceptis verbis, Dei genetricis conceptionem fuisse sanctam & immaculatam. Locus quidem Athanasij qui producitur, non habetur in Epist. ad Epictetum, sed in serm. de sanctissima Deip. quem Baro. anno Christi 48. n. 14. verius censet non esse Magni Athanasij, sed alicuius Concilio Ephesino & Chalcedonensi posterioris. Cuiuscunque verò sit is locus, nullo modo facit ad rem præsentem : cum in eo sermo sit de conceptione actiua B. Virginis ; hoc est qua concepit filium ; quam conceptionem

tionem fuisse prorsus immaculatam, nemo non videt. Sed nos agimus de conceptione passiua B. Virginis, qua scilicet ipsa accepit esse per generationem ex parentibus.

16. Pari æquiuocatione, aliqui allegant pro hac veritate Flauium Dextrum S. Hieronimi æqualem, in Chronico quod eidem S. Hieronimo dicauit. Ibi enim anno Christi 368. num. 9. sic habet. [A Iacobi prædicatione, celebratur in Hispania festum immaculatæ & illibatæ conceptionis Genitricis Dei Mariæ.] Verùm vt dissimulem quanta sit illius Chronici fides, quæ apud Pennotum, aliósque multos admodùm notat; agit quoque ibi autor de conceptione actiua B. Virginis, quæ à nobis nunc non attenditur; ídque & Biuarius ibi annotauit, & patet ex contextu: Nam festum conceptionis passiuæ B. Virginis, paucis ante seculis, & in Hispania, & in vniuersa Ecclesia est institutum.

Quidam nuperus, ad eum titulum Litaniarum Lauretanarum *Mater purissima*, allegat pro immaculata conceptione hunc locum ex libro S. Ambrosij serm. de perpet. B. M. Virginitate. [Anima Mariæ, non fuit à casu eleuata, sed præseruata: aliàs non fuisset Virgo, sed peccato corrupta.] Adducit & istum locum ex S. Maximo in quodam sermone. [Hæc quæ fuit admirabilis Dei thalamus, cœleste templum, tabernaculum gloriæ, de quo speciosus prodiit sponsus, lux gentium, spes fidelium, condecenter & congruè nulla macula originali contaminata est.] Verùm nihil ista, ad stabiliendam tantorum virorum suffragio conceptionem immaculatam; cum vterque locus sit apertè confictus; Et ratio quæ in priore loco adducitur, sit planè vana. Neque enim si B. Virgo incurrisset peccatum originis, excidisset Virginitate, vt notum est; indéque confirmatur, quod alioqui de fide esset B. Virginem caruisse peccato originis, cum sit de fide eam semper virginem fuisse.

17. Conceptissimum, planéque luculentum S. Cyrilli Allexandrini locum pro immaculata conceptione passiua B. Virginis, ex libro 6. in Ioan. c. 15. allegat. Feuard. in 3. Iren. c. 33. Sed hæc est decipula lectori posita, non immaculatæ conceptionis stabilitio ex S. Cyrillo. Liber quippe ille qui adducitur, vt & tres reliqui intermedij, sunt Clictouæi Doctoris Parisiensis, qui ad explendam lacunam operis illius S. Cyrilli, cuius quatuor duntaxat primos & quatuor postremos libros habemus, de suo adiunxit libros quatuor intermedios hactenus desideratos. Notauerat hanc Feuardentij, siue hallucinationem siue stropham, Suares t. 2, 3. p. d. 5. ne lectori deinceps imponeretur: eáque verborum mollitudine & parcitate id notauerat, vt non esset iustæ offensioni locus. Eam tamen haud effugit. Nam Feuardentius alia eiusdem operis editione, ad idem Irenæi caput, quotquot apud Suarem, in tot támque spissis voluminibus obseruare potuit errores Typographicos, vel ad calcem cuiusque voluminis pro more signatos inuenit, in verticem eius regessit. At meminisse oportuerat, aliùd esse mendum per operas nullis literis tinctas, aut plus justo festinantes irrepens, aliud allegationem obscuri & nupertimi autoris, pro Patre admodùm antiquo, & illustrissimo Ecclesiæ Doctore: Is enim

fuit præ Clyctouæo S. Cyrillus, quem *omnium Patrum signaculum* indigetauit Anastasius Sinaita. Damasceni luculentum locum, pro hac veritate, adducit Galatinus lib. 7. cap. 5. Sed ex Martyrologio, quod Damasceni esse non constat.

18. Allegatur ab aliis, locus ex S. Bernardo serm. 4. super *Salue regina*, vbi agnoscit omnimodam innocentiam Virginis, etiam ab originali peccato. Verùm neque sermo ille est Bernardi, neque affirmat nisi emundationem à peccato originis jam contracto. Sic enim habet, alloquens Deiparam. [Turris es Libani. Libanus mons qui dicitur *dealbatio*, altam præ omnibus signat innocentiam suam. Innocens fuisti ab originalibus & actualibus peccatis. Nemo ita, præter te. Vnde autoritas Augustini; *Cùm de peccatis agitur, nullam de Beata Maria volumus fieri mentionem. Ex eo enim maiorem credimus ei collatam virtutem ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere & parere meruit, eum qui nullum habuit peccatum. Ex omni* (inquit) *parte*: hoc est ex parte originalis, & ex parte actualis peccati: Ea ergo sola excepta, cæteri omnes quid dicere possunt, nisi quod ait Apostolus Ioannes; *Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Ego quoque pia fide opinor, in vtero matris tuæ, ab originalibus te absolutam peccatis: nec vana est fides, nec opinio falsa. Denique & rationes & autoritates inueniuntur ista stipulantes. Et quidem ratio sic, Si alij in vtero matris fuerunt sanctificati, multò magis tu mater Domini: sed Hieremias & Ioannes, alter sanctificatus, alter Spiritu Sancto repletus in vtero matris leguntur: Ergo & tu Maria genitrix Dei: quæ sola totam Spiritus Sancti gratiam possedisti, quam alij habuere per partes. Te enim Angelus Gabriel pronunciauit gratia plenã. Tuum odorem longè ante, in filio, Patriarcha Isaac trahebat dicens; *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni.* Tu es ager plenus, plena virtutum, plena gratiarum. Tu protulisti frumentum electorum, quod est etiam Angelorum cibus. Te benedixit Dominus. Te, inquam, benedixit dominus, vt per te benedictam, vita veniret, sicut mors per Euam processit at maledictam. De te secretorum cœlestium conscius Salomon dicit. *Quæ est ista quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra vt Luna electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Aurora semper noctem sequitur, nox præcedit aurotam. Quid autem est frigida & obscura nisi originale peccatum, frigidum concupiscentia; obscurum ignorantia? Tu ergo processisti vt aurora lucida & rubicunda, quia superatis originalibus peccatis in vtero matris, nata es lucida cognitione veritatis & rubicunda amore virtutis. Inde est quod natiuitatem tuam sanctam, sancta Ecclesia Festiuis celebrationibus honoret, quod aliàs non faceret. Denique nullius præter te, nisi Domini filij tui, & Ioannis Baptistæ, (qui vtique sancti nati sunt,) colit natiuitatem. Cum igitur tam claræ autoritates diuinæ, tuam ab vtero testentur innocentiam, quis vltra dubitet sanctam te, & immaculatam huic mundo progenitam? En quomodò innocentiam ab originalibus peccatis, in sola ante natiuitatem sanctificatione reponit.

19. Tandem vt aliam quoque, vel suppositionem, vel hallucinationem non-

nullorum in hac causa non dissimulem, plerique eorum qui pro vera sententia, & puritate conceptionis Deiparæ pugnãt, vrgent Thomistas contra sentientes, autoritate S. Dominici, quem referunt l. de corpore Christi, astipulatum immaculatæ conceptioni B. Virginis. Ita Tartaretus in 3. d. 3. Galat. l. 7. de arc. c. 5. Pelbartus l. 4. p. 1. art. 3. Canisius l. 1. Mar. c. 7. Suares t. 2. 3. p. d. 3. sect. 5. Perlinus l. de concept. distinct. 10. c. 13. Verùm Dominicus, autor libri prædicti de corpore Christi, non fuit S. Dominicus Ordinis Prædicatorum autor, quem rerum eius scriptores, tale quippiam præstitisse non produnt: sed vt habetur ex Iacobo de Susato, in Chronico Ord. Prædic. & ex Antonio Senensi in Bibliotheca Illustrium virorum eiusdem ordinis, ac etiam ex Maluenda l. de parad. c. 60. autor libri illius de corpore Christi, fuit Dominicus de Pantaleonibus, eiusdem instituti, qui S. Dominicum, annis quadraginta est subsecutus. Itaque non facesset Thomistis tantum negotium is locus quem negabant ad Patrem & autorem suum pertinere.

20. Æquè ambigo an firma apud Thomistas futura sit, fides narrationis quam refert Pelbartus l. 4. Stellarij parte 1. artic. 3. *sub finem*, narrat ibi Pelbartus, S. Dominicum cum in ora Tholosana confligeret cum Hæreticis, tres articulos de quibus erat illi lis cum Sectariis, nempe de Christi diuinitate, de veritate præsentiæ Christi in Eucharistia, & de B. Maria verè Deipara; (quod vltimum, eam ob causam negabant Hæretici, quia fuerat maculata peccato originali,) curasse ex condicto vtrinque in chartis papyraceis, (libellum vocant varij scriptores rerum S. Dominici) sententiam cuiusque conscribi; quibus in ignem iniectis, eæ continere veritatem censerentur quæ ab igne mansissent intactæ. Mirum dictu; iactis ex composito vtriusque partis chartis in fornacem ardentem, & simul cum charta sua, Eucharistiæ sacramento, per S. Dominicum in eosdem igneos globos coniecto, sectariorum quidem syngrapha momento consumpta esset; charta autem S. Dominici qua nitens & dura Deiparæ conceptio affirmabatur, post triduum vnâ cum Sanctissimo Christi corpore, est educta planè illæsa. Obsignat Pelbartus narrationem, dicens; Tanto miraculo attonitos hæreticos resipuisse, rémque totam sepulchro hominis Dei inscriptam fuisse. Hæc si constanri apud omnes veritate niterentur, non parum contra aduersarios momenti haberent. Sed nec ipsi hanc narrationem esse veram agnoscent, nec vlli veteres scriptores prodiderunt, fuisse D. Dominico cum Tolosanis hæreticis controuersiam de puritate conceptionis passiuæ B. Virginis. Itaque tota ea narratio, non vacat suspicione figmenti. Apage verò à matre veritatis commenta. Non eget B. Virginis immaculata puritas, fulciri baculis hisce arundineis, perforantibus innitentium manus, cui tam multa solida & firma, omnísque periculi vacua suppetunt firmamenta.

Dimissi externi, quamuis astipulati propositæ sententiæ.

21. EAmque ob causam, non placet cum nonnullis, externorum in hanc rem suffragium anxiè corrogare; Rabbinorum inquam, & Saracenorum. Rabbinos aceruat benè multos Galatinus toto propè libro 7. Saraceni, tametsi à Christiana fide alieni, tamen Deiparam (cuius in Mahumeti scriptis aliqua mentio cum summa laude est,) cuiusuis peccati, nominatimque Originalis expertem esse statuerunt: idque ab illis ex Euangelio Arabico multis fœditatibus commixto haustum, refert Galat. l. 7. c. 5. Verba Alcorani in hanc rem formalissima, exhibet Pelbartus l. 4. Stellarij p. 1. artic. 3. testimonio 9.

Huc etiam pertinet, quod Iacobus Peres de Valentia ad vers. 3. Cantici Deiparæ, narrat accidisse Auenione, anno Christi 1322. sedente ibidem Ioanne 22. Rem alibi à me non lectam, placet prædicti Autoris verbis referre, ne quid appinxisse videar. Probat ergo Iacobus nitorem & puritatem conceptionis Deiparæ, quia [hoc fuit decens ex parte nostri, ad remouendum omne scandalum, tam à fidelibus, quàm ab infidelibus. Nam magnum scandalum infert & generat in animo & auribus audientium, dicere Matrem Dei aliquando fuisse in odio & ira Dei, & in seruitute & captiuitate Diaboli. Vnde anno Domini 1322. Ioanne xxij. in sede Apostolica constituto, venit quidam filius Soldani Armeniæ, Græca & Latina lingua eruditus, ad nostras partes Latinas cum saluo conductu, ad videndum mores & ritus Christianorum; & fuit receptus Auenione in curia Papæ cum magno honore, qui quotidie intererat in solemnitatibus diuinorum officiorum, in quibus maximè delectabatur. Et accidit in die Conceptionis Virginis Mariæ, quod quidam ascendit ad prædicandum: in qua prædicatione voluit probare per quasdam autoritates sacræ Scripturæ, Virginem Mariam contraxisse culpam originalem. Quibus verbis auditis, intantum fuit scandalisatus ille filius Regis Armeniæ, quo surrexit à loco, & cum magno furore dixit Papæ & Cardinalibus, quod mirabatur de ipsis qui erant capita Christianæ Religionis, vt talia tolerarent audire de Virgine Maria. Vnde etiam dixit, quod si quis talia dixisset in conspectu Califæ aut Soldani Ægypti, aut in conspectu aliorum Sarracenorum, nullo pacto potuissent euadere quin ab omnibus lapidaretur, quantumcunque ille esset magnus. Imo si quis talia dixisset de Matre Mahometi, nullo pacto euaderet mortem. Et sic iste taliter scandalisatus, reuersus est in regionem suam, qui ante deliberauerat baptismum suscipere.] Edita nuper à Bosqueto Ioannis 22. & aliorum qui Auenione sederunt Pontificum Romanorum acta, nihil tale produnt. An quod Scriptor tametsi Anonymus, erat Ordinis Prædicatorum, nec in puritatem conceptionis Deiparæ benè animatus; vt patet ex iis quæ in gestis Clementis septimi scribit, referens turbas in F. Ioannem de Montesono tunc Lutetiæ excitatas, ob damnatam ab eo impuritatis ac sordium parentalium, conceptionem B. Virginis Mariæ? Minùs mirum erit, ea pressisse Bzouium anno illo 1322. nec saltem vt

improbaret, vel commenti redargueret, ea annotasse. Norunt quippe qui illum norunt, non eandem ab eo adhiberi diligentiam, iis annotandis quæ causæ suæ vel amicorum incommodant, quàm conuertendis (testes F. F. Minores,) aliorum Ordinum probris; non rarò absque discussione & examine, quod pridem quæsti sunt alij. Mihi si narratio vnius Peresij, & religiosi Augustiniani, & Valentini Archiepiscopi testificatione nixa, alicui non sapit; & sensus Sarraceni de immaculata B. Virginis conceptione, quod sit hominis à ferendo de rebus sacris testimonio repulsi, abjiciendus videtur; grauis non erit repulsa: qui contestatus sum, non placere, huius veritatis per tam infirma firmamenta, stabilitionem.

Pro nitentissima Virginis Conceptione, Rationes. Ac primùm ex protoplastorum, & Angelorum, creatione in gratia.

22. PErgo ad suffragium rationis. Quamuis enim in re à Dei beneplacito prorsus pendente, non sint quærendæ rationes apodicticæ; suppetunt tamen rationes morales valdè idoneæ, quibus suadeamur, Deum reuera id voluisse. Septem rationes profert Pelbartus l. 4. Stellarij p. 2. artic. 3. Quatuordecim proponit, & splendidè amplificat Catharinus l. 3. de immacul. concept. *ferè per totum.* Adduco & breuiter perstringo paucas.

In primis verò illam quæ fundatur in principio quod cautione 3. ex variis Patribus confirmauimus; nempe quod nullum priuilegium ad majorem sanctitatem pertinens, ac veluti perfectio simpliciter simplex in genere boni interni, sit concessum puræ vlli creaturæ, quod fuerit B. Virgini negatum, de quo dubitandum non videtur. Nisi fortè non creditur Dei filius honorare Matrem, cui soli obstrictus est, vt S. Methodius pulchrè dixit: aut existimandum est, arcam gratiæ, (vt S. Bernardus serm. de S. Maria, Virginem nominat,) alicuius simpliciter dictæ gratiæ, quæ alicui puræ creaturæ sit tradita, fuisse expertem. Non sinit de hac re matris dignitas, & filij in eam affectus, ambigere.

Atqui multæ puræ creaturæ, sunt conditæ in gratia, ita vt non priùs fuerint quàm essent Sanctæ & Deo gratæ. Id enim de Adamo, planè habent varij Patres, apud Bellarminum l. de gratia primi hominis c. 2. & 3. & Coccium t. 2. l. 1. artic. 3. latéque id confirmant Val. 1. 2. d. 7. q. 2. p. 2. Mol. 1. p. q. 62. art. 3. Suares 3. Cosm. c. 17. Sotus 1. de natura & gratia c. 15. Azor. t. 1. l. 3. c. 31. q. 2. & c. 32. q. 4. ac Pineda in c. 7. Eccles. *ad vers.* 30. num. 13. circa illud quod ait ibi sapiens, hominem factum esse à Deo rectum. Quæ verba existimat significare quod dixi. Sicut etiam Pererius l. 5. in Genes. in eundem sensum accipit illud *faciamus hominem ad similitudinem nostram.* Similitudinem enim post Patres benè multos, interpretantur sanctitatem naturali imagini superadditam, in qua homo sit conditus. Multis D. Augustini testimoniis hanc sententiam de coæua Adamo sanctitate, confirmat Vasq. 12. d. 132. n. 31. De Angelis idem tradit S. Thomas 1. p. q. 62. artic. 3. vbi idem

confirmant Scholastici passim. Vasq. d. 227. c. 2. Val.q. 13. p. 1. Suares l. 5. c. 4. qui alios multos proferunt.

Si igitur cum his puris creaturis concreata est sanctitas, non est ambigendum quin æquè Deipara jam à primo momento sui esse, gratiam sanctificantem acceperit: Alioqui falsum erit quod S. Iacobus in Liturgia, S. Ephrem initio laudationis Deiparæ, pasśimque Patres contestantur; Virginem, & Angelos, & quoscunque homines superasse puritate: quod D. Thomas in expositione salutationis Angelicæ valere ait,& quoad operationem boni, & quoad euitationem peccati. Nec verum item erit, quod ait Pet. Damiani serm. 3. de Nat. Virg. [Talem creauit eam, vt ipse dignè nasci potuisset ex ea.] Hæc ratio, in hoc negotio potest videri quasi à priori, cum petatur ex dignitate matris, quæ est radix & causa omnium perfectionum Deiparæ: & in ea inuoluitur honor, quo optimus filius meritissimam de se matrem prosequi debuit; amor sponsi erga sponsam primariam, conjunctio summa carnis Christi cum carne Virginis, & alia quæ primis quinque persuasionibus expendit Catherinus l. illo 3. pro concept. immacul.

Alia ratio, ex peccati, cuiusvis actualis exclusione à Deipara.

23. Subjicio rationem optimam à posteriori, fundatam in ea D. Augustini doctrina, quæ fert, peccata actualia esse infœlicia germina originalis peccati: ita vt vbicunque peccatum actuale inuenitur, præcesserit originale; Vbi autem nullæ vnquam sordes actuales, saltem veniales, reperiuntur, defuerit originale. Struit huiusmodi argumentationem D. Augustinus l. 5. contra Iulia. c. 9. [Illud sanè (inquit) magnum verúmque dixisti, cum posuisset testimonium Apostoli Petri, dicentis; *Qui peccatum non fecit*, notandum esse quod judicauerit Apostolus, sufficere ad ostendendũ in Christo nullum fuisse peccatum, quia dixit nullum eum fecisse peccatum: Vt doceret, inquis, quia qui non fecit, habere non potuit. Omnino verissimum est. Profectò enim peccatum etiam maior fecisset, si paruulus habuisset. Nam propterea nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.] Liquet, juxta Augustinum, peccatum originis subsequentia habere peccata actualia: Et è contrario, in Adami posteris, vbi nullæ reperiuntur actuales maculæ, non antecessisse originalem.

Atqui B. Virginem, actuali quocunque peccato, tametsi leuissimo, caruisse de fide est. Nec diffitentur aduersarij, valdè dedecuisse vt B. Virgo cui tanta cum Christo affinitas & coniunctio erat, vllo vnquam actuali peccato, etiamsi non nisi veniali, contaminata fuerit, vt optimè argumentatus est D. Thomas Opusc. 60. art. 3. & 3. p. q. 27. art. 4. prolatis in eam rem quatuor rationibus quas apud ipsum D. Thomam legere est, & multo magis vrgent pro excludendo à B. Virgine peccato originali, quàm pro excludendis venialibus, vt Catharinus l. illo 3. persuasione 8. rectè expendit; confirmántque

Canisius l. 1. de Deip. c. 6. & Salazarius l. de concept. c. 25. & 26. longè magis namque dedecet Dei matrem macula mortalis, cuiusmodi est peccatum originis, quàm macula venialis; quæ tametsi est voluntaria, (non item originalis,) tamen leuicula est, nec hominem à Deo abalienat. Igitur ex carentia venialium in Deipara, rectè infertur præseruatio ab originali. Deterrimè verò Gregorius Arim. in 2. d. 30. q. 2. artic. 1. ad 3. Vt virginem originali peccato securè inquinaret, actualibus quoque labeculis eam infecit; quod esse contra fidem, infra dicetur. Mox certè ipse Gregorius art. 3. ad 1. abjicere videtur eam impietatem in Deiparam, atque adeò rationi nostræ tacitè succumbit.

24. Quid quod juxta aduersarios, incursus originalis peccati, in Deipara non potest habere locum absque actuali culpa mortali? vt proinde si necessarium est B. Virginem ab omni labe actuali eximere, necessarium itidem sit juxta aduersariorum principia, eam eximere à peccato originis. Liquebit quod dico, si recolamus, aduersarios in ea esse sententia, vt quisquis ratione potitur, in ipso primo diluculo vsus rationis, absque vlla comperendinatione, teneatur sub graui culpa, subjicere se Deo per actum amoris super omnia. Ita enim contendunt esse faciendum, vt primitiæ cogitationis & amoris, tanquam liba supremarum hominis facultatum, pendantur Deo. Atqui B. Virgo, in primo instanti sui esse, donata est vsu rationis. Debuit enim petere rationis vsu intra vterum matris, vt posset Deum amare, & colere in illis latebris: quia cum id pertineat ad hominis sanctitatem, sitque Ioanni Baptistæ concessum, non potuit profectò negari Deiparæ, juxta principium supra positum; quod omne beneficium ad hominis sanctitatem pertinens, puræ alicui creaturæ non nisi famulæ concessum, non sit B. Virgini, quippe parenti, negatum. Et quamuis vt id beneficium Ioanni obtingeret, exspectandus fuit occursus Christi, qui fuit tantùm post semestre à conceptione Ioannis: (hæc enim fuit sola causa præcoquæ rationis expeditæ in Ioanne, vt Christum aduentantem jam tunc indicaret; & Verbi tanquam margaritæ intra Virgineam testam abditi, gloria panderetur:) tamen quoad B. Virginem matris vtero conclusam, quia nulla talis erat causa differendi concessionem vsus rationis expeditæ, fatendum est, concessionem illam factam esse absque mora, & à primo momento quo producta est, vt mane diluculo præueniret in maturitate, exercendo scientiam infusam independentem à phantasmatibus. Iuxta aduersarios ergo, nisi B. Virgo ex illo primo momento quo adepta est vsum rationis, obtulisset se Deo per actum perfectum amoris, incurrisset peccatum actuale, quod cum certum sit non habuisse locum in B. Virgine, fatendum est, eam talem perfecti amoris actum elicuisse. Constat autem eo actu conuehi gratiam sanctificantem: ac proinde aduersarij juxta sua principia non possunt defugere, quin B. Virgo in primo momento sui esse, gratiam sanctificantem habuerit. Quod argumentum aliter formari potest, seposito principio illo, quantum arbitror, ruinoso de necessitate perfectæ conuersionis ad Deum, in primo præcisè momento vsus rationis. Indubitatum quippe videtur, animam

Deiparæ, cum primùm in intellectu, vberi luce qua Deum finem vltimum perſpiceret, eſt colluſtrata, (quod in primo vitæ eius momento accidiſſe monſtratum eſt,) ſummo impetu, abſque mora in Deum tetendiſſe, per actum amoris perfecti, qui ſanctificationem infert, & excludit lethale peccatum.

Ratio ex virulentia peccati originis.

25. AD extremum, ille ſibi perſuadeat, B. Virginem ſubiacuiſſe vel per momentum peccato originis, qui virus huius peccati minimè perſpexerit. Peccatum enim originis, eſt peccatum mortale, reddens hominem filium iræ, & Diaboli mancipium. Ratione eius, paruulus eſt monſtrum in genere entis ad finem ſupernaturalem deſtinati: caret quippe ea perfectione, quam ſecundum illum ſtatum habere deberet: ita vt ſicut homo qui conciperetur abſque naſo aut manibus, haberetur monſtroſus, & peccato naturæ affectus, quia careret perfectione quæ ei ſecundùm naturam ſuam debetur: ita monſtroſus ſimiliter ſit cenſendus, qui cum ſit deſtinatus ad finem ſupernaturalem, caret tamen gratia ſanctificante, quæ ad illum finem conſequendum eſt planè neceſſaria. Et quia carentiæ ſanctitatis, quæ eſt veluti, ſubſtantia abſconditi cordis hominis, iungitur in paruulo ſic concepto, carentia fidei, ſpei, & charitatis, qui habitus ſunt potentiæ interioris hominis; conſequens eſt, vt infans illis deſtitutus, ſit in ordine gratiæ, cœcus, ſurdus, mutus, & ad quidlibet præſtandum impotens; ac vt D. Bernardus ſcitè dixit, *portans caputium verecundiæ.* Quo loquendi modo, reuocat in memoriam quod Benjaminus Tridelenſis in Itinerario ſcribit, de Calipha Bagdad: qui in ſignum mortalitatis, geſtans pannum nigrum quod *confuſionis & verecundiæ caputium* nominat, prodibat in publicum. Diſſerit de huius peccati, (vt vocat,) veneno luculenter, idem Bernardus ſerm. in feriam 4. hebdom. pœnoſæ.

Clarum itaque, (dignum certè ac iuſtum) videtur, tam tetram ac horrendam originalis peccati formam, vi cuius perſona Deo exoſa redditur & ſedes Satanæ, non habuiſſe vnquam locum in Deipara, cum ab amantiſſima prole, tanto malo ſubduci abſque difficultate potuerit: alioqui *armarium vitæ* (ita Virginem nominat Chryſippus Præsbyter homil. de Deip.) fuerit armarium mortis; & thronus Dei, (quod eſt Virginis apud pleroſque Patres nomen,) fuerit ſedes Diaboli; quæ cruda verba de matre Dei, pius animus vix abſque horripilatione poſſit dicere: præſertim cum per Eccleſiam liceat, de tanta matre honorificè ſentire. Quod mihi argumentum viſum ſemper eſt longè potentiſſimum, ac tale, vt non abs re Gregorius de Valentia 3. p. d. 2. q. 1. puncto 2. neſcio cuius apud deuotos fideles notæ, ac timoris, ex ſua ipſorum conſcientia, inſimulet aduerſarios, quod cum poſſint honorificè de B. Virgine hac in parte ſentire; & Eccleſia non modò non repugnet, ſed etiam ad pium illum ſenſum collatis ex Chriſti ærario indulgentiis inuitet, nullùmque eſſe in pio ſenſu erroris practici periculum admoneat, & contrarium aſſerentes percellat Eccleſiaſtico fulmine (liquet de his omnibus ex decreto Sixti 4.)

Tamen

Tamen pertinaciter obluctentur, & gratis nolint esse pij in Virginem.

Moralis ratio ex pij cuiusque in Virginem officio: Et an Christum quoque vrgeat.

26. CONcludamus igitur harum rationum seriem, hac vt ego arbitror, validissima. Debet pius quisque ita esse in Deiparam affectus, vt quantum per Ecclesiam & veritatem licet, velit de ea honorificentissimè sentire. Atqui licet per Ecclesiam, affirmare hac in parte, quod est Virgini honorificentius; nempe non esse conceptam in peccato originali; sed ex primo momento habuisse gratiam: ídque Ecclesia liberat periculo erroris. Ergo qui in B. Virginem pius est, (qualis profectò esse debet, quisquis in ipsum Christum pius vult videri & esse,) omnino debet admittere, B. Virginem habuisse gratiam sanctificantem jam ex primo momento sui esse: ac proinde caruisse peccato originali. Non video quâ pateat effugium, vel quo munimento, impetus huius moralis demonstrationis, declinari sufficienter possit.

Missam facio aliam quandam, pro hac veritate rationem, quam adhibent Iacobus de Valentia in Canticum Deiparæ ad vers. 4. dignitate 2. & Catharinus l. 3. pro Concept. persuasione 4. Nimirum quod Christus, non modò matrem præseruarit, sed etiam præseruare debuerit, nec potuerit eam absque subuentione ista dimittere, sine iniuria & impietate. Parentes enim necessitate pressi, non modò ex charitate juuandi sunt à liberis, sed etiam ex justitia & pietate, quod est debitum rigorosum, & nullo modo oblæsum vel luxatum, quale est aliorum potentialium justitiæ partium: imo tale, vt sit inadæquabile vulgaribus officiis. Cum ergo Christi mater in discrimine salutis versaretur, planè nisi Christus immissione gratiæ opitulatus illi esset, iniuria eam affecisset, de prædictorum autorum sententia.

Verùm hi Autores, nisi concionatoriè locuti sunt, & ad vulgi duntaxat captum, vt pietati quacunque ratione seruirent, rejiciendi sunt. Neque enim ad seueritatem Theologicam rem exigendo, verè dicitur, Deum cuipiam debere gratiam, præcisa promissione sua, quam in hoc negotio constat non interuenisse. Vnde Christus, non tenebatur ex justitia prouidere, ne mater inquinaretur peccato originali in conceptione, vel impedire, ne jam nata rueret in culpam aliquam actualem, quasi suppeditato matri concursu in vtramque partem; vel non subministraris ei efficacissimis auxiliis validè in bono firmantibus, admissurus esset iniustitiam erga matrem. Quid quod in momento conceptionis, Virgo necdum erat mater; nec Verbum, eius filius? vt proinde non possit subsistere fundamentum obligationis illius ad præseruandam Deiparam, quod Autores prædicti supposuerunt. Verbum enim quâ Verbum, non obligabatur B. Virgini, ea obligatione quam filius contrahit erga matrem; sed ea obligatio astringebat duntaxat humanitatem, quæ tunc non erat. In quem ergo cadebat ea obligatio juuandi & præseruandi Virginem; Ex quo item Christus est productus, nulla fuit obligatio stricta in Christo, conferendi

matri gratias efficaces, vel alia dona supernaturalia; quia hæc non sunt officia quibus compensari par sit officia materna ordinis naturæ; quorum præmium ex obligatione rependendum, in eodem ordine statui debet. Quare facessant qui Christum ad justificandam in primo momento matrem, obstrictum volunt; ita vt absque culpa, aliud non posset permittere. Hæreticum esse id affirmare, ait Maior in 2. d. 30. q. 4. *in probatione 2. tertiæ conclusionis.*

Aduersariorum fundamenta disjecta; Patres ab eis perperam adducti.

27. Restat vt euertamus aduersariorum firmamenta: quorum primum ex Patrum autoritate ductum, est planè inane. Patres enim magnam partem, omnibus locis quæ ab aduersariis adducuntur, non aliud volunt, quàm B. Virginem naturaliter spectatam, fuisse obnoxiam contrahendo peccato originis. Et hoc sensu aliquando aiunt, carnem eius fuisse carnem peccati. Ita Aug. l. 2. de peccat. merit. c. 24. vbi Louan. mentem S. Doctoris non sunt assecuti. Aliquando verò eodem sensu dicunt Patres, B. Virginem non fuisse per se immunem à nexu veteris peccati. Ita Eucherius hom. 2. de Natiu. dom. Nimirum quia nisi Christi merita interuenissent, erat illud incursura, vi generationis ex Adamo. Vnde sicut de rebus quæ fuissent ab æterno conditæ, liceret dicere quod essent factæ ex nihilo, & extractæ de non esse; non quidem de non esse posito, sed de non esse excluso; idest, in quo fuissent, nisi diuina manu essent inde extractæ: Qua item ratione, de eo quod conseruatur, dicimus, quod etiam nunc, transeat de non esse; vtique virtualiter tantùm interueniente, quatenus absque diuina conseruatione extrinseca, subesset nihilo. Ita Patres, ea quam retuli locutione, significare duntaxat volunt, statum peccati in quo Virgo reipsa jacuisset, nisi Deus beneuolè eam præuenisset, immittens gratiam sanctificantem, qua mortale peccatum vi generationis obrepturum, exclusum est. Quod benè monuit Argentina in 3. d. 3. q. vnica art. 1. Hæc ad Patrum loca ab aduersariis contra immaculatam conceptionem jactata, protulisse generatim contentus, abeo. Latissimè in eam rem disserunt Canisius l. 1. de Deip. c. 7. & Salaz. in opere de Concept. c. 41. ac Catharinus l. 4. contra Caietanum *à pag.* 291.

Sigillatim discussi Rupertus, & Anselmus.

28. Specialiter verò attingendi sunt quidam Patres, de quibus an à puritate conceptionis Deiparæ steterint, an contra eam senserint, magna contentione disputatur. Ij sunt, Rupertus, Anselmus, atque Bernardus. Rupertum difficile est ab opinione quæ maculatam Virginis conceptionem agnoscit, putum præstare. Nam lib. 1. in Cant. ad illud, *meliora sunt vbera tua vino*, disertè tradit; Virginem hæreditaria originalis peccati labe non caruisse; ideoque cum esset de massa quæ in Adamo corrupta est, dicere potuisse, *Ecce*

in iniquitatibus concepta sum, & in peccatis concepit me mater mea. Verùm cum statim addat, illud peccatum, à facie amoris in Deum, tanquam stipulam ab igne fuisse consumptum; significare videtur, per illum actum amoris qui jam à primo momento vitæ flagrauit in Virgine, exclusum esse peccatum, quod vi generationis ex Adamo interuenisset, nisi diuina gratia præueniens ad actum illum, pérque eum gratiam sanctificantem conferens, obstitisset. Aliis certè plerisque locis, & nominatim l. 6. eiusdem operis, ad illud *quàm pulchri sunt gressus tui*; rursúsque ad illud, *duo vbera tua, sicut duo gemelli capreæ,* tam honorificè de liberrima à quocunque peccato Virginis generatione locutus est Rupertus, vt non videatur ambigendum, quin honori Deiparæ, cuius per omnia scripta sua fuit studiosissimus, hac quoque in parte, consultum voluerit. Quanquam si aduersantem haberemus Rupertum, & ætate, & gradu dignitatis inter Patres postremum, nec semel in grauissimis Christianæ fidei capitibus hallucinatum; nominatim circa Eucharistiam, non esset quod pro eius autoritate declinanda, justo sollicitiores esse deberemus.

29. Pro S. Anselmo, piæ sententiæ quam propugnamus subducendo, multum laborat Vasques 3. p. d. 117. c. 11. & hastam abjicit Salaz. l. de concept. c. 42. seculo 11. quoad vnum B. Anselmi locum petitum ex l. 2. Cur Deus homo c. 16. Verùm quæ petuntur ex eo capite contra puritatem conceptionis Deiparæ, non sunt Anselmi, sed Besonis discipuli, cum quo colloquitur: nec ea Bosos profert asserendo, sed argumentando. Quod si non corriguntur ab Anselmo inter respondendum, ratio est; quia ibi non agebatur de puritate passiuæ conceptionis Deiparæ, sed de puritate conceptionis actiuæ, déque eliminando à Christo peccato originis, etiamsi supponeretur, matrem Christi sorduisse peccato originali. Aperui germanam hanc eo loco mentem Anselmi, l. 4. de Christo s. 1. c. 5. *sub initium.*

Tantum porrò abest, vt S. Anselmi eo loco suffragium, grauare possit immaculatam conceptionem B. Virginis, vt vix sit reperire, qui pro ea pugnauerit animosiùs atque vberiùs. Refert certè Bachonus quodlib. 3. q. 12. lectum abs se librum S. Anselmi de hoc argumento, cuius esset hoc initium, *principium quo salus mundi processit.* In ea lucubratione testatur Bachonus, S. Anselmum pro puritate omnimoda conceptionis passiuæ B. Virginis, egregiè laborasse. Fragmenta illius libri, & aliorum de eo argumento Anselmi laborum, collecta in vnum fascem edi curauimus 1. p. opusculorum S. Anselmi. Locus ex eodem S. Doctore in hanc rem palmaris, ex libro de conceptu Virginali c. 18. abundè esse potest ad liberandum S. Anselmum. [Decebat (inquit,) vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater, vnicum filium suum quæ de corde suo æqualem sibi genitum tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus idémque communis Dei Patris, & Virginis filius.] An puritas eius quæ peccato originis fuisset fœdata, tāta esset, vt maior sub Deo non posset intelligi? Quare citra omne dubium, S. Anselmus stetit pro vera sententia. Videsis, quæ dico in syntaxi operum eius p. 1. *ad fragmenta de conceptu virginali passiuo.*

Quæ S. Bernardi mens, in hac causa, variorum judicia.

30. S. Bernardi, anceps videri potest causa. Nam videtur agnoscere alicubi immaculatam conceptionem vt serm. de B.Maria, *sub finem*, verbis illis. [De lignis Sethim condita est arca, in qua thuribulum, manna, & virga sunt recondita: quia licet Maria de patrum natura per peccatum vitiata duceret originem, prælecta tamen per Spiritum sanctum, & præseruata ad purum, Deum nobis obtulit, & hominem.] Alibi tamen videtur iuisse in placitum contrarium. Epistola enim ad Canonicos Lugdunenses, totus est in reprehendendo festo Conceptionis, tanquam immaculatæ & sanctæ. Sunt quidem, qui eam epistolam dixerint S. Bernardo suppositam: quod pro viribus firmat Perlinus l. de concept. dist. 12. c. 5. Salazar. autem l. de concept. c. 35. §. 6. à n. 43. fusè refellit. Sed ferè frustra: cum ea euasio, sit hominis aliud quod caussetur non habentis, & stylus S. Bernardi qui in ea epistola apertè cernitur, satis prodat autorem. Sunt qui styli similitudinem, in ea conficta & S. Bernardo afficta epistola, referant ad imposturam illius Nicolai Monachi S. Albani, qui quondam S. Bernardi familiaris, postea hostis, (vt S. Bernardus epist. 298. memorat,) plerasque eius nomine stylo ementito conscripsit epistolas; & hanc præter cæteras, vt haberet vnde sancto viro inuidiam conflaret, quam eo mortuo adauctam ab eodem Nicolao contendunt, disseminato figmento reuelationis cuiusdam, quæ S. Bernardum vniuerso corpore splẽdentem, furua duntaxat macula notatum exhiberet, ob hanc de maculata Virginis conceptione, opinionem. Quæ omnia fictitia esse, pronunciauit Ioannes de Neapoli apud Capreolum in 3. d. 3. q. vnica art. 3. ad 8. & Maior in 2. d. 30. q. 4. §. *non concedo*, & Henricus de Hassia junior, Carthusianus libro de falsa macula S. Bernardi. Cœterum epistolam ad Lugdunenses esse ab illo Nicolao confictam, auctius figmentum est. Fateor Nicolaum illum cuius nonnullæ epistolæ nuper prodierunt, S. Bernardi stylum aliqua ex parte æmulatum. Nisi tamen omnes D. Bernardi epistolas ei abiudicare placeat; hanc quæ omnium maximè Bernardum sapit, alteri tribuere tanquam germanum fœtum, planè prohibemur.

31. Vulgata multorum responsio est, S. Bernardum, cum dixit conceptionem Deiparæ fuisse gratiæ & sanctitatis expertem, non egisse de conceptione vltima, seu de animatione corporis virginei vltimò dispositi ad animationem; sed de conceptione prima, siue de sanguinum aut seminum permixtione, quæ fit in vsu coniugij parentum. Aliqui cum Innocentio 3. l. 1. de contemptu mundi c. 4. hanc quam vocaui *conceptionem primam*, vocant *conceptionem seminum*; illam verò aliam quam vocaui *secundam*, vocant *conceptionem naturarum*. Cum igitur certum sit, animam non infundi fœtui in permixtione seminum, sed satis multò pòst, cum embryonis dispositio ad animationem est consummata: cum item constet, quod nulla materia est capax gratiæ sanctificantis, sed sola anima rationalis: Concludunt hi autores, S. Bernardum iure contendisse,

conceptionem Virginis (nempe primam,) fuisse expertem gratiæ sanctificantis, ac proinde non debuisse de ea peragi festum, quod recens fecerant Lugdunenses Canonici. Ita jam olim Albertus in 3. d. 8. art. 4. & Mayro. in 3. d. 3. q. 2. artic. 12. posteáque Val. 3. p. d. 2. q. 1. p. 2. Bellarm. l. 4. de amiss. gratiæ & statu peccati c. 16. & plenè Franciscus Biuarius opusc. de hoc argumento l. 2. §. 3.

Sed neque hoc placet. Nam S. Bernardus, non modò agnoscit, in ea conceptione de qua disputat, defuisse gratiam sanctificantem; sed etiam agnoscere videtur, eam fuisse peccato originis maculatam. Atqui prima illa conceptio, non est maculata peccato originis, quod tantùm aduenit subiecto rationali. Deinde Canonici Lugdunenses non celebrabant festum conceptionis primæ, sed secundæ: sicut nunc Ecclesia, tametsi celebrat festum conceptæ Virginis 8. Decemb. quo facta est prima conceptio, de qua ex subductione nonimestris ante natiuitatem constare potuit; tamen non intendit celebrare conceptionem illam primam; sed tantùm secundam ei subiunctam aliquo post tempore, quod designari non poterat. Ea quippe sola conceptio, pura fuit & sancta ac gratiæ referta, idcóque cultu festiuo vniuersæ Ecclesiæ digna. Itaque si S. Bernardus Lugdunenses reprehendisset tantùm ob celebratam conceptionem primam, facilè repelli ab eis potuisset; dicendo se non fuisse adeo deliros, vt colendam susciperent commixtionem parentalium seminum, ex quibus postea Virgo coaluit. Coluisse igitur duntaxat animationem sanctam & puram Deiparæ, ideóque justæ criminationi nequaquam patuisse.

Sensus noster de vera S. Bernardi mente, hac in parte.

32. QVare ego quidem haud grauatè cócedo, S. Bernardū de conceptione secunda egisse, eámque vel maculatam sensisse, quod tunc nondum adulta luce huius veritatis, illi excidisse minus mirū esse debet. Vel certè quāuis non esset alienus à puritate conceptionis Deiparæ, eámque foueret animo, vt Card. Baro. anno Christi 1136. pronunciauit, illud tamen in Lugdunensibus improbasse, quod cultum eo tempore nouum, inconsulta sede Apostolica, inducere ausi essent. Itaque vt ad consulendam Apostolicam cortynam illos vrgeret; difficultates quæ contra puritatem conceptionis secundæ esse poterant, non dissimulauit; nec aliter se gessit quàm alij plerique Patres, qui in hæresis alicuius oppugnatione, nimio refellendi feruore, in contrarium errorem deflectere videntur, & vlteriùs quàm par sit abripi: quod in Gregorio Neocæsariensi, & Dyonisio Alexandrino notari memini à S. Basilio. De illo epist. 64. de hoc epist. 41. qui non secus Dyonisio accidisse ait, quàm plantatori cuipiam, qui recentis plantæ correcturus auersionem, ita immoderatè illam retorquet, vt in contrarium latus, ramum abducat, aberrans à medio. Sic igitur ait, S. Basilius, Dyonisium dum nimium cupit obluctari Sabellio, visum declinare in Arrianismum, à quo tamen longè abhorrebat, vt S. Athanasius in Apologetico pro Dyonisio, testatum dedit. Haud dispari modo sentio

de S. Bernardo in hac causa: nempe vt inconsultam Lugdunensium pietatem reprimeret,& non nisi consulto Ecclesiæ oraculo,talia quantumuis in speciem pia, suscipienda monstraret, rei difficultatem exposuisse. At si præsentem Ecclesiæ sensum, & Apostolicæ Sedis de hoc negotio oracula secutos Lugdunenses perspexisset amantissimus Deiparæ alumnus S. Bernardus, quippe qui omnes ei ordinis Cisterciensis basilicas dedicauit, vt ait Petrus Cellensis l. 6. epist. 23. non modò factum illorum non improbasset; sed tam sanctum cultum promouisset pro viribus.Quod mihi extremus Epistolæ prædictæ limbus, satis insinuat, & explorata S. Bernardi pietas atque docilitas, planè persuadet.

33. Viuebat eo ipso S. Bernardi tempore, eiusdem Cisterciensis familiæ alumnus, Petrus Cellensis. Is cum Nicolao illo de quo superiùs, S. Albani Monacho confligens, circa nitorem conceptionis Deiparæ, monstrat eum animum se habere, quem S. Bernardo adscripsi: vnde coniectare licet, idem quoque visum S. Bernardo. Interroganti ergo & vrgenti Petrum Nicolao, cur nollet festum Conceptionis tametsi nouum cum Anglicana Ecclesia celebrare; respondet Petrus l. 6. epist. 23. [Licuit, sempérque licebit, sponsam Christi Ecclesiam, quæ in terris peregrinatur, secundùm mutationes rerum, personarum & temporum, variare rationes decretorum, & noua aduenire medicamina remediorum, & statuere sanctis, adeptione gratiæ, frequentiam solemnitatum. Est autem auro locus in quo conflatur, & habet argentum venarum suarum principia, sedem Petri & curiam Romanam, quæ claues cœli principaliter tenet: & clausura consiliorum Dei reserata dipensante Deo, vnguentum gratiæ à capite vsque ad oram vestimenti; habet compluere. Hæc sedes Petri, idest petra, in qua Moyses residet, videlicet lex Dei immaculata conuertens animas, fragosa quæque Hæreticorum conciliabula elidit & allidit, profanas vocum nouitates resecat & rescindit, superflua confodit & jugulat, hiantia & ecliptica complet & illustrat. Vtinam salua veritatis auctoritate, lance communis Concilij, hæc Domina & moderatrix totius Christianitatis, Conceptionem virginis librasset & approbasset, & à mari vsque ad mare hanc propagasset, Sole, idest, Apostolico, ac luna, idest curia Romana præeunte, tam securè, quam expeditè, in lumine vultus eorum gressus ponerem & disponerem, ex hoc videns vitare lubricum, & sequi solidum & securum.]

Ad Scripturas ab Aduersariis pro se adductas.

34. PErgo ad reliqua Aduersariorum fundamenta, quæ petebantur partim ex generalibus Scripturis peccatum originis ad omnes via ordinaria genitos transfundi docentibus; partim ex effectibus peccati originis; morte inquam, & aliis pœnalitatibus, à quibus Virgo immunis non abiit; partim denique ex necessariò admittenda Virginis per Christum redemptione, quæ cum exemptione à peccato originis, non videtur posse cohærere, secluso jam à Virgine per certam Ecclesiæ definitionem, quocunque peccato actuali.

A qua enim captiuitate dicetur redimi, si nulli vnquam peccato, ac ne originali quidem, subjacuit? Hæc est summa reliquorum omnium firmamentorum, quibus aduersarij maculatam Deiparæ conceptionem stabilire satagunt. Verùm quàm sunt hæc firmamenta debilia, tam labat eorum opinio.

Admitto igitur B. Virginem peccasse in Adamo, idest vi generationis ex Adamo, factæ via ordinaria, fuisse obnoxiam culpæ, eámque reipsa fuisse incursuram, nisi diuina præseruatio & benefica gratiæ immissio, quo temporis momento peccatum obrepturum erat, interuenisset. Quod si ea locutio, *B. Virgo peccauit in Adam*, eum sensum faceret, quem ei subjicit Iustinianus 1. Ioan. 1. vers. 8. n. 12. nimirum vt sensus esset, B. Virginem vi continentiæ seminalis in Adamo, incurrisse peccatum originale; sic non admitterem B. Virginem in Adamo peccasse: quippe quæ beneficio gratiæ exempta sit ab illa labe, quam sibi permissa, certò incurrisset vi generationis ex Adamo. Nec obstant loca Scripturæ, quæ generaliter sonare videntur, virus peccati originalis, ad omnes ex Adamo via ordinaria genitos permanasse. Illis quippe locis, non comprehendi B. Virginem, quæ vnum propè cum filio censetur, Tridentina Synodus satis expressit, negans, se definitione veritatis peccati originalis in omnes posteros Adæ transfusi, ex illis generalibus scripturis hausta, præiudicatum velle sententiæ, quæ puritatem conceptionis B. Virginis piè tuetur.

35. Habemus porrò ineluctabile argumentum ad hanc locorum illorum interpretationem firmandam, ductum ex aliis æquè generalibus locis & locutionibus scripturarum, quibus vel omnium è matris vtero prodeuntium originalis impuritas & à Deo auersio affirmatur; vel omnium planè adultorum nonnulla aliquando per veniales labeculas inquinatio proditur. Et tamen B. Virginem illis generalibus locutionibus non comprehendi, indubitatum est, etiam apud aduersarios. Nam B. Virginem è matris visceribus prodiisse sanctam, & à peccato originis prorsus puram, omnes æquè consentiunt. In vniuersa verò vita nullo vnquam modo peccasse actualiter, quantumuis leuiter, fides Catholica docet. Igitur quam interpretationem dabunt aduersarij illis aliis generalibus scripturæ locis, quibus omnium maculata natiuitas, aut vita per veniales labeculas contaminata asseritur; eam nos quoque pari jure adhibebimus, iis generalibus locis exponendis, quibus eluuio peccati originalis in omnes Adæ posteros affirmatur. Nimirum jus commune, quod ea generalia loca continent, non excludit specialia priuilegia, quibus beneficentia diuina nonnullos interdum pro beneplacito suo extra ordinem cohonestat, vt in humanis quoque videre est. Nec nouum esse vt in Scripturis signum vniuersale *omnis*, ad maximam duntaxat partem referatur S. Hieronimus epist. 146. prolatis variis locis demonstrat, tractans illud, *Omnia mea, tua sunt*, & latè etiam in c. 1. ad Ephes. *sub finem*. Videndus item S. Augustinus Episto. 59. ad q. 6. & Prosper l. 1. de vocat. gent. c. 9.

Ad rationem ex morte, & pœnalitatibus.

36. ARgumentum quod petebatur ex effectibus peccati originalis, in B. Virginem cadentibus; morte videlicet, & pœnalitatibus, inane est. Non enim mors est effectus peccati originalis propriè loquendo, alioqui Christus dominus mortem non subjisset; qui tamen etiamsi morte violenta succisus non fuisset, ad mortem tamen tandem aliquando peruenisset juxta D. Augustinum l. 2. de pecc. merit. c. 29. Mors igitur (& idem est de pœnalitatibus quibusuis huius vitæ,) impedita quidem fuisset per gratiam, si primus homo non peccasset, & posteros suos originali peccato non infecisset; ideóque etiam in Deipara, fuit pœna; non ipsius Deiparæ, sed actualis peccati Adæ, juxta illud D. Augustini conc. 2. in psal. 34 [Vt celeriùs dicam, Adam mortuus propter peccatum: & caro Domini ex Maria mortua est, propter delenda peccata.] Tamen mors ex se, est aliquid naturaliter consequens naturam humanam, ex pugnantibus principiis conflatam. Sicut ergo Christus tametsi innocentissimus, quoad hæc naturalia voluit per omnia fratribus assimilari: ita par fuit, vt Virgo quoque, his naturalibus defectibus & incommodis subjaceret, ne Christo dispar esset, eorúmque fatuitas foueretur, qui prænoscebantur à Deo, habituri B. Virginem tanquam Deum; nimirum Collyridiani de quibus S. Epiphanius hær. 79. & alij. Facit ad hunc locum pulcherrima de Virgine disputatio Richardi Victorini l. 2. de Emman. c. 28.

Elisa ratio, ex tollenda Virginis redemptione.

37. TAndem quod inferebatur, B. Virginem nisi originali peccato sorderet, subducendam fore redemptioni Christi, friuolum est. Nemo quidem negare potest, quin B. Virgo sit à Christo redempta; idque voluit Chrysippus hom. de Deip. tractans locum ex psalmo 131. [*Surge Domine* (inquit;) Nam nisi tu exurgas è sinu paterno, genus nostrum quondam lapsum non resurget. Surge Domine, quia etiamsi exurgas, non separaberis à gloria paterna, & versans in terra, non relinques cœlos; & licet appareas in carne, non imminues potestatem quam habes ante secula. *Tu & arca sanctificationis tua.* Cùm enim tu inde surrexeris, sigillabis arcam sanctificationis tuæ, tùmque arca cum omnibus exurget à lapsu, in quo vel illam constituit Euæ cognatio.] Agit de Incarnatione Verbi, docétque nisi ea fieret, Deiparam non fore redimendam. Agnoscit ergo Deiparam esse redemptam: Alios Patres in hanc rem, accumulat Iustinianus 1. Ioan. 1. vers. 8. à num. 15. Imo Christum à B. Virgine inchoasse redemptionem, dixit S. Ambrosius. [Non mirum (inquit,) si Dominus redempturus mundum, operationem suam inchoauit à matre: vt per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.] S. item Bernardinus tomo 2. serm. 61. art. 3. c. 3. ait, Christum plus venisse pro redimenda B. Virgine, quàm pro omni alia creatura: addítque, eam

eam fuisse primogenitam redemptoris. Quæ quomodò accipienda sint, & tantúmne arctam matris & filij necessitudinem, maximéque conspicuum in Virgine redemptionis Christi effectum ferant; an verò ordinem aliquem inter redemptos ex Christi intentione, nunc non moror, in id duntaxat intentus, B. Virginem juxta hos Patres, perspicuè esse à Christo redemptam.

38. Id quod communiter agnoscunt DD. consentaneé ad scripturas quibus Christus generaliter & absolutè, redemptor & pacificator omnium dicitur: quas scripturas nulla ratio patitur limitari, ita vt B. Virginem non comprehendant, quia nihil sequitur absurdi ex eo quod B. Virgo scripturis illis comprehendi dicatur. Ad summum enim sequetur, fatendum esse, B. Virginem fuisse incursuram peccatum, nisi Christi merita obstitissent; & gratia Christi intuitu infusa, præuenisset naturale probrum. Hoc autem absurdum non est, nec dedecet Dei matrem, sicut dedeceret peccatum. Ea porrò præuentio & impeditio peccati consecuturi, ad veram & propriam B. Virginis à tali peccato redemptionem, potest sufficere, vt disertè tradit S. Aug. in psal. 85. quærens quomodò Dauid dicat se erutum ex inferno inferiori, in quem non descenderat reipsa. [Quemadmodùm (inquit,) si Medicus videat tibi imminentem ægritudinem, fortè ex aliquo labore, & dicat: Parce tibi, sic te tracta, requiesce, his cibis vtere nam si non feceris, ægrotabis. Tu autem si feceris, & saluus fueris, rectè dicis medico: Liberasti me ab ægritudine, non in qua jam eras, sed in qua futurus eras. Nescio quis habens causam molestam, mittendus erat in carcerem: Venit alius, defendit eum. Gratias agens, quid dicit? Eruisti animam meam de carcere. Suspendendus erat debitor, solutum est pro eo, liberatus dicitur de suspendio.] Optimè item huc facit, doctrina S. Bernardi serm. 22. in Cant. qui cum statuisset, Christum non hominum duntaxat, sed etiam Angelorum fuisse redemptorem, obiecisséque sibi non posse dici redemptos Angelos malos quia sunt irreuocabiles, nec bonos, quia nunquam fuere captiui; respondet Angelos bonos dici posse à Christo redemptos, quia [qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur; sic illum de captiuitate eruens, sicut hunc à captiuitate defendens. Et hac ratione, fuit æquè vtrique redemptio, soluens illum, & seruans istum.] Non discutio, solidéne ac verè S. Bernardus, Angelos à Christo redemptos statuat. Tantùm attendo, quomodò à Christo redemptos dicat, tametsi nunquam captiuatos eo quod redemptio cerni quoque possit in præuentione captiuitatis certò incurrendæ, nisi adhibita fuisset anticipata illa gratia, quæ captiuatione prohibuit. Habet eandem doctrinam S. Dyonisius c. 8. diuin. nom. distinguens duplicem redemptionem; alteram quæ jam lapsum erigit, alteram quæ præseruat à lapsu eum qui certò esset lapsurus, nisi præseruaretur. Estque sine dubio hæc redemptio, longè maius beneficium redempto impensum: quandoquidem, qui sic redimitur, non modò recuperat bonum, sed etiam impeditur illud amittere, quod plus est, quàm aliquandò recuperare. Itaque gratia sanctificans B. Virgini collata, fuit gratia redemptionis & expiationis: ad delendum videlicet peccatum per se potens; sed per beneficentiam Dei specialem, præcludens ab hoc subjecto peccatum.

39. Nimia verò est Salazarij subtilitas, qui lib. de Concept. c. 24. num. 121. ait, gratiam Deiparæ collatam in conceptione, fuisse gratiam redemptionis, & expiationis peccatorum; ad delenda nimirum peccata per se ordinatam; non tamen Virginis propria, sed aliena; omnia videlicet humani generis delicta, quia arbitratur ad redemptionem generis humani, & delictorum eius expiationem, non tantùm Christi merita condigna, sed congrua quoque Deiparæ merita, esse à Deo prouisa, atque præuisa. Non subscribo sanè. Nam quoad redemptionem humani generis, & remissionem peccatorum eius quoad culpas, Christus torcular calcauit solus, nec eguit supplementis meritorum congruorum cuiusquam puræ creaturæ: cum eius tam conserta & copiosa fuerit apud Deum redemptio. Quare gratia B. Virgini in conceptionis momento collata, fuit gratia redemptionis respectu ipsius Deiparæ, quatenus per eam gratiam præseruata est, ne in peccatum rueret; in quod alioqui incursura certò erat vi generationis ex Adamo, vt fuerunt generales locutiones scripturæ, & Patrum testimonia.

Ex tam debilibus Aduersariorum firmamentis, illata Spinæ piam sententiam damnantis, audacia.

40. Nihil igitur ab Aduersariis puræ & immaculatæ conceptionis passiuæ B. Virginis prolatum est, quod non sit commodissimè & sufficientissimè depulsum. E contrario autem monstratum est, sententiam pro puritate conceptionis pugnantem, magnis ab autoritate & ratione præsidiis roborari. Vt videas, quàm durum ac ferreum fuerit os Bartholomæi Spinæ Ordinis Prædicatorum, qui post Sixti 4. (an & post Concilij Tridentini?) decreta pro indemnitate sententiæ propugnantis puritatem conceptionis, non est veritus effutire, eam sententiam esse hæreticam; conculcata Caietani monitione, qui seriò & grauiter contestatus erat suos, ne zelo non secundùm scientiam abrepti, damnarent vllo pacto erroris, sententiam piam. At Spina, aduersùs Caietanum ea ex causa scripsit acerbissimè, vt ait Catharinus lib. 1. de immacul. concept. §. *sunt ex nostris*; Et constanter, imo durè ac pertinaciter, assertionem puræ Conceptionis, hæresi sordere professus est. Qua effrœnatione mordendi ac pungendi, non modò in excommunicationem latæ sententiæ in prædictis decretis impositam incurrit; sed se quod erat, apertè prodidit; hominem scilicet præ affectu nimio ad priuatum sensum suum, ægerrimè Christianæ, nedum religiosæ modestiæ septis continendum. Vbiuis quippe, quoties domestica, hoc est Thomistarum causa agitur, eam in lacerandis aduersariis animi impotentiam prodit, vt non spina quæcunque, sed rhamnus & paliurus audire meritò possit: Quod vt cœtera nunc premam, digressiones eius, lectionibus S. Thomæ in Metaphysicam commissæ, testatissimum facient legentibus, qui absque nausea non ferent, quæ ille ibi in Scotum & Scotistas, ad singulas propè periodos asperrimè ac infrunitissimè profert. Hæc obiter de Spinæ genio attingere oportuit, ne cui mirum videretur, quod

homo ea mordendi & pungendi impetigine, ob fundamenta ruinosa proximè disiecta, admodùm damnabiliter, notarit hæreseos, sententiam quam summi plerique Pontifices, & Concilium Tridentinum damnari vetuerunt, ac erroris expertem & acceptione dignam pronunciarunt.

Imo verò approbanda est sententia Alphonsi de Castro l. 1. de justa Hæretico. punit. c. 8. & Gabrielis Vasques. 3. p. d. 117. n. 151. qui existimant, hoc Spinæ judicium de sententia puritatem conceptionis affirmante, esse hæreticum: quia asserere aliquid esse contra fidem, quod Ecclesia negat esse contra fidem, hæreticum est. Sicut asserere aliquid esse formaliter, & explicitè de fide, atque adeò esse sufficienter propositum ab Ecclesia vt obligemur ad credendum; cum ipsa Ecclesia id negat, est se gerere pro regula fidei, quod est esse hæreticum. Vnde eliditur quod Suares. t. 2. 3. p. d. 3. sect. 6. *in fine* contra hoc Alphonsi judicium opponit: nempe quod qui ita se gerit, in nullo obsistat diuinæ reuelationi. Imo verò obsistit, vt monstratum est. Nam ex diuina reuelatione compertum habemus, diuinam reuelationem, in nullum materiale obiectum tanquam ex fide tenendum cadere, nisi per Ecclesiæ propositionem; & in ea obiecta cadere, quæ Ecclesia nobis proponit diuinæ reuelationi subesse. Qui ergo aduersùs Ecclesiæ propositionem arietat, eo ipso impetit reuelationem prædictam, de sequenda propositione Ecclesiæ, ac proinde est hæreticus. En quò audacia sua Spinam propulit.

Pia sententia, non est fide certa, vi decreti Basileensis, aut Constitutionis Sixti quarti.

41. ERit etiam qui aliunde quoque, notam hæreseos, aut erroris, saltémque temeritatis, eidem Spinæ ac quibusuis assertoribus maculatæ conceptionis inurendam putet: eo quod sententia affirmans conceptionis puritatem, vel sit definita ab Ecclesia, vel eo gradu certitudinis donata, vt nequeat ei subesse falsum: saltémque tam communi consensione Doctorum omnium, (præterquàm eorum quos pudor resilire à maiorum consiliis vetat;) sit vbiuis recepta, vt contraria meritò videatur dici posse contra torrentem. Veritatem de pura & immaculata Deiparæ conceptione passiua, esse ab Ecclesia definitam, affirmauit Clictouæus ad l. 1. Damasceni de fide c. 11. & Cartusianus in 3. d. 3. q. 1. *in fine*. Idémque ad orationem Chrysippi de laud. Deip. *pag*. 45. margini illius Ioannes Picus. Et idem tradit Pelbartus l. 4. Stellarij parte 1. art. 1.

Hi omnes censuerunt id esse sufficienter definitum decreto Concilij Basiliensis sess. 36. quod definiuit, sententiam de immunitate Virginis à peccato originali, esse piam & consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & sacræ scripturæ; ideoque ab omnibus Catholicis amplectandam & approbandam, nullique de cætero licitum esse in contrarium prædicare & docere. Pelbartus supra, idem fundat in decretis Sixti 4. quem ait determinasse, & credendam declarasse, puritatem conceptionis. Sed fallitur, Sixtus

enim nihil tale definiuit; quamuis opinioni piæ valdè fauerit: & idcircò ab aduersariis apud Catharinum l. 2. pro concept. *ferè in fine*, malè habitus sit, atque proscissus. Absurdissimè verò Christophorus A capite fontium sermone priore de honore B. Virginis *pag.* 17. adductus eo Sixti 4. decreto, affirmat, Ecclesiam credere, conceptionem Deiparæ fuisse immaculatam, & omnes qui credunt Ecclesiam non posse errare, eodem jure teneri credere, conceptionem illam caruisse peccato originis: Etiamsi Ecclesia, ex indulgentia, ad bonum pacis concedat, vt qui volunt, non ita atque ipsa, super hac conceptione credant. Imo etiam per Sixtum, percusserit anathemate, damnantes contrariam sententiam. Hoc dico absurdissimè proferri, nec cohærenter; quia quisquis credit contra quàm credit Ecclesia, hæreticus est, nec est ea in parte locus indulgentiæ. Satis de Sixti decreto.

Quod verò ad alterum fundamentum propositum spectat, prærerquàm quod Concilium Basiliense, quoad omnia decreta post depositionem Eugenij, inter quæ est istud, (vt fusè prosequitur Corduba l. 1. q. 44. propositione 3. §. *ex quo sequitur*, licet refragetur Maior in 2. d. 30. q. 4. conclus. 3.) reprobatum est in Concilio Lateran. Sub Leone 10. sess. 11. ideóque non potest facere certam fidem, nihil video in iis quæ ex eius decreto retuli, quod ferat definitionem de fide. Posset enim opinio pia cui subscripsimus, omnibus illis titulis decorari, tametsi non definiretur. Et reuera hoc tempore, post constitutiones Pauli 5. & Gregorij 15. quibus interdicitur promulgatione quacunque sententiæ statuentis conceptionem Deiparæ esse maculatam, & decreta Sixti 4. & Concilij Tridentini rata habentur; videtur Ecclesia omnia illa tradere de pia sententia, quæ tradidit de ea Concilium Basileense: & tamen Ecclesia in decretis Pauli & Gregorij, disertè contestatur, se eam non definire tanquam de fide.

Nec idcirco quod extet Regula approbata, sub titulo conceptionis immaculatæ.

42. Video tertium quoque fundamentum, jactandi nostram sententiam esse ab Ecclesia definitam, peti posse ex regula Monialium approbata à Iulio 2. sub titulo conceptionis immaculatæ; in cuius regulæ variis capitibus, asseritur immaculata conceptio. Vt in c. 2. vbi formula professionis proponitur, & disertè dicitur, eam emitti ob amorem Dei, & in honorem immaculatæ conceptionis Deiparæ. Rursusque c. 3. pallium decernitur vsurpandum hyacinthini coloris, vt significetur animam B. Virginis, à sua prima creatione, totam sanctam atque cœlestem fuisse.

Verùm hinc quoque non infertur, nostram sententiam esse de fide. Nam quamuis communiter rectè statuatur, Pontificem non posse errare in approbatione status religiosi, ac regulæ cuiuspiam: tamen hoc intelligitur quoad substantialia status, spectantia ad mores Christianos, & perfectionem. V. G. quod licitum sit vouere talem abstinentiam, aut profiteri talem obseruationem,

Nihil autem necesse est, omnia quomodolibet in regulis approbatis memorata, censere definita ex fide. Quin etiam vt regula obseruationem aliquam indicens, approbetur specialiter, satis est quod ea obseruatio ex prudenti judicio vsurpetur; sitque pia & bona; quod optimè potest reperiri in obseruatione nixa notitiis speculatiuè falsis, nec nisi practicè veris. Itaque etiamsi approbata directè esset regula indicens cultum conceptionis immaculatæ, non sequeretur talem regulam vacare errore speculatiuo. Multo magis idem dicendum est, de regula indicente alium aliquem actum, ob extrinsecum finem honorandi immaculatam Deiparæ conceptionem. Quare ex approbatione regulæ sub honore immaculatæ conceptionis, non sequitur eam esse ex fide credendam. Et ita rectè Corduba l. 1. q. 44. conclus. 3. *in fine*.

Nec ob decretum Concilij Apostolici.

43. SEd neque fundare licet certitudinem fidei nostræ sententiæ, in decreto ab Apostolis in hanc rem edito, in primo Concilio: quod dicunt Granatæ anno 1596. repertum in libro plumbeo, vt refert Morales. l. 3. in Matth. tract. 1. *in fine*. Verba decreti ista sunt. [Illa Virgo, illa Maria, illa sancta præseruata fuit à peccato originali, in primo instanti suæ conceptionis; & libera ab omni culpa, & qui ita non senserit, non consequetur salutem æternam.] Alij excommunicationis fulmen in decreti contemptores, vibratum addunt, vt videre est apud Perlinum l. de concept. dist. 7. c. 1. n. 1. Frustra autem Biuarius ad Chronicam Flauij Dextri, anno 368. n. 9. tentat verba proposita trahere ad conceptionem actiuam B. Virginis; suspicatus non fuisse fideliter versa; cum tamen nihil proferat, vnde illa eius suspicio fulciatur. Dicendum potiùs est, libros istos Granatenses, præsertim ex interprete spectatos, non facere certam fidem; nominatim juxta modum de eis sentiendi quem inquit idem Biuarius commentario ad Chronicum prædictum, anno Christi 54. n. 4.

Certè si admittamus hoc decretum Concilij Apostolici esse Authenticum; impossibile est exponere, quomodò eius doctrinæ autoritas, non collidatur cum responsis Pontificum; quæ ferunt nihil hactenus ab Ecclesia definitum esse hac in parte, quod disertè habet Pius 5. in Extrau. de hac materia, & Sixtus 4. in Extrau. *graue nimis*, & passim Pontifices posteriores, aliis de hac re decretis. Fuerunt qui dicerent, Pontifices tantùm intendisse dicere, nihil hactenus super hoc puncto definitum esse ab Ecclesia, tanquam de necessitate salutis credendum ex fide: vnde fatentur, mirum non esse quod postea fides illius veritatis obsoleuerit, jámque liberum sit eam non credere tanquam de fide. Si enim Apostolis visum esset eam veritatem esse credendam ex necessitate salutis, non permisisset Deus illam obliterari, cum certo exitio fidelium. Verùm hæc est voluntaria limitatio edictorum Pontificiorum. Plerique enim Pontificum, absolutè & simpliciter dixerunt, nihil de hac re quomodocunque definitum esse ab Ecclesia. Itaque expeditius est, vti responsione quā attulimus.

Nec pia sententia vllo modo definita, nec contraria damnata ab Ecclesia.

44. PLacitum ergo aduersariorum de maculata Deiparæ conceptione, nullo ex capite arguendum est hæreseos, vel erroris contra fidem: nec nostra sententia venditanda est tanquam ex fide certa; idque si voluit Titelmannus Ioan. 2. cum dixit, *eam nunc non posse negari absque impietate*, audiendus non est. Sed fortassis *impietatem* accipit, pro *non pietate*, & pro remisso erga Virginem affectu.

Non modò autem sententia nostra non est certa secundùm fidem, defectu definitionis Ecclesiasticæ; sed neque definitum est ab Ecclesia, eam esse magis piam,& magis tutam. Qua in parte dissidemus à Salazario l.de concept. c. 43. §. 1. idcircò affirmante, sine errore & temeritate, negari non posse eam majorem pietatem, & securitatem nostræ sententiæ. At vbi ea Ecclesiastica definitio? Quod enim Pontifices, festum Conceptionis immaculatæ religioso cultu transigendum proponunt; & id piè ac securè faciendum docent; satis subsisteret posita nostræ sententiæ probabilitate, quia cultus ex eo probabili atque adeò practicè certo judicio præstitus, pius est ac securus, & errore practico vacans: ita vt etiamsi ad eum præsupponeretur, error speculatiuus, eo quod conceptio reipsa fuisset maculata, tamen judicium prudentiale concludens ratiocinationem, cui error ille speculatiuus intexeretur, non destitueretur veritate practica & morali, sufficiente ad fundandam religiosam honestatem actionis per eam regulatæ. Itaque quod Pontifices in hac re definiuerunt, illud duntaxat est, sententiam de conceptione immaculata, ita esse piam & tutam, vt tamen non sit de fide, neque contraria sit formaliter hæretica aut viceuersa; eo quod neutra sit contra verbum Dei per Ecclesiam propositum; & neutra quoque tanquam à Deo reuelata, sit fidelibus proposita per Ecclesiam. Et quamuis certum existimem, alteram earum esse à Deo reuelatam reipsa, saltem virtualiter & implicitè, quantùm necesse est vt possit ab Ecclesia definiri; ideóque concedam Ecclesiam posse alteram è duabus illis sententiis pugnantibus definire ex fide credendam, (quicquid causæ suæ diffidentes, & eius securitati prospicientes, in contrarium dixerint, Canus & Caietanus, meritò reiecti à Vasque 3. p. d. 117. c. vltimo, Suare t. 2. 3. p. d. 3. s. 6. & Salazario l. de concept. c. 43. §. 6.) tamen quamdiu Ecclesia neutram definit, neutra est de fide, vel contra fidem.

Ne materialis quidem hæreseos est damnata.

45. EO ipso tamen, quod vt præmisi, altera earum falsa est reipsa, & altera vera quæ definiri ab Ecclesia potest; fatendum est alteram earum esse materialiter de fide, & alteram esse materialiter contra fidem. Nam nisi diuina reuelatio ab initio Christianæ Ecclesiæ super vnam earum cecidisset, non

posset ab Ecclesia definiri. Nunc enim Ecclesia non accipit nouas reuelationes dogmaticas, vnde non potest condere nouos fidei articulos; sed tantùm potest verum sensum verbi diuini reuelati, scripti, aut traditi proponere, & quæ inde per euidentem consequentiam infert, explicare, & credenda proponere fidelibus, non vt deducta, sed vt explicata. Eo ipso ergo quod vna earum nunc definiri potest, certum est reuelationem super eam cecidisse jam olim: atque adeò certum est, eam esse materialiter de fide, & contrariam quia ab ea reuelatione dissentit, esse materialiter contra fidem, & materialiter hæreticam. Non est tamen definitum, partem cui adhæremus, quæ scilicet conceptionem agnoscit puram & immaculatam, esse illam super quam reuelatio cecidit: & contrariam partem, esse illam quæ dissentit à reuelatione; sed tantùm definitum est, partem cui adhæremus, non pugnare formaliter & explicitè cum verbo Dei, prout hactenus proposito per Ecclesiam: quod valere posset, etiamsi enunciatio cui subscripsimus esset falsa, pugnáretque reipsa & materialiter cum verbo reuelato; atque adeò etiamsi esset materialiter hæretica, qualem eam non esse, minimè est definitum. Vnde nullomodo approbo, quod Salazarius l. de Concept. c. 43. §. 4. affirmat: nimirum non posse subesse falsum enunciationi, quæ asserit cōceptionem immaculatā. Hoc enim non potest verè affirmari, nisi statuatur definitum esse, hanc enunciationem non esse materialiter hæreticam. Id verò definitum non est, vt Pontifices sæpè sunt contestati: sed tantùm definitum est, quasi modaliter, neutram enunciationem contradictoriam in hac materia, pugnare formaliter & explicitè contra fidem, vt necesse esset ad hæresim. Itémque definitum est, neque vllum fidei articulum ex alterutra labefactari, sicut necesse esset, vt alterutra esset erronea. Quare ratum esto, doctrinam de conceptione Virginis maculata, quam impugnauimus, non posse dici formaliter hæreticam, nisi Ecclesia in posterum aliud definiat.

An damnari saltem queat temeritatis, si ne Diuum quidem Thomam pro se habeat.

46. ERit forrassis qui pronunciet, partem puritati conceptionis aduersantem, esse saltem temerariam, ob communem ferè (nunc quidem,) totius Ecclesiæ consensum, in assertionem puritatis. Admodùm namque pauci supersunt, quibus arrideat impuritas illa: & ex iis ipsis qui eam aliquando approbarant, plerique omnes qui bruta pertinacia non obduruerunt in proposito, mentem mutarunt. Id de Alexandro Alensi, testantur Pelbartus l. 4. Stellarij p. 1. art. 3. & alij. S. Bonauenturam reuocasse sententiam de maculata conceptione, edito libro, refert ex nonnullis Catharinus l. 4. contra Caiet. *pag.* 314. S. item Thomam, qui in ea sententia censetur fuisse, Ioannes Vitalis testatur retractasse postea priorem sensum suum, & concessisse in sententiam piam.

Quanquam sunt etiam qui contendant, S. Thomam ea retractatione non

eguisse : quod reipsa nunquam fuerit in sententia non pia, sed ab interpolatoribus immutatum fuisse textum eius 3. p. æquè ac constat tentatum id esse aliis locis. Sanè Henriques l. 3. summæ c. 11. *litera M.* & Pineda in c. 7. Ecclesiastici versu 29. num. 8. apertè euincunt, manifestum & multis variisque codicibus testatissimum S. Thomæ locum, pro puritate conceptionis Deiparæ, in c. 3. ad Galat. lect. 6. infideliter fuisse truncatum in recentioribus editionibus. Similiter Opusc. 4. in expositione salutationis Angelicæ, vt obseruarunt Canisius l. 1. Mar. c. 6. & Salaz. lib. de Concept. c. 42. seculo 13. olim textus S. Thomæ, continebat apertam & illustrem assertionem immaculatæ conceptionis, vt etiam fassus est Turrecremata, referente ibidem Salazario. Nunc autem nihil tale ibi legitur.

47. Habemus recens eiusdem infidelitatis experimentum. Nam S. Thomas in 1. d. 44. q. vnica art. 3. ad 3. in antiquis omnibus editionibus, & nominatim in Lugdunensi anni 1520. recognita à F. Lamberto Campensi, & in Romana jussu Pij 5. confecta, & ad probatissimos Codices collata, habet hæc verba, quæ à variis quoque antiquis referuntur tanquam D. Thomæ, vt à Pelbarto l. 4. Stell. p. 1. art. 3. probatione 12. *B. Virgo à peccato originali & actuali, immunis fuit.* Hanc illius textus particulam, qua peccatum originale ex mente S. Thomæ à Deipara remouetur, F. Cosmas Morelles, intolerandæ audaciæ specimine, abrasit ex nupera Antuerpiensi editione operum S. Thomæ, apud Ioannem Keërbergium, cui præfuit anno 1612. ratus hanc fore optimam illius loci expeditionem : non autem plerasque alias, ineptas sanè, quas ex Capreolo & aliis Thomistis ea verba tanquam D. Thomæ agnoscentibus, adducit Catharinus, l. 2. de concept. §. *adhæc sicut.* At iste, nodum maluit scindere, quàm expedire.

Simili fide in alia materia, vsus nuper est F. Lemos, in Romana editione summæ S. Thomæ. Nam 1. 2. q. 102. art. 4. cum Textus in omnibus antiquis Codd. haberet, arcam & propitiatorium fuisse lapidea ; Lemos ex suo capite, mutauit quæ voluit, commentus fidem quorundam Codicum, qui nusquam comparuerunt, & nunquam ostendi potuerunt, quantumlibet vrgentibus nonnullis, qui stropham deprehenderant. Quod ergo in hac materia factum, ipsi palpamus, æquè fieri potuisse in causa Conceptionis immaculatæ, & reipsa factum esse, confirmant aliqui. Nec id mirum, si etiam reuelationes viuicomburiis expiatæ, autoritate Iulij 2. in hanc rem sunt excogitatæ, Bernæ anno 1509. vt habet Surius in illius anni historia, & appendix ad Nauclerum Nicolai Basilij, nec non continuator Eusebiani Chronici. Nec id dissimulauit Catharinus l. 3. de concept. *in oct auo testimonio.* Querelas item de afficta S. Catharinæ Senensi reuelatione, contra puritatem conceptionis Deiparæ, legesis apud Delrium 4. Mag. c. 1. q. 3. sect. 4. & apud Catharinum l. 4. contra Caietanum §. *quod verò adiecit.* pag. 357.

48. Ex his ergo infartis in D. Thomæ textum corruptelis, inferunt ij quos dicebam autores ; S. Thomam 3. p. q. 27. vbi censetur oppugnasse puritatem conceptionis, manu falsaria corruptum fuisse : idque confirmant, prolato perantiquo

pervetusto exemplari summæ S. Thomæ, quod esse dicunt apud F. Didacum Saramillo, Discalceatum, conuentus S. Didaci extra muros Hispalensis ciuitatis; in quo exemplari S. Thomas q. illa 27. perspicuè & disertè stat pro conceptione immaculata: Et memini ante annos aliquot, P. Ludouicum Vialentium, testimonio probati ex ordine Prædicatorum Theologi, à quo id ipse audiuerat, confirmasse; extare Massiliæ, (extabat saltem tunc temporis;) vetustum exemplar summæ S. Thomæ in Prædicatorum cœnobio, quale diximus referri esse apud Hispalenses. Itaque periclitantur aduersarij, destitui à S. Thoma. Vnde firmari posse videtur, nota illa temeritatis, & obfirmationis contra torrentem, quam dicebam non defore fortassis qui inurerent sententiæ non piæ, contendendi Conceptionem B. Virginis fuisse maculatam.

Aduersarij omni prorsus nota liberantur: Par eorum sobrietas, expetitur.

49. Nihilominùs, vt vt alij pronunciaturi sint, sententiam quam Ecclesia condemnatam noluit, nec ego condemnatam volo: ac ne temeritatis quidem eam insimulo, qui infimus est reprobæ doctrinæ gradus. Item fateor cum Corduba l. 1. q. 40. concl. 3. repugnante licet Maiore in 2. d. 30. eam sententiam non piam, per se loquendo, teneri posse absque vllo peccato, etiam veniali. Esto, per accidens ratione scandali, quamuis positiuum præceptum non obstaret, mortale ferè semper sit futurum, eam ad populum pro concione affirmare. Tamen hoc est per accidens. Negari tamen non potest, quin ea sententia puritatem conceptioni passiuæ, Virginis sanctissimæ abrogans; sit non pia; sit etiam repugnans communissimo nunc sensui fidelium; & ab omnibus propè Academiis exulet, adactis juramento Doctoribus ad eam auersandam: ad quod etiam, pleræque Religiosæ familiæ alumnos suos astringunt, magna ergà Deiparam significatione pietatis.

50. Vtinam verò aduersarij, qua accuratione indemnitati sententiæ eorum prospeximus, eadem circa piam sententiam cui subscripsimus, vterentur: nec iis juribus quibus à Sede Apostolica & Concilio Tridentino donata est, non ferenda indignitate spoliarent. Nihil affingam. Ante paucos menses ex contrariæ sententiæ partiariis homo publico munere fungens in vrbe Pontificia celeberrima, cum rogaretur facultas mandandi typis Theses dicatas *purissimæ Conceptioni Deiparæ Virginis*; præcisè negauit, nec obtineri ab eo vlla ratione potuit, vt *puritatem Conceptionis B. Virginis*, typis exprimi pateretur. Et cum idem (pro more,) partis & judicis munere fungeretur, qui pro conceptæ Deiparæ puritate pugnabant, succubuerunt. Res fuit profectò indignissima. Nam summi Pontifices, & Synodus Tridentina, conceptionem Deiparæ, puram, & sanctam, atque adeò purissimam & sanctissimam dici, non modò illibentes non audiunt, sed etiam vt dicatur inuitant; & dicentes commendant, vetántque ne fideles, ita dicentibus obstrepant. Quæ ergo malùm ista aduersùs Ecclesiæ testatissimam voluntatem peruicacia, eo criminosior, quod inde manauit,

vnde exspectari iura debuerant ? Vindices enim & ex stilla aliqua participes Pontificiæ potestatis, ita se erga Pontificum scita gerunt, vt verum habeat, quod aliud Iudex nunciat, & aliud præco clamat. Quæ verò exspectanda erit sacrarum legum reuerentia ac firmitas, si ij ipsi qui in earum obseruationem excubant, vel excubare ex officio debent, exemplo suo ad violandum prouocent? Non enim puto constitutionem Sixti quarti cuius initium est *Graue nimis*, confirmatam à Concilio Tridentino, & à permultis consequentibus Pontificibus, posse apertiùs conculcari, quàm obstando ad eum modum, ne studiosi sanctitatis Deiparæ conceptæ, illam profiteantur, imo enuncient. Nihil quippe aliud est puritas, quàm sanctitas & remotio impuritatis, siue maculæ atque peccati. Idque volunt varij Patres, qui Deiparæ summam puritatem tribuunt, adducti apud Richardum à S. Laurentio l. 4. de Deip. *pag.* 238. Et ipse D. Thomas quem aduersariis obtrudo ex 1. s. d. 44. art. 3. ad 3. disertè agnoscit summam B. Virginis puritatem, eámque ad eum modum exponit prædicto loco, vbi sic habet. [Puritas intenditur per recessum à contrario: & ideò, potest aliquid inueniri quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit. Et talis fuit puritas Beatæ Mariæ Virginis, quæ à peccato originali & actuali immunis fuit.] Ac proinde vetare conceptionem Deiparæ dici puram, idem est ac vetare dici sanctam: qualem tamen eam vocat Ecclesia in octauo responsorio officij conceptionis: & vt vocare liceat, tot summorum Pontificum edictis, & Concilij autoritate tam disertè, támque perspicuè constitutum est. Vt non sit profectò aliud in Deiparæ conceptæ puritatem arietare, quàm per nonnullam Pontificiæ autoritatis participationem, Pontificias leges conuellere.

Puritas conceptionis Deiparæ, concluditur.

51. Opportunè hîc aduersarium affabor verbis Anonymi apud Anselmum, in declaratione subiuncta libro de conceptu virginali [Rogo te per eandem Beatam θεοτόκον, desiste, noli æmulari in malignantibus, Cessa syncerissimum vas incrustare, solue calceamenta pedum tuorum quæ impediunt progressum rectæ intentionis tuæ. Siquidem zelum Dei habes in hac parte; sed forte non secundùm scientiam. Forsitan enim putas in hoc errore, Deo te obsequium exhibere. Quod se nolueris cessare, scito quod terra hæc quam calcas, deuorat habitatores suos, vltionem faciens in omnes filios diffidentiæ.] Errorem meritò vocauero, negare, puritatem Deiparæ conceptæ, propugnari & exprimi posse. Quamuis igitur sententiam puritati Conceptionis aduersantem, omni nota liberem; neque oppositam cui adhæsi, venditem vt certam ex fide, & cui non possit subesse falsum, perinde ac si reuelatione per Ecclesiam proposita perfunderetur; (id enim fateor falsò jactandum, quamdiu Ecclesia perget silere, nec distinctiùs aperiet mentem suam hac in parte.) Tamen ratam planè esse volo sententiam quam tot Patrum suffragiis & testimoniis, consentanèe ad Scripturas & probatas reuelationes, nec dubia miracula,

roboratam; tot Pontificum fauoribus, & illicibus decoratam; tanto Doctorum & fidelium propè omnium consensu exceptam, & retentam vidimus: cui si aliqui Sancti viri, ante aliquot secula visi sunt repugnare; consilium Dei in ea permissione obseruat S. Birgitta; ex ore ipsius Deiparæ l. 5. reuel. *ad finem*, dicens sic visum Deo, vt quilibet ostenderet Zelum suum, donec veritas clarescerer in tempore præordinato.

Transitum ad nodum, ac nodulum, primæ sanctificationis Deiparæ. De nodo, varia placita.

52. SIc constituta, & contra aduersantes stabilita sanctitate Deiparæ in primo momento sui esse, inquirendum breuiter restat, quomodo ea prima gratia sanctificans Virgini obuenerit: an scilicet ex mera Dei beneficentia & largitate, an verò interueniente merito congruo & dispositione B. Virginis: Itémque quanta fuerit intensio eiusdem gratiæ, & quibus adiunctis supernaturalibus habitibus sit conuestita: quod ad augmentum eius extensiuum accedit, & est hoc loco expediendum.

Et de modo quidem comparatæ per Virginem huius primæ sanctificationis, inuenio tres dicendi modos. Primus merum opus operatum in hac sanctificatione agnoscit. Secundus, per merum opus operantis collatam totam eam gratiam docet, eo modo quo peccatori qui extra Sacramenti susceptionem prefectè conuertitur, datur gratia ex solo opere operantis. Ita Suares t. 2. 3. p. d. 4. s. 8. post S. Bernardinum ser. 51. de B. Virgine. Tertius partim ex opere operato, partim ex opere operantis, obuenisse B. Virgini hanc gratiam affirmat. Ita Henriques l. de fine hom. c. 10. §. 8. & Mendoça l. 2. florum sacrorum problem. 7. Sicut enim cum quis absoluitur simul & conteritur, recipit duas portiones gratiæ; vnam ex opere operato Sacramenti pœnitentiæ, quod tunc substantialiter consummatur; alteram ex opere operantis, respondentem contritioni tunc elicitæ: ita Deipara, ex sua dispositione accepit partem gratiæ eidem dispositioni commensam: excessum verò accepit ex mera Dei largitate. Fuit enim ea prima gratia omnino magna, vnde excessit dispositionem à Deipara àdhibitam, vt hi autores arbitrantur.

Fuit ex òpere operantis, dato Virgini, rationis vsu præcoquo.

53. MIhi subscribendum omnino videtur secundo modo dicendi, dummodò supponamus B. Virginem, in primo momento sui esse, donatam fuisse vsu rationis & libertate: de qua prærogatiua non puto dubitandum, si admittamus Ioannem Baptistam eam habuisse in vtero matris, cum exultauit in gaudio ad Christi aduentum: quæ est constans Patrum sententia apud Canisium l. 1. de S. Ioanne cap. 1. & apud Suarem t. 2. 3. p. d. 4. s. 7. nec non apud Vasquem d. 119. c. 3. & Castrum in historia Deip. c. 6. n. 5. Eámque ex verbis S. Elisabethæ rectè eruit Toletus ibi annot. 118. Et cum

S S. Patres passim, cum Ioannis motum intelligant de motu arbitrario & per libertatem indicto, non possumus succussionem inuoluntariam ad præsagium diuinitùs causatam, interpretari: etiamsi id vnum interpretentur aliqui accidisse Cæsari Baronio, cum materna aluo latens, ad omnia Virginis templa quæ mater subibat vel adibat, gestire & exultare deprehendebatur à matre, vt in Baronij Elogio scribit Spondanus. At in Baptista, quicquid secus ipsum sit Iansenio, Patres cogunt *exultationem* accipere de motu libero. Si ergo Baptista, ad exercendos in materno vtero actus supernaturales, obtinuit eam accelerationem vsus rationis; quanto æquius est, idem priuilegium tantoperè conferens ad sanctitatem & perfectionem optimo modo consequendam, B. Virgini concedere? Sine dubio igitur B. Virgo jam ex vtero habuit vsum rationis. Et cum nulla sit circa eam ratio differendi collationem illius beneficij, sicut suppetebat circa Ioannem Baptistam, pro quo exspectandus fuit occursus Christi; rectè superiùs statuebam, hoc beneficium impensum esse Virgini à primo momento sui esse, ad se offerendam Deo mane diluculo: siue donum illud paulo post cessarit, nec nisi eum naturale tempus vsus rationis appetiit, vsa sit Virgo ratione plena, quod de Ioanne sentiunt aliqui, interquos Ludou. à Tena, lib. 2. Isago. diffic. 12. s. 1. §. *vtrum verò:* siuè donum illud acceleratæ rationis, perpetuum & Ioanni & Virgini fuerit, saltem in vigilia, vt affirmant Vasq. 3. p. d. 119. c. 4. & Suares s. illa 7. quod videtur verisimilius, quia vt est apud Apostolum, firmátque communis sensus, dona Dei sunt sine pœnitentia, neque auferuntur absque culpa; præsertim cum dantur ad commodum suscipientis, & vberiorem eius sanctificationem, cuiusmodi reuera est hoc donum de quo agimus.

54. Per hoc donum, potuit B. Virgo exercere jam à primo momento, supernaturales actus, vel scientiæ infusæ non exigentis cooperationem phantasiæ, vel fidei: quam tamen vel oportuit armari & instrui speciebus suapte natura infusis, ac proinde independentibus à cooperatione phantasiæ, vel certè liberari necessitate concomitantiæ actus phantastici, cui naturaliter colligatur intellectus, exercens in nobis actum fidei: eo quod species quibus in eo formando vtimur, haustæ sint à sensibus. Vtrumque autem potuisse à Deo fieri, perspicuum videtur. Quæ enim repugnantia proferri potest, quominus dentur species extremorum, ad actum fidei formandum opportunæ, independentes à phantasia? Fuerunt certè tales species in Angelis, cum viatores essent, & actum fidei elicerent. Quidni item species acquisita exolui possit ea necessitate concomitantis phantasiæ, qua naturaliter vrgetur? Malè ergo vtrumque inficiatus est Vasquez 3. p. d. 119. c. 9. Quanquam autem gratis daremus, phantasiæ concomitantiam essentialiter exigi, nihil esset quod vetaret, Deum ita confortare phantasiam, vt posset etiam in fœtu nunc primùm excipiente animam, cooperari intellectui, elicienti actum fidei.

55. Ad hunc modum supposita acceleratione vsus rationis in Deipara, cum primùm anima eius conserta est corpori; admitto B. Virginem se disposuisse ad totam gratiam quam in prima sanctificatione accepit. Quod tradunt

Suares supra adductus, & grauissimi DD. apud Henriquem lib. 1. summæ c. 14. n. 3. *litera P.* Idem apertè videtur tradere S. Birgitta in sermone Angelico capite 5. *in ipso fine.* Et ratio est, quia non debemus in hac parte despicatiùs statuere de Deipara, quàm de Angelis, & primo homine. Atqui Angelos disposuisse se ad totam gratiam in qua sunt creati, communissima est doctrina, cui pauci sunt refragati, vt Molina 1. p. q. 62. art. 3. Capr. in 2. d. 4. q. 1. ad. 1. contra 4. Alex. 2. p. q. 29. memb. 1. art. 7. & Henr. quodl. 8. q. 10. Sed ex ruinosis fundamentis, quæ plenè euertit Suares l. 5. de Angel. c. 7. monstrans possibile fuisse Angelo, operari supernaturaliter in primo momento sui esse, séque disponere ad gratiam: & addens c. 8. ita de facto contigisse. Primum item hominem se disposuisse ad gratiam sanctificantem in qua conditus est, confirmat Azor t. 1. l. 3. c. 33. q. 2. & Suares l. 3. Cosmop. c. 19. post S. Thomam 1. p. q. 95. art. 1. ad. 5. Hæc de Angelis & primo homine, passim admittuntur. Nec sanè est, quod vetet, puram creaturam diuinitùs præuentam, se disponere ad gratiæ infusionem ij si coæuam, per proprium actum: simul quidem elicitum cum infusione gratiæ, sed tamen natura priorem tali infusione, eiúsque meritorium; non quidem de condigno, ne principium meriti cadat sub meritum, sed de congruo: quamuis simul sit condignè meritorius gloriæ. Hic ergo modus obtinendi gratiam, cum sit longè honorificentior creaturæ, nec Deo operosior, cui omnia sunt ad manum, & gloria creaturæ suæ perchara, decentissimè seruatus est quoad Angelos & primum hominem; multóque decentiùs quoad Deiparam, cuius honor est Deo multo magis curæ, quanto differentius ab illis nomen hæreditauit.

Cumulus verò gratiæ quam tunc Virgo accepit, quantus fuerit, (de quo mox,) non potuit transcendere dispositionem Deiparæ, si visum est Deo illam præmouere ad dispositionem toti illi cumulo accommodatam: Ipsa autem Virgo, præmotioni illi & sollicitationi, adæquatè respondit. De qua correspondentia non puto dubitaturum quenquam, quia vix ab aliquali peccato libera esset; cum tamen nullum peccatum, ac ne tenuissimum quidem, in B. Virgine locum habuerit vnquam. Saltémque non potest expurgari à magna imperfectione, quam nemo pius affricuerit Deiparæ absque graui fundamento, quod hîc nullum habetur. Itaque euanescit argumentum supra adductum ex tertia sententia, quæ totam primam Virginis gratiam, obtigisse absque dispositione affirmabat; causata illius gratiæ propè immensitatem, de qua pronunciandum sequitur.

Quanta intensio, eiusdem primæ sanctificationis.

56. ET quidem quis præcisè fuerit illius gratiæ aceruus, statuere certò non possumus. Quandoquidem enim partus est interuentu propriæ dispositionis, hæc autem correspondit adæquatè excitationi diuinæ, qua Virgo sollicitata est ad actum gratiæ feracem de congruo: idcirco, sicut de quantitate diuinæ præmotionis ad congruam dispositionem, liquere nobis non potest;

ita neque de quantitate gratiæ quæ per eam dispositionem est comparata. Conjicere tamen admodùm probabiliter possumus ac debemus, & præmotionem & dispositionem, iisque subiunctam gratiam, valdè eximias & copiosas fuisse. Multa in hanc rem differit Suares t. 2. 3. p. d. 4. sect. 1. contendens gratiam B. Virginis, jam ex momento conceptionis, fuisse copiosiorem ea gratia in qua Angeli & homines consummantur: vt hoc quoque modo verum sit, fundamenta Virginis fuisse in montibus sanctis, quia homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Contendunt quoque passim autores, dignitatem matris ad quam Virgo jam ex primo momento sui esse, electa diuinitùs erat, quandam gratiæ propè immensitatem deposcere. Quod si Angelus summus in primo suæ creationis momento, disposuit se ad gratiæ quantitatem, gratia cuiusuis puræ creaturæ præterquàm Deiparæ, intensiorem; (superat enim gratia omnes homines puros præter Deiparam, & tempus viæ habuit admodùm breuè, vt propterea non potuerit gratiam suam multum augere post primum instans) quis dubitet hanc veri Solis auroram, in primo exitu, Angelo summo atque adeò puris qnibusuis hominibus rutilantiorem, & nitentiorem fuisse? Idest, copiosiorem gratiam, & intensiorem jam ex primo conceptionis momento esse sortitam, quàm sortiantur in sua consummatione Angeli & homines. Hoc de hominibus puris sigillatim, déque Angelis quibusuis diuisim sumptis, videtur pium ac verum. Nec puto aliud intendere eos, qui primam hanc Deiparæ gratiam, docent intensione superare gratiam in qua Angeli & homines consummantur. Incredibile quippe videtur, eos quod ad primam sanctificationem attinet, agere de gratia Angelorum & hominum collectiuè sumpta, quicquid sit de gratia in fine vitæ B. Virginis de qua postea.

57. Quia verò gratiam in substantia animæ receptam, affectatur satellitium habituum per se infusorum, & donorum Spiritus sancti, tanquam vel præsidium vel ornamentum potentiarum quibus illi habitus & dona adueniunt: propterea asserendum consequenter est, B. Virginem in primo momento sui esse, hæc omnia diuinitùs accepisse. Vt autem id distinctiùs pateat, secernenda sunt tria habituum & donorum genera; vnum quod intellectui, alterum quod voluntati, tertium quod appetitui sensitiuo communicatur. Nam etiamsi hoc postremum membrum non sit virtutis intellectualis aut moralis, est tamen genus quoddam habitus proportionatum subiecto: & in materiis naturalibus, numeratur inter rudimenta virtutum, vt plenè trado l. 1. de Virtut. sect. 1. à num. 115. Omitto hoc loco potentiam exequentem, quia ea facultas non perficitur immissione alicuius habitus aut doni creati, sed tantùm adiunctione extrinseca diuinæ potentiæ, assumentis vim creatam cui assistit cum operandum est. Ac ne sit quidem, potentia exequens Deiparæ, initio erupit in vllos actus miraculosos; sed longè post: vnde non est quod hoc loco mentionem eius ingeramus.

Corollaria eius, in Intellectu Deiparæ.

58. QVoad intellectum ergo, admittendum est inditum ei à primo momẽto fuisse habitum fidei. Cum enim fides sit substantia & basis non modò rerum sperandarum, sed totius spiritualis ædificij; non potuit non substerni in Virgine. Difficultas verò esse potest, an species extremorum quæ ad fidem complendam exiguntur, fuerint concreatæ habitui fidei, quales in nobis sunt; hoc est essentialiter naturales, & exigentes cooperationem phantasiæ, à qua naturaliter hauriuntur; an essentialiter supernaturales, quales inditæ sunt Angelis, ab initio creationis. Admitto hoc secundum. Si enim hoc secundum dicamus, facile erit negare, necessarium fuisse communicari Virgini in primo momento, respectu mysteriorum supernaturalium, permanentem habitum scientiæ infusæ, qui non est consentaneus statui viatoris: vt propterea Suares. t. 2. 3. p. d. 19. s. 3. *in fine* neget habitum illum esse communicatum B. Virgini, eámque fuisse Patrum & antiquorum Theologorum sententiam contestetur. Si autem assereremus, species fidei deseruientes, communicatas B. Virgini jam ex primo momento, fuisse naturales, & consortium phantasiæ exigentes, sicut in nobis; difficile esset, negare inditum fuisse Virgini jam à principio habitum scientiæ infusæ, quia multa de B. Virgine passim admittuntur, quæ postularent eum habitum V. G. quod contemplationem habuerit jugem, & à corporis fatigatione liberam; & quod eius ratio semper vigilauerit, ad præueniendos omnes motus inordinatos. Vt omittam dispositionem qua se aptauit congruè ad primam gratiam: Hæc enim dispositio, cum fuerit actus momentaneus, facilè referri posset ad scientiam infusam, non permanentem, & ex habitu, statui viatorum non consentaneo deriuatam, sed transeunter communicatam quoad solum actum, & vi solius auxilij actualis elicitam, secluso habitu. Quum ergo habitus scientiæ infusæ sit aliquid suapte natura stabile, nec sit consentaneus statui viatoris; & quamuis non repugnet eum cohærere cum habitu fidei juxta sententiam probabiliorem, quæ etiam actus vtriusque habitus simul in eodem subiecto collocari posse asserit, quamuis actus videantur inconciliabilius diffidere quàm habitus; Tamen si habeatur ratio connaturalis cohærentiæ, non quadret cum habitu fidei, quem certum est habuisse locum in B. Virgine. Propterea dicendum videtur, habitum scientiæ infusæ non fuisse inditum intellectui Deiparæ, siue in primo momento sui esse, siue etiam postea. Quod generatim de quibusuis puris creaturis asserit Suares prolego. 3. de gratia c. 5. n. 30. quamuis vt B. Virgo aliquem huius scientiæ actum, raptim & in transitu aliquando habuerit, nihil sit quod prohibeat.

59. Quod dixi de habitu fidei, dicendum similiter est de donis habitualibus Spiritus sancti, pertinentibus ad intellectum, qui multi sunt; & inter se, & à fidei habitu specie discrepant, vt ostendendum est 1. 2. q. 68. tractátque Suares l. 2. de gratia à c. 17. qui l. 6. eiusdem operis c. 10. n. 5. obseruat non esse quidem ex fide certum, quod ij habitus à fide distincti, communicentur de

facto justis : tamen esse valdè probabile, & ita insinuari apud Esaiam describentem spiritus in Christo requiescentes ; idest permanenter & habitualiter insidentes : sicut ex simili modo loquendi de Spiritu sancto animam inhabitante, & mansionem in ea faciente, colligitur habitus gratiæ sanctificantis, qui sit terminus actionis illius continuatæ, ratione cuius, Spiritus dicitur mansionem in anima facere. Hæc ergo habitualia, consilij, intellectus, sapientiæ, & scientiæ dona, actualibus correspondentia, de quorum discrimine alibi agitur; admitto Virgini ab initio inextitisse, tanquam valdè conducentia ad sanctificationem subiecti cui communicantur à Deo, & dignissima Dei matris ornamenta.

60. De his Deiparæ intellectualibus perfectionibus, quæstionem mouit Petro Venerabili, Gregorius quidam Monachus, de sua & aliorum quorundam mente, vt idem Petrus refert l. 3. epist. 7. *propositione* 2. tantæne, siue initio, siue etiam deinceps in mortali vita fuerint, vt æquarint vel excesserint Angelorum sapientiam. Quod Petrus Vener. constantissimè negat, eo quod alioqui concedendum esset, Deiparam iam ex hac vita, visam fuisse beatam, & Deum vidisse, in qua visione sita est Angelorum sapientia.

Verùm non modica æquiuocatio in disputationem Petri Venerabilis obrepsit; quia non rectè distinxit. Si ergo attendatur cognitio beatifica Angelorum beatorum, quatenus ad Deum clarè visum terminata, sic non est negandum, quin supernaturalis cognitio B. Virginis viatricis, claritate & perfectione cesserit cognitioni beatificæ Angelorum, qua vident Deum sicuti est : quum B. Virgo, siue per fidem, siue per scientiam infusam quam aliquando sortita est, id non haberet : At si aliæ notitiæ supernaturales beatorum, (negligo naturales, quia in eis præcellere nequaquam intererat Virginis ;) conferantur cum notitia simili B. Virginis ; & obiecta supernaturalia inferiora Deo, siue in verbo, siue extra Verbum ab Angelis percepta, conferantur cum obiectis intellectus Deiparæ ; (qui debet esse punctus controuersiæ, de præcellentia sapientiæ angelicæ, & eius quæ B Virginem adhuc viatricem exornauit ;) sic dicendum videtur, sapientiam Deiparæ viatricis, non modò exæquasse angelicam, sed etiam superasse : quicquid fortassis voluerit Petrus Venerabilis: cuius tamen illud dictum de sapientia Virginis, supra sapientiam omnium viatorum, exosculandum est, & omni cum veneratione approbandum [Planè habuit ingentem & omni sanctorum mortaliter viuentium sapientiæ valdè præferendam sapientiam : non eam quæ more Philosophico de creaturis curiosè disputat : sed eam, quæ Creatoris cognitionem deuotè atque sollicitè inuestigat. Quantumcumque enim intellectus proficiat ad solam creaturarum veritatem perscrutandam, magis *scientia* quàm *sapientia* dicitur. Ille autem intellectus, qui per creaturas, vel sine creaturis, se in agnitionem & amorem solius Creatoris extendit, *sapientia* verè vocatur. Hanc itaque sapientiam, quæ cæteris affectibus posthabitis, in solius conditoris & omnium bonorum auctoris agnitionem, & defæcatissimum amorem, adiuta ipsius conditoris gratia se totam diffundit, Beata Virgo & mater Dei, plus omni mortali in carne

carne viuente obtinuit; & ea sapientia sapiens, conditorem suum & omnium, omni mortale creatura excellentiùs agnouit, coluit, dilexit: & quantum hîc à viuente videri, vel comprehendi poterat, licet incomprehensibilem, comprehendit.] Confirmat hæc latè Cartus. l. 2. de laud. Deip. art. 3. pensatis in Virgine omnibus, quæ ad sapientiæ exquisitam perfectionem conferre possunt.

Proportionalia Corollaria in voluntate.

61. IAm verò perfectiones infusæ voluntati Deiparæ in primo momento sui esse, sunt inprimis spes & charitas; de quibus id perinde certum est, ac de fide indita intellectui. Ex receptissima verò doctrina, quæ virtutes quoque morales per se infusas adiungit gratiæ sanctificanti; fatendum est, has quoque virtutes inditas esse Deiparæ, à sua prima sanctificatione quod agnoscit Petrus Vener. l. 3. epist. 7. propositione 1. vbi inter charismata majora, quæ scilicet ad sanctitatem animæ pertinent, Virgini etiam ante conceptum Christum, atque adeò à primo sanctitatis vsu concessa, numerat virtutes infusas; tanquam gratiæ sanctificantis appendices. [Majora (inquit,) charismata dico, quæ ad perficiendam justitiam hominis pertinent, vt ea de quibus Apostolus scribit, *Nunc autem manent, fides, spes, charitas; tria hæc. Major autem his est charitas.* De qua ipse alibi apertiùs. *Charitas,* (inquit,) *de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta.* Hæc est illa charitas, non tantùm faciens, sed omnino perficiens justitiam: ad quam cæteræ virtutes justitiæ cooperatrices, velut ad matrem filiæ respiciunt: de cuius radice exoriuntur, de cuius stipite velut fructuosissimæ arboris, ramorum infinitas speciosa dependet. Ibi castitas, ibi humilitas, ibi veritas, ibi sinceritas, ibi obedientia, ibi omnis justitia. Lege Apostolum, & inuenies cætera sigillatim exposita. Lege Euangelium, & audies Christum. *In hac, vniuersa lex pendet & Prophetæ.* Si ergo censuit gratiam sanctificantem fuisse Virgini tributam in primo momento, idem censuit de virtutibus voluntatis per se infusis, quamuis iuxta ipsum non consummandis vsque ad Christi conceptionem. Clarè idem de prima sanctificatione tradit Richardus à S. Laurentio lib. 3. de Deip. *ferè initio.* [*Adiuuabit* (inquit,) *eam Deus manè*, idest in principio vitæ suæ, adhuc existentem in vtero Matris. *Diluculo*, idest, gratiarum ortu tenebras originalis expellente vel *Diluculo*, idest, claritate gratiarum adueniente, quæ tunc infusæ sunt ei.]

Quid de appetitus sensitiui complementis, & num Virgo, Originalem justitiam acceperit.

62. DEnique in appetitu sensitiuo B. Virginis, admittendi sunt habitus ab initio inditi, quales concessi fuissent justis in statu innocentiæ, ad cicurationem feræ illius quam nobis habemus colligatam, imo internam.

Huiusmodi autem habitus potuisse esse per se infusos, attento fine in quam infunderentur, etiamsi materiales essent, constat ex vnione hypostatica corporis ad Verbum, quæ est materialis, & tamen est in supernaturalitatis vertice. Quamuis autem nulli habitus immissi appetitui, sufficientes sint ad illum frœnandum; adiungendáque necessariò sit specialis Dei prouidentia extrinseca, vt rectè statuit Azor. t. 1. l. 3. c. 32. q. 3. & Suares prolego. 4. de gratia c. 5. n. 3. & l. 3. Cosmop. cap. 20. tamen habitus immediatè immissus appetitui, aliquid quoque in suo genere contulisset; & ideò à Molina ad eum effectum admittitur disp. 28. Cosm. conclus. 2. *sub finem*, & à Bellarmino l. de gratia primi hominis c. 5. & 6. Quos verò defectus, hic habitus cum suis complementis extrinsecis sumptus excluderet ab appetitu Deiparæ; & an idcirco dicendum sit, fomitem Virginis jam à primo momento conceptionis fuisse ligatum, vel certè fuisse sublatum, dicetur inferiùs agendo de defectibus remouendis à Deiparæ facultatibus.

Nunc illud vnum contendimus, hanc perfectionem, non modò qualiscunque nunc cernitur in iustis, qui appetitum mansuefecerunt; sed qualis cernebatur in statu innocentiæ, inditam fuisse Virgini in primo momento, consequenter ad lectissimam illam gratiam & dona quibus ditata est, in illo suæ vitæ principio. Et ita agnouit Rich. à S. Laur. l. 3. de Deip. *initio*, cum ait, in prima sanctificatione Deiparæ quam factam putat statim post primum vitæ momentum. [Tunc Pater sicut dicitur Oseæ 13. *Adduxit ventum vrentem*; idest Spiritum sanctum, qui in eo quod *Ventus* est, ab æstu concupiscentiæ virgineam carnem refrigerauit, & fomitem extinxit, sicut flatus venti candelam. In eo autem quod *Vrens* est, humorem ebibit noxialem, & terram corporis exsiccauit.]

63. Subnascitur verò hinc lis de nomine, an B. Virgo quandoquidem & gratiam, & virtutes infusas, & hoc quod diximus appetitus frœnum consecuta est, dicenda sit accepisse in sua conceptione justitiam Originalem: sin minùs quoad minutiores quosdam effectus, nempe exclusionem timoris ac tristitiæ, similiúmque affectionum, quæ in statu innocentiæ non habebant locum; in Beatam autem Virginem ceciderunt; at saltem quoad præcipuos effectus justitiæ originalis, eámque beatam hominis ad Deum subiectionem, in qua donum illud status innocentiæ, præcipuè situm erat. Quamuis autem in hac quæstione de nomine, parum referat vtro modo quis loquatur; & partem affirmantem piè tradat Canisius l. 1. Marialis c. 9. Ioannes Maria Zamorus l. 2. de Eminentiss. Deip. perfect. c. 28. Perlinus l. de concept. distinct. 11. c. 7. & alij apud Salazarium l. de concept. c. 10. à n. 12. Tamen exactior videtur locutio, eorum qui simpliciter negant B. Virginem habuisse justitiam Originalem, etiam quoad illos primarios effectus justitiæ originalis, qui in ea Dei beneficio habuerunt locum. Nam tametsi ratione eorum habuit Iustitiam originalem, quasi entitatiuè, ratione donorum iis similium, quæ tales effectus causabant in statu innocentiæ: Tamen constat, Virginem non habuisse ea dona vi suæ originis, quod tamen sonat nomen *justitia originalis*.

Ratio autem ob quam Vasques 3. p. d' 119. c. 2. *in fine*, post Cordubam l. 1. q. 46. opinione 1. negat Virginem habuisse iustitiam Originalem, quia subjacuit morti & aliis effectibus quos minùs præcipuè à Iustitia originali excludendos dixi, non est idonea statuendo quæstionem vt nos fecimus.

An Fursur Doctrina, Virgo absque debito originalis peccati?

64. HActenus de prima Virginis justificatione, eiúsque adiunctis omnibus. Nunc subnectendi & expendendi sequuntur, ementiti honores, quos Virgini circa materiam propositam affinxere nonnulli; tum quoad maculam originalem quam remouent nobiscum, tum quoad primam gratiam sanctificantem, per quam ea macula remouetur. Circa originalem labem, quidam valdè se putant honorificare Deiparam, si dicant, eam non modò caruisse originali peccato, sed etiam caruisse illius peccati debito; eo quod per speciale Dei priuilegium, antecedenter exempta esset à peccato inito cum Adamo. Non enim sicut conuentum erat inter Deum & Adamum, vt si Adamus peccaret, omnes vulgo Adami posteri exciderent iure habendi gratiam in puncto generationis ex eo, ita idem de B. Virgine conuentum fuerat: sed cum aliis omnibus Adæ posteris concedenda esset gratia in generatione si Adam non peccasset; Virgini tamen decreta est gratia in primo momento sui esse, siue Adam caderet, siue perstaret. Allegat pro hoc modo philosophandi Suares tomo 2. 3. p. d. 3. s. 2. Catharinum, Galatinum, atque Viguerium. Quanquam hos duos, aliud sensisse contendit Vasques 3. p. d. 115. cap. 1. sed & apud Catharinum l. 4. contra Caietanum §. *circa tractatum igitur*, lego hæc verba. [Quod Caietanus declarat, quod esset hæreticum, si quis diceret, B. Virginem sic fuisse immunem ab originali peccato, eiúsque reatibus, vt non solùm non habuerit illud, sed nec habere debuerit secundùm suæ naturæ conditionem, verissimum est: sed nemo Catholicus hoc defendit. Hæc est enim positio nostra, quod beata Virgo, licet vt Adæ filia debuerit illud peccatum, & maculam, & iram Dei, & seruitutem Diaboli & peccati contrahere, tamen præueniente gratia Dei, ex meritis Christi, ab eo peccato, & reatibus eius præseruata fuit.] Manifestè hìc Catharinus, admittit in Virgine debitum peccati originalis, & contrariam assertionem agnoscit hæreticam, nullíque Catholico probatam. Nec contrarium sensit, & debitum contrahendi peccatum originis remouit à Virgine l. de Peccato Origin. c. vltimo, vt passim refertur. Quin potiùs ibi §. *vide & octauò*, disertè agnoscit in Virgine hoc debitum: tametsi ait, quoad incursum actualem exemptam esse à pacto.

Ex eo tamen fundamento, tradunt B. Virginem ne debitum quidem peccati originis incurrisse, nonnulli alij, vt Salmeron in c. 5. ad Rom. disp. 45. fauétque Valentia 1. 2. d. 6. q. 11. p. 2. dicens id piè credi posse. Magis etiam in hoc inclinat Iustinianus 1. Timoth. 2. ad vers. 6. Sed disertè, & pro viribus hanc sententiam sequuntur innumeri recentiores, quos magno numero signat Perlinus in Apologia pro concept. distinct. 3. c. 8. At Salazarius l. de concept.

nominatim c. 41. canone 1. à. n. 10. & c. 24. ita hanc ſententiam omnibus neruis contentis firmat, vt tamen c. 24. §. 19. *in fine*, nihil affirmare velit, aut potiùs videri velit. Reipſa namque illi adhæret, & ſequitur qui eum pro hac ſententia allegat Ioannes Maria Zamorus l. 2. de Eminentiſſ. Deip. perfect. c. 27. Eſt etiam, latè in ea ſententia Celada in Iuditha figurata à num. 96. ad 110.

Binæ propoſiti placiti, explicationes.

65. EST autem inter huius ſententiæ autores, diſſidium quoad modum quo B. Virgo exempta eſt ab hoc debito. Salazarius enim ſupra n. 161. profitetur ſe per hoc à Catharino aliiſque vulgo in hanc rem adduci ſolitis diſcrepare, quod hi fateantur B. Virginem fuiſſe electam ante peccati præuiſionem, in ipſa autem pacti cum Adamo celebratione fuiſſe ſubductam ab eo pacto: & cum dicant hanc exemptionem à pacto, factam eſſe antecedenter ad præſcientiam paſſionis ac mortis Chriſti, quia Chriſtum quem admittunt decretum ante peccatum, aiunt tamen non præuiſum moriturum ac redemptorem niſi occaſione peccati, quod ante redemptionem eſt præuidendum; conſequenter coguntur addere, B. Virginem non fuiſſe redemptam per Chriſtum paſſum. Ipſe verò Salazarius hoc refugit, aitque B. Virginem idcirco non incurriſſe debitum peccati originalis, quia exiſtentia B. Virginis non fuit decreta niſi poſt peccatum præuiſum, & poſt Chriſtum occaſione peccati prædeſtinatum. Ex quo fit, vt B. Virgo non potuerit comprehendi peccato antecedenter ad peccatum præuiſum inito, nec potuerit contrahere peccatum originale, vel debitum illius contrahendi; cum illi duntaxat contraxerint huiuſmodi debitum, de quorum per Adamum exiſtentia, latum jam tunc fuerat decretum. Alij tamen paſſim, admittunt B. Virginem, & quoad eſſe, & quoad maternitatem, fuiſſe prædeſtinatam antecedenter ad peccatum præuiſum. Qui enim ſupponunt bonitatem myſterio Incarnationis internam, fuiſſe finem eius ſufficientem, ideóque aiunt Chriſtum venturum fuiſſe, etiamſi Adam non peccaſſet, atque adeò decretum eſſe antecedenter ad peccatum; haud ægrè putant ſe intelligere, quomodò per merita Chriſti capitis jam præelecti, decreta ſit matri, immunitas à peccato originali.

Pro eodem placito vniuersè ſumpto, acies tres.

66. QVicquid autem ſit de diſcrimine, quoad modum explicandi qua ratione Deus exemerit B. Virginem à debito contrahendi peccatum originis, conſentiunt omnes hi autores, Virginem ab eo fuiſſe ſubductam ſingulari Dei beneficio: quod variæ aduerſariorum (vt ita dicam) acies, variè monſtrant. Prima cuius ductor eſt Sherlogus tomo 2. in Cant. Veſtigatione 10. num. 30. vrget, quod probroſum ſit Deiparæ, habuiſſe caput rebelle Deo: ita vt formaliſſimè quatenus caput matris Chriſti, fuerit Deo perduellis, & ſummi honoris Deo debiti prædo; cum quo capite, dicenda erit ad illud fla-

gitium cooperata B. Virgo, si peccauit in Adam. Peccasse autem in Adamo admittendum necessariò erit, si contraxit debitum subeundæ maculæ originalis. Nam si ita est, voluntas eius fuerit moraliter contenta in Adamo: atque adeò concurrerit ad actum quo ille præuaricatus est. Quod si summus Deiparæ nitor, facit vt DD. tanto studio, ab ea remoueant fomitem peccati, eámque negent fuisse subiectam legi de Purificatione puerperarum; quanto justiùs vrgere debet, vt negetur peccasse in Adam? Concilium quidem Tridentinum sess. 5. ex Apostolo Rom. 5. docet omnes peccasse in Adam; subdit tamen illicò, non esse suæ intentionis, ea generali lege comprehendere Virginem. Quam exceptionem non adhibuisset, si non dedeceret Dei matrem, peccasse in Adam.

67. Contra eandem sententiam debitum peccati originalis in Virgine agnoscentem, alteram aciem armauit Nouatinus in Vmbra Virginea à n. 208. Argumentatus primo, ex eo quod vbi spiritus Domini, ibi libertas. Igitur Virgo quæ Spiritu sancto repleta est, liberrima fuit. At liberrima nequaquam fuisset, si obligatione & debito incurrendi peccatum originis, fuisset obstricta. Est enim misertima seruitus, quoquomodo obnoxium esse contrahẽdo peccato. Deinde Gabriel contestatus est, Spiritum sanctum obumbrasse Deiparæ. Chrysippus autem orat. 2. de Deip. ex ea Virginis obumbratione, colligit Virginem fuisse & mundam ab illuuie concubitus, & ab omni sorde liberam. Sicut igitur, (infert autor cum quo agimus,) nemo sanæ mentis dixerit, Virginem mundam quidem fuisse à concubitu, sed eius debito ligatam esse; & incorruptum quidem Dei templum fuisse, corruptionis tamen debitum habuisse: Ita neque dicendum est, B. Virginem ita caruisse peccato, vt tamen habuerit peccati debitum. Confirmatur, quia Virgo ab eodem Chrysippo, vocatur *Dei Patris hospitium.* Ergo nullum jus in eam habuit alienus hospes: habuisset autem, si Virgo subiacuisset debito originalis peccati. Præterea Christus non modò peccato, sed & peccati debito exsolutus est. Matris autem cum filio in hac parte puritatem, agnoscit. Ioannes de Agaciis Tract. de Concept. & confirmat Petrus Cellensis l. de panibus c. 21. dicens, filium esse sanctum sanctorum, & matrem sanctam sanctorum; nec non Laur. Iustin. l. de casto connub. Verbi & animæ c. 7. & in fasciculo amoris c. 7. docens, matrem & filium, jugo dominationis satanæ, & lege peccati exemptos esse. Postremò debitum peccati originalis, est vmbra culpæ; quæ à Virgine procul abesse debet; alioqui non fuisset libera à contagio peccati: & dici potuisset peccati morte mortua, in aliquo instanti; quod nefas est dicere, ait Nouatinus, nefas cogitare. Est etiam sanctitatis genus, immunem esse à debito peccati: quo sanctitatis genere Adam exornatus est, & Angeli, sed maximè Christus. Igitur & Maria, alioqui non erit planè enodis, deerítque ei aliquid sanctitatis & justitiæ.

68. Ex alio capite, pro exclusione debiti peccati originalis, insurgit in tertia veluti acie Baptista Poza l. 3. elucid. toto tract. 5. Ex eo enim quod Deiparæ corpus subitò contextum sit, & animatum, vt ipse supponit; inferri putat,

Nn 3

Virginem non fuisse comprehensam in pacto cum Adamo, quod generationem hanc ex parte fœtus supernaturalem secundùm modum, non comprehendebat: licet comprehenderit generationes supernaturales ex sola parte parentum, qui roborandi supernaturaliter fuerint, vt possent generare: quamuis postea omnia in prole sint confecta modo naturali, vt contigit Isaaco, Baptistæ & aliis.

Ex his aliísque huiusmodi, concludunt autores prædicti, B. Virginem non incurrisse debitum contrahendi peccati originalis, nec peccasse in Adamo. Fatentur tamen, Virginem nisi propter Christum fuisset præseruata, contracturam fuisse peccatum originis, & debitum eius: ideóque agnoscunt eam fuisse obnoxiam contrahendo Adæ peccato, & habuisse debitum peccandi in Adamo, quod est obstringi debito debiti.

Contraria sententia approbatur.

69. Mihi tam claris, tam piis, tam eruditis, tam Virginis decorum studiosis Doctoribus, obstrepere durum est. Nec grauatè permittam illos in sensu suo abundare. Si tamen judicium meum quis exquirat, salua tantorum virorum reuerentia, quod verum videtur, non dissimulabo. Hæc exclusio debiti peccati Originalis à Virgine, videtur honor eius inanis & vacuus, profectus ex magna abalienatione à sententia affricante Virgini peccatum originale. Nam sicut vsus eorum, qui ab vno extremo volunt deflectere, fert vt in contrarium currant; ita planè in hac re videtur contigisse. Aio igitur in primis, Deiparam in sua conceptione passiua habuisse hoc debitum contrahendi peccati originalis: monstraturus postea, nihil ad eius perfectionem & sanctitatem spectaturum, si eo caruisset.

Habuisse Virginem hoc debitum, docent Caiet. t. 2. Opusc. in primo, c. 3. Corduba l. 1. q. 44. conclus. 4. & Medina 1. 2. q. 81. art. 3. Bellarm. l. 4. de amiss. grat. & statu peccati c. 16. Canisius l. 1. de Deip. c. 5. *sub finem*, Vasques 3. p. d. 115. c. 3. Suares t. 2. 3. p. d. 3. s. 2. Luisius Turrianus 1. p. disputationum selectarum in 14. præsertim dub. 3. & alij quos latè refert Salas. 1. 2. tract. 13. d. 11. n. 69. Non posse euitari hoc Virginis debitum, ait Iacobus de Valentia ad calcem psalmi 140. Nec desunt qui notam inurant contrariæ sententiæ, & non leui censura eam percellant; quam tametsi non benè ferri, contendit Salaz. l. de concept. c. 8. alij tamen ratam habent. Certè Caietanus cap. illo 3. & 1. 2. q. 81. art. 3. affirmat, omnes communi via genitos, debere contrahere peccatum originis; & contrarium, pronunciat hæreticum. Annuit Catharinus l. 4. contra Caietanum *pag.* 290. *&* 330. Annuit quoque Corduba supra, ad idem adducens S. Thomam atque Gersonem: Approbat insuper prædictum Caietani judicium, Valentia 3. p. d. 2. q. 1. p. 2. pronuntiato tertio. Rursúsque inferiùs ad obiectionem 3. contra puritatem conceptionis Deiparæ, ex hac doctrina seueriùs statuit de exemptione Virginis à lege Adamo imposita, quàm statuisset 1. 2. d. 6. q. 11. p. 2. vbi eam exemptionem piè credi posse dixerat. Aliis tamen non arridet nota & suffixio illius sententiæ, eamque

citra omnem errorem defendi posse profitentur: quod agnouit Suares, eo judicio quod insertum est commentariis eius in 1. 2. d. 9. sect. 4. à n. 11. nec non Basilius Poncius relect. 3. §. *hinc est facile*, quorum mihi modestia & sobrietas in alienis dictis ac placitis configendis, dignissima videtur imitatione: quamuis contrarium placitum quod excutimus, mihi non arrideat, & inane Virginis decus continere existimem.

Debitum peccati in Virgine, probatur ratione.

70. Dimissis ergo censuris, ago ratione; quæ inde petenda est, quod scripturæ generaliter statuant, omnes in Adamo mortuos esse, & per Christum esse suscitatos. *Si vnus pro omnibus mortuus est*, (inquit Apostolus 2. Cor. 5.) *ergo omnes mortui sunt*. Nihil autem suppetit firmum, ad limitandum hunc locum & similes; ita vt B. Virginem non comprehendant. Quod enim limitamus generales locutiones, quibus omnes ordinaria via progeniti, dicuntur concipi in peccato originali; nec patimur iis locutionibus comprehendi B. Virginem; grauissima causa cogit; ne sacrarium Spiritus sancti, mancipemus peccato mortali, quale est originale. At debitum contrahendi hoc peccatum, dummodò careat actu, nihil continet indignum Deipara, vt infra distinctiùs exponetur. Vnde ad illud gratis auertendum à Virgine, non licet limitare loca generalia Scripturæ, qnibus vniuersè statuitur, omnes ei debito subiacere.

Hoc vt penitiùs persuadatur, considerandum est, quid sit debitum contrahendi peccatum originale. Quod cum ex se videatur perspicuum, nimia tamen recentiorum diligentia obscuratum aliquatenus est, vt liquet ex variis de hoc puncto sententiis quas refert Luisius Turrianus p. 1. select. dispp. in 14. dub. 1. & Salaz. l. de concept. c. 1. §. 8. & 9. Nihil igitur aliud est hoc debitum, quàm necessitas contrahendi peccatum originale vi generationis ex Adamo, nisi gratia opitulans, & peccatum præueniens, se interponat, & excludat non quidem hoc debitum contrahendi, sed ipsam actualem contractionem talis peccati. Haç huius debiti notitione supposita, facilè patet B. Virginem ei debito subiacuisse. Erat enim Adæ filia, quia Deus fecit ex vno, omne genus hominum. Genita item est, & concepta via ordinaria ex Adamo: quem conceptionis modum comitatur macula originalis, in omnibus quibus deest specialis fauor diuinus. Ergo nisi Deipara specialem illum fauorem Dei sortita esset, caruisset gratia in sua generatione, habuissétque peccatum originis vi suæ generationis ex Adamo, sicut habent cœteri. Hoc autem est habere debitum peccati originalis, salua præseruatione ab actuali incursu maculæ; quæ præseruatio facillima est Deo, superstite hoc debito.

71. Et nulla sanè difficultas est in intelligendo, quomodò Deus qui ex generali lege & pacto cum Adamo, voluit omnes eius posteros, si ipse peccaret, amittere jus ad gratiam, quam eo non peccante esset cuilibet posterorum concessurus; potuerit tamen præuiso Adæ peccato statuere, vt alij quidem Adæ

posteri in fœcibus ab Adamo congestis volutarentur, & sibi ipsis relicti, carerent gratia vi generationis obuentura, stante Adamo: Virgo tamen, speciali priuilegio, donaretur gratia sanctificante, perinde ac si Adam stetisset obediens: quia quamuis Virgo careret jure ad gratiam sanctificantem vi suæ natiuitatis consequendam; Deo tamen non deerat potestas benefaciendi illi, absque jure quod ei origo ex Adamo conferret. Sanè cum plures, rei sunt mortis ob admissum crimen, potest Princeps vnum morti eripere, aliis legum seueritati relictis. Vbi prima voluntas, nimirum vt qui tale crimen admiserit, reus sit mortis ob crimen admissum, & amittat jus ad vitam; non pugnat cum secunda voluntate, qua vita vni misericorditer indulgetur, cum potuisset jure adimi, ob admissum peccatum. Similiter ergo B. Virgo, quia erat filia Adæ, non habebat jus ad gratiam vi suæ generationis: vnde eo ipso futura erat rea mortis; idest spectando hanc prolem vt ex Adamo genitam, incursurum in eam erat peccatum in ipso instanti generationis, siue conceptionis, & animationis suæ. Cum illo tamen defectu juris ad gratiam vi generationis accipiendam, rectè cohæsit gratiæ sanctificantis immissio, atque adeò peccati originalis exclusio, ex speciali & sola Dei miseratione ac amore in Virginem: quod possibile fuisse, rectè præter cæteros exposuit Caietanus Opusc. de concept. cap. 3. Nos autem insuper addimus, rem de facto sic se habuisse. Hinc ergo apparet, quàm facile fuerit Dei potentiæ, saluo in Virgine debito contrahendi originale peccatum, impedire actualem illius peccati contractionem, per præseruationem factam diuinitùs, quam Card. Cusanus l. 8. excitationum, scitè vocat *prælibe-rationem à peccato.*

Aduersus priorem contrarij placiti explicationem, per existentiam Virginis decretam post pactum cum Adamo.

72. SIc explicata & directè confirmata sententia nostra, probare eam præterea possumus indirectè, siue refellendo oppositam, quam superiùs bicipitem fecimus. Nempe eorum qui idcircò exoluunt Virginem debito peccati originalis, quia prædestinata est in Dei matrem ante præuisum pactum cum Adamo, & huius ruinam. Secundò eorum qui dicunt, B. Virginis prædestinationem, siue ad esse naturale, siue ad maternitatem, fuisse posteriorem peccato præuiso, & violatione pacti cum Deo initi. Prior modus defendendi negationem debiti peccati originalis in Virgine, non habet locum in vera sententia, quæ negat bonitatem internam mysterio incarnationis, fuisse finem eius sufficientem; aitque, Christum non fuisse venturum, si primus homo non peccasset. Nam si Incarnatio facienda per Virginem, est posterior præuisione peccati, in quo omnes Adæ posteri inuoluti sunt vi pacti generaliter cum Adamo initi; quomodò Virgo intuitu Incarnationis nondum decretæ, eximi potuit ab eo pacto generali, ita vt eius efficacitati non subiaceret? Admittendum planè erit, Virginem exemptam esse à peccato, & à necessitate incidendi in illud, aliter quàm per Christi merita, quæ subsecuta sunt eam

matris

matris à pacto & à peccato exemptionem. At hoc nemo Catholicus dixerit: quia Christus est generalis fons omnis boni supernaturalis, & omnis beneficij gratuiti, quale sanè est exemptio à peccato mortali, & eius debito.

73. Respondēt aliqui, saluum esse posse illum influxum Christi in exclusionem peccati originis, ac debiti eius à Deipara, si dicamus, Deum ab æterno ita instituisse, vt Adam si rectus perstaret, transfunderet in posteros gratiam; si autem peccaret, transfunderet peccatum originis. Vt tamen in primo signo, ab ea institutione exceptam voluerit illam quæ Verbo, si carnem assumpturum esset, mater deligeretur, quæcunque illa foret. In secundo deinde signo, Deus præuiso peccato decreuit Christum, ob cuius præuisa merita assignat illi matrem, hoc ipso non peccaturam in Adamo, quod exclusa est in primo signo, si quæ mater Verbo eligeretur.

Verùm hic modus philosophandi, in primis est planè voluntarius, & gratis confictus, tantùm ad perstandum in sententia, & retinendam exclusionem debiti peccati originalis. Nam apud Patres, & multo minùs in scripturis, ac ne in anterioribus quidem Scholasticis, nulla planè mentio est huiusmodi processus diuini circa matrem Christi. Deinde illa exemptio conditionata à pacto, vi cuius peccatum transfundendum erat Adamo peccante, est magnum beneficium supernaturale; quippe præueniens aduentum peccati: & tamen huiusmodi beneficium, juxta hanc doctrinam, confertur independenter à Christo; quippe tunc necdum decreto, aut præuiso. Tandem ex ea responsione videtur sequi, solos viros, non autem fœminas peccasse in Adamo. Nam vsque ad secundum signum, omnes fœminæ indifferentes sunt vt à Deo assumantur in matres Christi; nulla quippe ad id delecta determinatè erat in primo signo: sed delectus vnius inter tam multas, reseruatus dicitur ad signum vsque secundum, quo Christus decretus fuerit atque præuisus. Atqui in secundo illo signo, nulla fœmina quæ in Adamo peccauerit, in Christi matrem deligenda est, vt aduersarij volunt. Igitur nulla planè fœmina, dicenda est in primo signo peccasse in Adam sed viri duntaxat; quod nemo non videt quàm sit non solidum. Quare tota substructio responsionis aduersariorum concidit, & argumentum à nobis factum perstat inconcussum,

Noua eiusdem prioris explicationis defensio, reiecta.

74. ALiam responsionem & expeditionem nodi propositi, suggerit Sherlogus t. 2. in Cant. Vestigatione 10. num. 34. affirmans, Deum ab æterno sic se habuisse, vt in primo signo ex possibilibus virorum ac mulierum indiuiduis exituris, certum numerum præscriberet, quem non excederet, nisi si fortè Verbum carnem sumeret, & eius postulatu superadderet ei numero nouam humanam creaturam. In secundo deinde signo, constitueret Adamum absolutè caput omnium posterorum, in ordine ad transmissionem gratiæ vi generationis: In ordine tamen ad transmissionem peccati, si Adam peccato inquinaretur, non constitueret illum caput nouæ illius creaturæ, si eam Verbum

incarnatum sibi postularet in matrem: esset autem caput eius etiam in ordine ad peccati transfusionem, si à Verbo carne vestito, non deposceretur in matrem. Exorto deinde atque præuiso peccato, decerneretur Christus, qui à sola Dei actione dependens in passione, mereretur sibi eam nouam creaturam, dari matrem. Qua ratione saluus manet influxus Christi in præseruationem Deiparæ, & exemptionem eius à debito peccati originis.

75. Hæc doctrina non placet. Præterquàm enim quod hæc philosophandi ratio est æquè voluntaria ac prior, sine fundamento in scripturis & Patribus, omnibúsque retrò Doctoribus; illud insuper in ea displicet, quod etiam existentiam naturalem Deiparæ, tribuit meritis mortis Christi, contra doctrinam S. Augustini epist. 105. & sæpè alibi, contestantis Christum non esse mortuum vt homines conderentur, sed vt conditi justificarentur. Estque hoc absurdum, huic responso commune cum altero modo exponendi oppositam sententiam, mox adducendo. Deinde existentia Christi à solo Deo tempore passionis, non lenit difficultatem ex necessaria præsuppositione matris ad omnes Christi actiones, etiam eas quas elicuit in momento suæ generationis, quando clarum est Christum à matre dependisse. Nam si ad illas primas Christi actiones quæ integrarunt meritum Christi, mater præsupponenda est vt jam influens in Christum, atque adeò vt mater; & proinde juxta aduersarios, vt exclusa à debito peccato originalis contrahendi: habuerit sanè eam exclusionem antecedenter ad merita Christi. Omisi insolentem agendi rationem, qua Verbum incarnatum & jam carne vestitum, dicitur deprecaturum, pro habenda in matrem ea creatura extra ordinem decreta. Quomodò enim præuisum carne vestitum, absque matre præintellecta? Vt autem ipsum Verbum, ante præuisionem absolutam assumptionis carnis, intelligeretur deprecari; non potest dici absque aperto Arrianismo. Quare hæc quoque responsio, conuulsa manet.

In posteriorem placiti contrarij explicationem, per Virginis exemptionem à pacto communi.

76. PErgo ad alterum modum defendendi oppositam sententiam quem superiùs retuli: nimirum quod idcirco Virgo non habuerit debitum contrahendi peccatum originis, quia eius & existentia & maternitas, decretæ sunt post peccatum; ita vt nisi peccatum interuenisset ob quod Christus venturus erat, B. Virgo non fuisset producta: Ex quo sequitur, eam non fuisse comprehensam in pacto cum Adamo, quod initum est ante peccatum. Hæc doctrina multipliciter displicet. Inprimis quia quo jure fingitur connexio inter esse naturale Deiparæ, & aduentum Christi; ita vt Christo non veniente, Virgo non esset producenda, eodem jure alius finget Baptistam & Apostolos non fore producendos, nisi Christus venisset; æquè enim habent cum Christo connexionem aliquam, ratione munerum suorum, ac Virgo ratione maternitatis. At hoc nemo non videt esse confictum. Imo si id admitteretur,

æquè oporteret exoluere debito originalis peccati, Baptistam & Apostolos, atque Deipara, ob decretam illi existentiam post pactum, exoluitur hoc debito ab aduersariis. Deinde juxta propositam doctrinam, Christus meruit matri existentiam naturalem : quod est apertè contra S. Augustini doctrinam paulo ante adductam. Tandem silentium (vt sic dicam,) de Virgine, cum de aliis producendis actum est, eiúsque decernendæ reseruatio præuisa diuinitùs & volita in primo signo, fuit supernaturale beneficium, vi cuius Virgo euasit transfusionem Originalis peccati, ab Adamo deriuandi. Et tamen hoc beneficium, non obtigit Virgini per Christi merita, quæ nondum tunc præuidebantur. In qua argumentatione firmanda, immensus est Perlinus Apolog. de concept. distinct. 4. c. 5. Igitur hic dicendi modus non satisfacit; ac proinde argumenta quæ confecimus aduersus sententiam, negantem B. Virgini debitum contrahendi peccatum originale, perstant valida. Et hactenus cum directè, tum indirectè, probatum esto B. Virginem subiacuisse debito contrahendi peccatum originale.

Exclusio debiti quomodocunque exposita, vanus Virginis honor.

77. NVnc addendum est, vt superiùs receperam, nihil referre ad solida Virginis decora, quod dicatur non habuisse hoc debitum contrahendi peccatum originale. Nam illa duntaxat remouenda sunt à B. Virgine, quæ dedecent dignitatem matris Dei, & pugnant cum maiore perfectione aut sanctitate, cuiusmodi est peccatum, & imperfectiones excludẽtes perfectionem. Atqui hoc debitum non est eiusmodi. Neque enim pugnat cum gratia sanctificante, nec excludit perfectionem maiorem, vllamuè simpliciter dictam perfectionem quæ ad animæ bonum pertineat. Est quippe mera necessitas subiacendi peccato, consequens conditionem naturæ humanæ in talibus circumstantiis spectatæ; hoc est prout dependentis à tali capite phisico & morali: quæ conditio est aliquid merè indifferens, & probè cohæret cum gratia sanctificante. Nec enim infert de facto peccatum, tametsi inferret, nisi prohiberetur per ante occupationem & præseruationem. Igitur non plus probrosum est Virgini habuisse hoc debitum, quàm satam esse & procreatam ordinario modo. Ac proinde sine causa, inter decora Virginis proponitur carentia debiti peccati originalis, ab iis præsertim qui non abnuunt Virginem habuisse illius debiti debitum; quod vocant *obnoxietatem ad peccatum originale.* Cum enim in ea obnoxietate, & debito debiti, æquè connotetur peccatum originis, ac in ipso debito; (tametsi in vno immediatè & proximè, in altero mediatè ac remotè; quod parum refert, cum neutrobique contineatur peccatum formaliter : profectò si debitum peccati sordet, & deformitatem aliquam continet indignam Dei matre, non minorem continere censendum est debitum debiti, siue obnoxietas ad peccatum, quæ à prædictis aduersariis, Virgini absque scrupulo conceditur. Dummodò ergo Virginem incursu peccati originalis eximamus, per immissam ei diuinitus gratiam in puncto generationis; satis

ſupérque proſpectum erit eius honoribus, dimiſſo licet imaginario decore, per excluſionem debiti peccati originalis.

Prima acies ſuperiùs instructa, exarmatur.

78. QVæ in contrarium initio adducebâtur, partim concidunt ex proximè dictis, partim ſunt planè inania. Monſtratum enim eſt, non eſſe dedecus Virginis, quod habuerit Adamum pro capite, eóque ipſo in Adamo peccauerit. Nam peccare in Adamo, non eſt culpa propria, nec eſt concurrere ad eius latrocinium diuini honoris, vt argumentum imaginabatur: ſed eſt mera naturalis obligatio, ad carendum gratia vi originis, ſuppoſito tali pacto cum Adamo deinde lapſo. Ea autem obligatio, optimè cohæret cum ſanctificatione actuali, & remotione peccati. Igitur nihil ibi eſt ſordens aut fœtens, præter verba: quorum putor; ſi bonus ſenſus ſubſit, & percipiatur, non eſt niſi apparens, atque adeò eſt negligendus. Quod ſi ſordes puerperij, quæ ad obſeruantiam legis purificationis adegiſſent, remouentur à Virgine; quamuis non eſſent ſordes morales & peccati macula vacarent; ratio eſt, quia nitor ille phyſicus decuit puriſſimam parentem, & fœtum vſquequaque ſanctum ac nitentem. Conſpurcatio enim per illuuiem illam, eſt dedecus quoddam naturale, & imperfectio indigna Christo, & eius matre. Debitum autem de quo agimus, non eſt illuuies conſpurcans phyſicè perſonam, eámque reddens minùs amabilem, vel cæterorum ab ea auerſionem inferens, ne ſibi affricent eam turpitudinem; ſed eſt aliquid ſolo intellectu perceptibile, quod cum benè penetratur, non plus dehoneſtat quàm humana ipſa natura ſecundùm ſe ſumpta. Synodus porrò Tridentina, cum negauit comprehenſam abs ſe Virginem in generali doctrina de peccato originali, nullomodo cogitauit de eius exemptione à debito; ſed tantùm de exemptione ab ipſo peccato originali; quod verè eſſet probróſum, & indignum tali matre. Sic tota prima acies aduerſariorum ſufficienter eſt exarmata.

Secunda acies, quàm debilis.

79. ACies ſecunda, eo faciliùs funditur, quo minùs instructa eſt atque munita. Quod enim Deipara quippe ſpiritu Dei plena libertatem ſummam Chriſtianam ſit adepta, quantam ſalua naturali conditione congruum erat ei conferri, nemo eat inficias. At vt libera eſſet obligatione contrahendi peccati originalis, fieri non potuit, ſalua naturali conditione quæ eam obſtringebat huiuſmodi debito. Neque hæc eſt ſeruitus, cum Chriſtiana libertate per ſpiritum domini inuecta, pugnans.

In vniuerſa reliqua acie vix inuenio quod obſiſtat, & debellatione egeat. Nam quod Virgo, ſicut concubitu & eius debito, ita peccato & eius debito carere dicenda ſit; gratis aſſumitur; cum ea proportio careat fundamento. Quid enim eſt, quod vno dato, euincat concedendum quoque alterum?

Accedit quod is cuius est hoc argumentum, inconsultè & improuidè dixit, neminem sanæ mentis dicturum, Virginem fuisse obstrictam debito concubitus. Imo quotquot docent B. Virginem fuisse verè coniugatam; (& docent propè omnes, estque fortassis ex fide certum;) tenentur consequenter admittere, B. Virginem habuisse huiusmodi debitum; cum coniugium constituatur per potestatem quæ fit coniugi, ad eum actum simul exercendum: ac proinde si ita ferat comparis voluntas, injiciat necessariò debitum ad tale commercium, quamuis illud debitum verè iniectum & reipsa alicubi vigens, possit ligari per votum, vt reuera factum est in B. Virgine. Tantum ergo abest, vt comparatio adducta grauet nos, vt potiùs iuuet. Comparatio item hospitis extranei priuati, carentis iure in hospitium regium, & satanæ vel peccati carentis omni iure in animam Deiparæ, nequaquam est idonea. Non enim si Virgo subiacere dicatur peccati debito, vllum in se ius peccati aut Satanæ admittet, sed tantum naturalem contrahendi peccati necessitatem, quæ longè alia est à iure.

80. Ad hæc, æquiparatio Christi & Virginis, est planè insulsa. Non enim si Christus, qui non est simpliciter ex filiis Adami, quia non est procreatus via ordinaria, caruit debito quod alligatur generationi ex Adamo secundum viam ordinariam; appositè infertur, B. Virginem quia quoad aliqua alia fuit Christo similis, caruisse debito peccati. Alioqui si Christus & Deipara debent quoad omnia esse similes, quia PP. agnoscunt aliquam inter eos similitudinem; dicendum esset, B. Virginem esse physicè impeccabilem, sicut fuit Christus; vel nunquam creuisse in gratia post 1. instans; & alia quæ Christo sunt propria, transferenda erunt in Virginem. Scitè omnino Petrus Cellensis l. 9. epist. 10. cum Nicolaus Monachus S. Albani, Christum & Deiparam æquiparasset, sic eum affatur. [Sicut, inquis, in cœlo qualis pater, talis filius; sic in terra, qualis filius, talis mater. O Domina! ignosce dicenti quod displicet tibi. Nónne tu filij tui, licet mater, tamen ancilla? Nonne sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi tui in manibus Domini filij tui? Non adæquabitur ei aurum de Æthiophia, nec conferetur tinctis Indiæ coloribus, quia non est inuentus similis ei super terram, qui vnus & vnicus est, & secundum non habet. Sufficit tibi, à dextris eius stare, non æqualitatis, vel qualitatis comparatione, sed gloriæ & beatitudinis stabili & æterna copulatione.]

Postremò parum aptè dicitur, nefas esse vel cogitare, quod Virgo sit mortua in Adamo morte peccati, juxta phrasim Apostoli, qui per eam mortem in Adamo, circumloquitur debitum peccati originalis. Imo verò graues Autores contendunt, non posse absque errore negari, quod Virgo mortua sit in Adamo, vel peccarit in Adamo. Videsis Ludouicum Turrianum 1. p. disp. select. in 14. dub. 2. & 4. Æquè vanum est, quod immunitas à debito peccati originalis donatur nomine sanctitatis, vtique vt debitum oppositum censeatur peccatum alienum à Virgine, sicut fuit alienum à Christo, & Adamo, ac Angelis. Eam quidem immunitatem, Christus, & Adamus, & Angeli, obtinuerunt

eo ipso quod caruerunt fundamento debiti contrarij; nempe generatione ordinaria ex capite rebelli. Carere tamen ea immunitate ob diuersam naturæ conditionem, & ortum planè diuersum, non est excidere sanctitate. Itaque secunda hæc acies, est potiùs citharædorum citharizantium in citharis suis, quàm robustorum acinctorum ad prælium.

Euertitur acies tertia.

81. Tertia denique acies, facillima est disiectu. Inprimis quia nititur falso fundamento, quod corpus B. Virginis, sit subitò & vno contextu formatum. Contrarium namque superiùs statutem est. Deinde quamuis id gratis daremus, quid hoc ad exclusionem debiti peccati originalis? Nam peccatum originale, contrahendum præcisè est, ex eo quod quis adhibito coniugali commercio procreetur. At certum est id circa Virginem contigisse. Si quid autem supernaturale quoad modum non modò circa parentes rei vxoriæ operam dantes, sed etiam circa fœtum accidat, nihil hoc ad exclusionem vel peccati originalis vel debiti eius; quia salua nihilominus est procreatio ex Adamo per concursum vtriusque parentis, cui procreationi adiungitur peccati debitum, ipsúmque peccatum, nisi per affusam gratiam excludatur, aut potiùs præueniatur. Quare fixum esto, nullam esse Virginis dehonestationem aut infamiam, quod debito peccati originalis subiacuisse dicatur; nec nisi per inanem & ementitam laudem jactari, quod ab eo debito immunitatem sit fortita.

Ex hac porrò resolutione infert Corduba l. 1. q. 47. falsò à nonnullis quos refert, jactatum esse tanquam aliquod eximium Virginis decus, si Virgo nec peccato nec peccati debito obstricta esset, Christo præmortua, futurum vt gloriam animæ illicò assequeretur, nec limbo concluderetur, vt contigit Patribus veteris Testamenti. Hoc rejicit Corduba, & rectè: quia carentia gloriæ animæ, non erat tunc pœna proprij vllius peccati, sed erat aliquid consequens peccatum naturæ, & debitum commune omnium, quod non nisi Christi morte abolendum erat, vt habetur ex Apostolo Hebr. 8. Itaque etiam si daremus B. Virginem caruisse debito Originalis peccati, negandum tamen esset, quod data suppositione mortis ante Christum, jam tunc aditura esset gloriam essentialem, nondum reseratis per Christi mortem, portis æternalibus.

Alij doctrinæ furfures. Minima concepta Virginis gratia, major quatunque aliorum gratia.

82. Attingo quàm breuissimè alterum caput ementitorum hac in parte Virginis decorum, quod dicebam spectare gratiam qua peccatum originis anteoccupatum est, & exclusum. Eiusmodi imprimis est, quod nuper quidam, iis de Deipara sacris dissertationibus quas vernaculo idiomate edidit *pag.* 332, tanquam aliquid extraordinarium protulit, quod minima gratiarum

Virginis in conceptione passiua; excesserit sublimissimam gratiam cuiusuis cœlitis. Et agit de gratia absolutè & simpliciter dicta, hoc est sanctificante. Imo nisi de ea ageret, comparatio non esset apta. Vt quid enim aliam conceptæ Virginis gratiam, conferret cum summa gratia cuiusuis cœlitis, nisi comparatio fieret in eodem genere. Multarum autem gratiarum gratis datarum, quibus aliqui Sancti in hac vita sunt dotati, non est nunc vsus in cœlo. Et quamuis superessent habitualiter in iis qui habitus iis respondentes hîc habuerunt, multæ tamen earum gratiarum, atque adeò habitus earum, Virgini defuerunt, quia non erant consentaneæ statui & conditioni illius: nec vlla potest institui comparatio earum gratiarum gratis datarum quæ in Virgine fuerunt, cum gratia sanctificante alicuius cœlitum; Hæc enim super excelleret. Quamuis ergo inter gratias minimæ sint gratis datæ, tamen vt comparatio fiat in eodem genere, sicut necesse est ne comparatio sit ridicula; itemque ne falsissimè asseratur, gratiam aliquam Virginis gratis datam, quæ inter omnes gratis datas sit minima, præstare gratiæ sanctificanti cuiuscumque cœlitis; omnino fatendum est, comparari minimam gratiam sanctificantem Deiparæ conceptæ, cum gratia sanctificante consummata cuiuscunque cœlitis; præferendo minimam illam gratiam sanctificantem Deiparæ conceptæ.

83. Hinc manifestum efficitur, cuiusmodi sit ea comparatio. Supponitur enim in ea comparatione, fuisse in Virgine concepta, plures gratias sanctificantes; & aliquam earum præ aliis item Virgini tunc collatis, fuisse minimam. At hoc, constat, nulla ratione dici posse. Vniuersa enim gratia sanctificans puræ cuiusuis creaturæ, licet coalescat è pluribus gradibus, est tamen vnica gratia: sicut calor ignis tametsi naturaliter summus, & è variis partibus intensiuè conflatus, tamen est vnicus calor. Inter gradus verò aut partes intensiuas illius gratiæ, nulla est quæ possit dici minima, cum sit sectilis in infinitum. Quare nullus bonus sensus subesse potest ei comparationi, qua minima gratiarum Virginis conceptæ, præfertur summæ gratiæ cuiusuis beati: nec satis intelligi potest quid voluerit, qui ista effutiuit. Nisi si fortassis gratia sanctificans, ex eo quod sit in Deipara, censeatur pretiosior & moraliter maioris æstimationis, quàm quæ est alibi: tantúmque crescat secundùm prudens iudicium valor illius gratiæ quæ in Virgine est, vt quæcunque pars vnius illius totalis gratiæ quæ Virginem ornat, anteferri dicatur cuicunque totali gratiæ cuiusuis beati. Hoc si voluit dicere qui hanc comparationem adhibuit, næ ille fœdè hallucinatus est. Non enim gratia ex eo quod alicui puræ creaturæ inhæreat, acquirit valorem moralem maiorem, pro maiore dignitate illius puræ creaturæ. Imo tota dignitas apta augere pretium morale accidentium talis personæ, petitur à gratia eius sanctificante; ita vt ne titulus quidem matris Dei, qui omnium sublimissimus est, sufficere possit ad valorem vllum conciliandum coram Deo, nisi per gratiam concomitanter adiunctam. Quo spectat quod sæpè contestatur D. Augustinus docens Virginem fuisse beatiorem concipiendo Deum mente, quàm ventre, idest habendo gratiam, quàm maternitatem. Hæc enim præcisè sumpta, etiam in creaturam Deo exosam &

nullius coram Deo pretij, potuisset cadere; non item gratia, quæ suum secum pretium & valorem conuehit.

Item quod Deipara concepta, Dei filia fuerit plusquàm adoptione.

84. Aliud circa primam gratiam sanctificantem Deiparæ decus, à nonnullis jactatur, quod per eam Deipara sit plus quàm adoptione Dei filia. Quamuis enim B. Virgo non sit filia Dei naturalis, sed adoptiua; tamen volunt competere illi nobiliorem quandam adoptionem, quàm cæteris justis gratia sanctificante honestatis: non modò ratione maioris intensionis gratiæ, sed etiam ex speciali quodam titulo. Eum vt exponant, adducunt communem vsum vocandi nurum, *filiam*, quod obseruauit Theodoretus in c. 3. Cantic. ad illud *in cubiculum genitricis meæ*; vbi sponsa agens de Socru, vocat eam *genitricem suam*. Consequenter enim ipsa Socrus, nurum vocabit filiam: id quod æquè ad socerum extendi debet. Pluribus id illustrat Pineda l. 5. de Salom. c. 4. §. 11. num. 5. Filiam autem vocabunt, non adoptiuam, qualis esset quam ritu legibus constituto asciuissent sibi in filiam, per vmbratilem necessitudinem; sed arctiori vinculo, vt disertè ex Baldo tradit Tiraq. ad l. 1. Connub. num. 28. Nimirum cum vir & vxor fiant vna caro, sicut vir non est patri adoptiuus; ita nec vxor debet censeri filia adoptiua parentum viri sui, sed quadamtenùs filia naturalis censeri debet.

85. Atqui B. Virgo est Christi sponsa, vt optimè tradit S. Epiphan. orat. de Laud. Mariæ. [Sancta (inquit,) puella, Virgo Maria est sponsa Trinitatis, & thesaurus dispensationis planè arcanus, cui Gabriel inquit, *Aue gratia plena, Dominus tecum* : Subiunxit Gabriel : Et Pater misit arrhabonem de cœlo Spiritum sanctum : præparauit Virginem vnigenito filio cœlesti sponso, quam Pater dilexit, filius inhabitauit; Spiritus sanctus percupiuit. Ipsa enim est sponsa & thalamus, & ex ea sponsus procedit Christus. Virgineum indumentum, juxta suauem Dauidis Prophetæ cantionem. *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* O sponsi desiderium summæ puritatis. Propriam ancillam, sponsam & matrem sibi desponder. Gabriel effectus conciliator Virginis, cœli & terræ incensum atque suffimentum vnà copulans. Quam quidem Virginem Prophetæ clarè descripserunt, dum prædicarunt seriem nuptiarum, nimirum quomodò Virgo inuenitur esse cœlestis sponsa & mater, quæ donorum antenuptialium nomine, Spiritum sanctum accepit, dotis verò gratia, cœlum vnà cum Paradiso. Quærebat igitur Virgo conspicere, quem desiderabat inquiens; vbi est sponsus, cuius pulchritudinem exopto ?]

Apud alios item Patres, frequens est is Virginis titulus. Chrysippus homil. de Deipara. [Ipse Pater, te sibi ipsi desponsabit Spiritus S. coefficiet ea quæ ad desponsationem pertinent; & Filius, ipsum templi tui decorem assumet.] S. Hildefons. serm. 1. de Assumpt. [Se dudum tantis insigniuit virtutibus, vt sponsa iure dicatur & mater sui Creatoris.] S. Augustinus serm. 35. de Sanctis.

Sanctis. [Hæc est quæ sola meruit, mater & sponsa vocari.] Idem perspicuè tradunt quotquot B. Virginem vocant adiutorium Christi, ad quem non secus comparetur, quàm Eua ad primum Adamum, cuius in procreatione sobolis adiutorium atque adeò coniux fuit. Protuli qui id assererent nonnullos in Nomenclatore Mariano, & in Glossario ad eundem *V. Adiutorium* & *V. Virgo secunda*. Quinetiam haud abs re huc retulerim quod B. Virgo Cant. 5. vocatur *species Christi sponsi*. De ea enim id dictum accipit Richardus Victorinus suo cap. 39. in Cant. *Speciem* autem alicuius, coniugem eius dici, probari potest ex illis apud Iobum verbis; *visitans Speciem tuam, non peccabis*. Species ergo Christi Maria, idest sponsa & coniux. Quo eam nomine disertè insignit Theophanes hym. de Annunciat. vocans B. Virginem *Nympham* idest sponsam & coniugem Christi Domini. Quid verò protritius, quàm Ecclesiam dici à Christo in Canticis Canticorum, vnam columbam, & perfectam. Vtraque autem est vox nuptialis, & coniugem designans. Nam columbam esse connubialis amicitiæ symbolum, in confesso est, constátque ex Poëtico inuento quo Deam Cypriam coniugiis Præfectam, finxerunt currui à columbis agitato insidere. Ex Stobæi verò Eclogis Ethicis c. 3. docemur, τέλος apud Dores nuptias sonare, ita vt idem apud eos esset *perfecta* ac *nupta*, eo quod nubere eius duntaxat esse vellent, cui ætas perfecta obtigisset. Hæc omnia satis supérque confirmant titulum Virginis propositum, *Sponsa Christi*, quem tandem obsigno testimonio Laurentij Iustiniani serm. de Annunc. [Cum temporis plenitudo venisset, in quo vniuersorum conditor humanum genus redimere statuerat, hanc præ cæteris reperiens sanctiorem sibi præcipuam delegit in sponsam: Ipsam mente, ipsam corpore, custodiuit intactam.]

Latè eundem Deiparæ titulum confirmat & exponit Rich. à S. Laur. l. 6. *pag.* 408. Cum ergo B. Virgo sit Christi sponsa, & vna sit caro cum Christo, (de sua quippe substantia Christum compegit;) censenda est filia Dei Patris, plus quàm adoptione.

86. Hunc Virginis honorem, censeo non pertinere ad eius gratiam præsertim primam. Addo autem, quamuis hoc decus, apud benè attentos re ipsa vacaturum sit errore; tamen nec fundari conuenienter, nec expedire illud deferre B. Virgini: ne induci contingat opinionem, quod gratia Deiparæ sit gratia vnionis hypostaticæ, sitque altioris ordinis quàm gratia sanctificans purarum creaturarum, quod absque errore fingi non posset. Cur existimem abstinendum esse hoc Virginis honore, non arbitror esse obscurum. Nam hactenus omnis filiatio Dei, habita est vel naturalis quæ soli Christo competit; vel adoptiua quæ est iustorum omnium communis, ducta à gratia sanctificante omnium communi. Patens ergo periculum est, nè minus attenti, qui audierint Virginem dici filiam plus quàm adoptione, suspicentur; aut significari eam esse assumptam à persona diuina, aut habere gratiam sanctificantem alterius rationis quàm sit gratia sanctificans quorumcunque iustorum.

Quod verò hæc vt videtur honorifica denominatio, non petatur à gratia,

præsertim prima liquet ex dictis. Nam petitur à maternitate, ratione cuius Christus est vna caro cum Deipara. Vnde sicut Virgo non potuit denominari vna caro cum Christo, nisi post conceptionem Verbi Dei; (seclusa anticipatione, quæ interdum laxat rigorem denominationum:) ita ante illud tempus non potuit denominari filia æterni Patris, hoc titulo superante adoptionem: dato quod sit titulus idoneus ad denominandam filiam, quod tamen non puto verum; cum sit tantùm titulus aptus ad Virginem denominandam matrem Christi, non autem vxorem, aut sponsam, vt perperam assumitur ex eo quod matris & filij sit vna caro, æquè ac vxoris & viri sit vna caro per vsum conjugij. Nam quamuis vtrique hoc habeant, quod dicantur vna caro, tamen longè aliter vir & vxor ê vna parte, ex mater ac filius ex altera, dicuntur vna caro. Nec ista secunda vnitas, est accommodata ad fundandum in matre titulum filiæ, respectu patris ipsius filij. Titulus autem qui ex hac Christi & matris identitate quoad carnem, ritè (certè minùs incongruè) posset refundi in Virginem per comparationem ad Deum Patrem, esse potiùs deberet titulus coniugis vel vxoris, non autem filiæ. Ex quo perspicitur, denominationem hanc filiæ Dei plusquàm adoptiuæ, non fundari conuenienter vt præmisi: atque adeò non esse vsurpandam, præsertim absque adiuncta interpretatione, quæ errandi periculum auertat. Idque maximè cauendum esse in concionibus, obseruat optimè Ferrandus ad calcem epist. 1. ad Anatolium ob maiorem promiscuæ concionis ruditatem, & faciliorem lapsum. Quod iis considerandum est, qui concionatoriè agere perinde esse ducunt, ac posse liberè effutire quicquid in buccam venit, etiamsi non solidum ac fundatum, dummodò nouum appareat, & admiratione audientes defigat.

Insuper Christi sanctitas, vi generationis ex matre, substantiam Iustitiæ Originalis adepta.

87. Tandem quia in extremo ordine solidorum Virginis decorum, meminimus eorum qui piè dicunt B. Virginem sortitam esse donum justitiæ originalis quoad præcipuos eius effectus; & eum loquendi modum, minus quidem nobis arridere, reipsa tamen à veritate non abhorrere præmisimus; attexenda videtur hoc loco heteroclisis noua eorum qui contendunt B. Virginem, ex eo quod justitiæ originalis dono fuerit ornata, hanc habuisse prærogatiuam, vt proles ex ea concepta, haberet in sua conceptione sanctitatem vi conceptionis ex tali matre. Sicut quia Adam habebat justitiam originalem, proles ex eo innocentiam retinente concepta, fuisset sancta vi generationis ex tali patre; cui Deus hoc concessum voluit, vt justitiam in qua perseuararet, transfunderet ad posteros. Simile ergo decus, Virgini justitiam quoque originalem adeptæ, vendicare satagunt. Vnde concedunt Christum hoc nouo & peculiari titulo, præter cæteros, gratiam accepisse in generatione ex Deipara. Non quod fuerit vllum pactum propriè dictum inter Deum & B. Virginem, de transfundenda gratia vi generationis in eius prolem; quale pactum

Inter Deum & Adamum intercessit ; (nullum quippe extat pacti huius inter Deum ac Virginem, in scripturis Patribúsque vestigium.) Nec etiam quod consequenter fatendum est, quod B. Virgo instar Adami fuerit causa meritoria gratiæ vi generationis conferendæ proli ex ea susceptæ. Apage hoc, cum potiùs Christus dominus, fuerit causa meritoria gratiæ Virginis, ipse fons fluminis sui quoad gratiam sanctificantem. Non inquam ob aliquid istorum, Christus Virginis filius, accepisse dicitur sanctitatem in generatione & conceptione sua. Sed quia vi conceptionis ex matre tam sancta, & justitiam originalem sortita, Christus debuit sanctus esse, juxta illud ; *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideóque* (expendenda est hæc caussalis particula, quæ notat nexum & consecutionem eius quod subiungitur cum eo quod præmissum est) *quod nascetur ex te sanctum.* Ita latè Perlinus lib. de concept. distinct. 11. c. 7. adducens Toletum in c. 1. Lucæ annot. 97. & Gundisaluum Sancium.

88. Hæc tamen est manifesta heteroclisis pietatis. Estò enim habuerit Virgo donum justitiæ originalis, quoad illius doni substantialia, vt ita dicam. Inde tamen non sequitur, prolem eius debuisse esse sanctam. Id enim vnius duntaxat Adami proprium fuit, quia erat caput cæterorum, ex pacto inito cum Deo. Vtrumque autem defuit B. Virgini ; Nam neque fuit caput, siue totius humani generis, siue prolis ex ea concipiendæ : neque vllum cum Deo iniuit pactum de obseruanda aliqua eius lege, & vicissim de transfundenda in semen eius gratia sanctificante, vi conceptionis ex ea. Vbertas verò gratiæ affusa Virgini ab initio, vel in filij conceptione, nihil plus confert ad prolis sanctitatem vi conceptionis, quàm si mater sanctitate caruisset. Non enim ex eo quod parentes sanctissimi sint, debetur proli sanctitas originaria, vi generationis ex eis : sed id solius Adami proprium fuit. Deinde si quia B. Virgo sanctissima erat, Christus hoc nouo titulo debuit nasci sanctus, difficillimum erit effugere, quominus dicamus B. Virginem meruisse Christo gratiam sanctificãtem, quod absit vt quis admittat. Nam vt proles ex matre sanctissima vi generationis sit sancta, necesse est statui nexum aliquem inter sanctitatem matris & filij : ita vt hæc quadam caussalitate consequatur ex illa. Vt enim ex mero Dei beneplacito, duo illa sint concomitanter juncta, dici non potest, nisi diuinando. Atqui nullus nexus, nullauè caussalitas potest intercedere inter gratiam matris & filij, præter meritorium, qualis reuera fuisset in Adamo respectu sobolis, si perstitisset innocens. Ergo juxta placitum quod excutimus, B. Virgo meruisset Christo gratiam. Non dico aliquam circumstãntiam gratiæ, qualem meruit circa incarnationem ; nempe accelerationem, aliamuè similem : sed ipsam gratiam sanctificantem, quam nemo non, videt, Christo à matre non aduenisse.

89. Infirmum verò est argumentum quod pro contrario placito adducitur ex verbis Angeli, *ideóque & quod nascetur ex te* ; denunciatis Christum fore filium Dei, non patris vllius creati. Si enim is locus pro contrario placito vrgeret, etiam vnio hypostatica, & personalis Christi filiatio, quam angelus

ait proli B. Virginis conferendam, superueniente in ea Spiritu sancto, manasset in Christum à Virgine: cum tamen aduersarij, id tantùm affirment de gratia sanctificante. Ex iisdem vero verbis constare videtur, sanctitatem prolis ex B. Virgine conceptæ, referri potiùs ab Angelo in Spiritum sanctum vice patris fungentem, quàm in ipsam matrem, ex qua per Spiritus sancti operationem vndecunque sanctam, concipiendus erat Christus. Neque enim par fuisset, Spiritum sanctum de Virginis substantia prolem formare, quæ sancta & innocens non esset; etiam vi talis conceptionis per operantem Spiritum sanctum, vt Franciscus Lucas rectè notauit Lucæ 1. vers. 35.

PVNCTVM III.

CREMENTVM GRATIÆ VIRGINIS, per reliquam vitam; ac primùm generatim.

1. IVSTORVM semita sicut lux splendens crescit vsque ad perfectam diem. Itaque non modò Deipara primum suæ vitæ momentum habuit splendens per gratiam, sed quo magis progressa est viuendo, eo splendidiùs micuit in ea, tam gratia, quàm consectaria gratiæ. Hoc vt accuratè & ordine exponamus, videndum est, an, & quomodò, & quantum, hæc omnia progressu temporis creuerint in Deipara. Quanquam exposito gratiæ cremento, non erit quod ad virtutes Theologicas & infusas gratiam comitantes, & dona, descendamus, cum sit planè par earum virtutum ac donorum & gratiæ ratio, quoad hoc. Prædictis circa gratiam eiúsque consectaria expensis, subdemus, an hæc munera fuerint perpetua, excluserintque tam defectum labilitatis & amissibilitatis, quàm cæteros quibus dona nostratia passim infuscantur in nobis. Quibus expositis, nihil admodùm superetit spectans ad ordinem gratiæ circa Virginem, quod discussione vel illustratione indigeat.

Gratia B. Virginis per totam vitam crescere potuit, quippe finita.

2. POnendum autem inprimis est, gratiam Virginis per vniuersam eius vitam crescere potuisse, & verò creuisse reipsa, ita vt solum instans mortis, fuerit extrinsecus terminus crementi possibilis. Ratio huius veritatis inde petenda est, quod gratia B. Virginis fuerit simpliciter finita, nec ab initio fuerit consummata, sed tantùm in fine vitæ. Inde enim manifestè conclu-

ditur, eam gratiam vsque ad vitæ metam crescere potuisse.

Et quidem finitas gratiæ B. Virginis, est extra controuersiam ; cum ne ipsius quidem Christi gratia habitualis, secundùm veram sententiam fuerit intensiuè infinita. Quod si D. Thomas 1. p. q. 25. art. 6. ad 4. dixit dignitatem matris Dei esse ex suo genere infinitam ; & consequenter ad infinitam illam dignitatem, 3. p. q. 7. art. 10. dixit fuisse in Virgine plenitudinem gratiæ tali dignitati proportionatam ; non est existimandum D. Thomæ sensum esse, quod gratia Virginis fuerit infinita gradualiter & intensiuè : sed verus D. Thomæ sensus est, dignitatem matris eatenus redolere infinitatem, quatenus est suprema coniunctio, quam persona creata possit habere cum persona infinita, siue cum Deo : ita vt maternitas, si non nudè spectetur, sed cum appendicibus secundùm diuinæ sapientiæ ordinem ei debitis, tam sublimi modo Deo iungat, vt nulla sit coniunctio cum Deo quæ istam adæquet. Quia verò Deus decentissimè omnia perficit ; consequenter ad tantam dignitatem quæ aliquatenus infinita est, gratiam quoque confert aliquatenus infinitam : hoc est summam quæ puræ creaturæ decenter conferri possit ; non tamen infinitam simpliciter, sed reipsa finitam, atque adeò capacem augmenti.

3. Quid quod etiamsi gratia B. Virginis infinita fuisset, tamen augeri potuisset? Per hoc enim discrepat augmentum gratiæ & quarumuis qualitatum, quod non est nisi intensiuum, ab augmento quantitatis ; quod quantitatem infinitam impossibile sit augeri extensiuè qua parte est infinita. Nam vbi fieret additio, necessarium esset dari terminum, cum tamen quantitas eo ipso quod infinita statuitur, supponatur carere termino. Ideóque quantitas infinita, non potest accipere augmentum nisi per penetrationem : quod reuera non esset augmentum extensiuum, quia non protenderet vlteriùs quantitatem ad vllam loci differentiam ; nec etiam intensiuum, quia vi penetrationis, non fit conjunctio variarum quantitatis partium inter se, ad eandem partem subiecti. Itaque nullum interueniret ibi augmentum. At qualitas intensibilis, quantumcunque supponatur infinita, augeri semper potest : quia additio intensiua non fit per appositionem ad extremum, sed vbilibet. Quare tametsi fingeremus gratiam B. Virginis fuisse simpliciter infinitam, adhuc fatendum esset, eam potuisse crescere, & fieri copiosiorem. Reipsa tamen fuit finita simpliciter.

Nec refert quod dicatur plenitudo gratiæ, vel abyssus gratiæ. Hæc enim tantùm dicuntur ad monstrandam vbertatem gratiæ in B. Virgine, non autem ad eius infinitatem simpliciter statuendam. Sanè alij quoque infra Deiparam, leguntur aliquando dicti, pleni gratia ; vt S. Stephanus Actorum 6. Et quod eodem recidit, Apostoli leguntur repleti Spiritu sancto Actorum 2. Et Petrus Actorum 4. ac Paulus Actorum 9. Neque tamen fingere licet, eorum gratiam fuisse infinitam simpliciter. Igitur ex eo loquendi modo de Deiparæ gratia, non licet inferre eius veram & propriè dictam infinitatem. In quam rem plura habet Cartus. l. 2. de laud. Deiparæ art. 2.

Nec ab initio consummata.

4. QVod autem gratia Virginis, ab initio non fuerit consummata, inde patet; quod lex generalis lata pro viatoribus, ferat capacitatem augmenti in gratia quam durante via adipiscuntur: ita vt quamdiu aliquid vitæ superest, fas sit vlteriùs progredi. Id enim significatur voce *viatoris*, qui cum ad terminum nondum peruenit, potest non sistere, sed decurrere quod reliquum est viæ, & magis accedere ad metam, quæ in hac via est ipse Deus. Ad Deum autem magis acceditur, non corporis gressibus, sed bonis actibus, quibus paratur gratia, qua maior cum Deo coniunctio acquiritur. Cum ergo B. Virgo fuerit purè viatrix quamdiu vixit, quis fingat Deum voluisse incolatum eius prolongare, & tamen eam priuare fructibus ærumnarum quas per huius vitæ scamna passura erat, & feracitatem tot bonorum operum ab ea interim profundendorum præcluderè? Meritò Andreas à Vega l. 10. in Conc. c. 2. pronunciauit merum somnium esse contra legem Dei confictum, ita arbitrari de Virgine. Nec potest obtendi exemplum Christi, cuius gratia fuit consummata ab initio, ita vt postea nulla ei sit facta accessio. Christus enim non erat purè viator, sed simul erat comprehensor. Vnde ex ea parte quod gratia in illo non creuit, habuit se vt comprehensor, de cuius ratione est, stabiliter hærere in gloria semel habita. Nam si creuisset gratia quæ gloriæ semen est, facienda item fuisset accessio ad gloriam, contra iura beatitudinis animæ Christi. Præterquàm quod Christus cum esset filius Dei naturalis, & haberet gratiam per modum proprietatis naturalis, non debuit eam per partes accipere, sed totam simul: quæ ratio deficit circa B. Virginem; de qua proinde indubitatum esse debet, gratiam eius non fuisse consummatam ab initio.

Aucta de facto est gratia Virginis, procedente vitæ tempore.

5. EX his ergo principiis apertè habetur, gratiam B. Virginis fuisse semper augmenti capacem, quamdiu in via fuit. Adde verò etiam creuisse de facto. Quò spectat comparatio Ruperti l. 6. in Cant. *sub initium*, affirmantis B. Virginem in principio vitæ fuisse vt auroram; in filij conceptione vt lunam; in morte vt solem. Quibus variis lucis corporeæ statibus, varietas gratiæ processu temporis in Deipara declaratur. Nec malè idem tradit Richardus à S. Laurentio l. 7. de Deip. tractans illud, *quæ est ista quæ progreditur*. Benè quoque idipsum expressit idem Richardus à. S. Laur. l. 1. de laud. Deip. exponens quomodò Virgo dicta sit *gratia plena*. Adducit enim præter cætera, locum ex c. 26. Ecclesiastici, *gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata*; Idque accommodans ad B. Virginem, ait sic de ea locutum Spiritum sanctum, quia adueniebat ei gratia super gratiam, ita vt *incassata* essent in ea gratiæ. Metaphora est ducta à vase aut capsa, in quam aliquid includitur, accuratè

premendo & vrgendo, vt multo plus contineatur. Nisi si fortassis, homo negligens latinitatis, non scripsit *incassata*, vt nunc apud eum corruptè legitur, cum dicendum saltem fuisset *incapsata* : sed scripsit *insaccata*. Apertè enim vsus est Gallismo, qui in re de qua agitur, metaphoram ponit in sacco, alioue vase agitabili potiùs quàm in capsa. Sicut ergo mensura bona, non tantùm est conferta, sed etiam coagitata, vt quæ superuenit materia possit sacco aut vase agitabili contineri ; ita non malè Richardus vbertatem gratiæ Virginis, auctam & cumulatam in dies, expressit per gratiam *insaccatam*.

Furfur doctrinæ ; Gratia Virginis post Christum conceptum, augmenti incapax.

6. EVertitur per antedicta, fucatus ille Virginis honor, pro quo latè pugnat Petrus Cluniac. l. 3. epist. 7. propositione 1. Interrogatus enim à quodam Gregorio Monacho, an B. Virgo per aduentum Spiritus sancti nouam aliquam gratiam acceperit? Respondet Petrus, B. Virgini à puncto concepti intra eam Dei Verbi, nihil vnquam accessisse è maioribus charismatibus, quæ ad perficiendam justitiam hominis pertinent. Quod tanta cum asseueratione tradit, vt dicat, se id credere, & absque omni hæsitatione confirmare; additque rationem. [Quis enim sani Capitis, hoc vnquam vel suspicari potuit, vt quantum ad aliquam partem iustitiæ spectat, post filij Dei in ipsa conceptionem, & de ipsa Natiuitatem, aliqua gratiæ portio ei addita fuerit; cum ipsam ante ista, Angelus gratia plenam dixerit? Nónne hoc absurdum, imo nefarium esse, quilibet etiam valdè brutus aduertit, vt concipiens vel pariens Deum, imperfecta fuerit : post conceptionem verò vel partum diuinum, ad perfectionem ante non habitam peruenerit? Quis hoc non tantùm abjiciat, sed non etiam exhorreat? Nihil enim ei vsque ad vltimum vitæ mortalis terminum, gratiæ perfectricis accessit, quod Deum concipiens & pariens non habuerit: quia ex quo gratia plena dicta est, semper eadem gratia plena permansisse, absque augmento aliquo credenda est. Rursus inferiùs. [Et de beata quidem Virgine supradictum est, & omnino certum est, quod ei nihil ad puritatis, nihil ad sanctificationis, nihil prorsus ad omnium virtutum spiritualium perfectionem accesserit. Nihil enim ei augmenti ad justitiæ vel sanctitatis plenitudinem, per illum Spiritus sancti aduentum accedere potuit; quam ante conceptum, & in conceptu filij Dei, omnium virtutum sanctificatione & perfectione, idem Spiritus adimpleuit.] Denique sub primæ propositionis finem. [Hoc tantùm constanter astruo, (quod tamen supra iam dixi;) Beatæ Virgini, post conceptum Dei filium nihil de illis excellentibus sancti Spiritus donis, aliquo tempore, dum mortalis vixit adauctum. De inferioribus verò, nihil superfluum aut indecens additum ; sed si quid omnipotentis filij Dei matrem de talium numero habere decuit, absque dubitatione adjunctum.] Vocat inferiora dona, aut vt priùs dixerat *minora charismata*, quæ passim vocantur *gratiæ gratis datæ* : in quibus an Virgo post conceptum Dei

Verbum creuerit, anceps hæret. At quoad gratiam sanctificantem & generalia eius adiuncta, extra omne dubium statuit, quod à tempore concepti Dei Verbi fuerint in Virgine incapacia augmenti. Idque maximè ad Virginis decus pertinere arbitratur, quod ea ratione verè & propriè intelligatur esse plena gratiæ, si nihil vltra gratiæ possit capere. Sicut cyathus plenus, non est vltra capax noui liquoris.

7. Eadem videtur sententia Richardi Victorini l. 2. de Emman. c. 30. Nam contendit à momento conceptionis Christi, gratiam Deiparæ fuisse consummatam; & eam quoad hoc æquiparat Christo ab instanti duntaxat conceptionis. Videtur item idem sentire Petrus Cellensis l. 6. epist. 23. verbis illis. [Discas virginem nondum matrem, & Virginem iam matrem; Attendas domum sapientiæ inchoatam, & iam consummatam; distinguas lanam de prima gratia candidam, & purpuream de secunda, sanguine conchylij tinctam; diuidas vellus non compluitum impraegnatione, & vellus madefactum Incarnatione. Qua enim ratione de ipsa in Ecclesia cantaretur, *qua est ista quæ ascendit quasi aurora consurgens*, vtique in natiuitate, *pulchra vt Luna*, in sancta conuersatione, *electa vt Sol*, diuina conceptione, *terribilis vt castrorum acies ordinata*, cœlesti exaltatione seu assumptione si nullus ei virtutum fuisset profectus atque prouectus?] Agnoscere ergo videtur, profecisse quidem in virtutibus atque adeò etiam in gratia B. Virginem aliquamdiu, hoc est ante Christi conceptionem, non tamen postea, quia cum Christum concepit transiit quodammodò in solem cuius lux non crescit. Idem haud dubiè sensit, qui scripsit. [Piè creditur cum Deum corporaliter conciperet, tantam in seipsa, de calore superuenientis in se Spiritus sancti, flammam pij amoris concepisse, quantam capere poterat puri hominis modus. Non ergo vt cæteri paulatim & gradatim in habitu virtutum proficiebat, quæ gignendo plenum gratiæ & veritatis, arcem plenissimæ perfectionis attigerat, in qua procul dubio ab omni etiam veniali peccato immunis felicissimè perseuerauit vsque in diem gloriosæ Assumptionis suæ. Proinde non paulatim amore languescebat, sed ex quo Verbum Incarnatum genuit, sancto eius amore, ad seipsam, & ad omne quod infra ipsam est, perfectè languebat.] Dedi verba quibus addictissimus Deiparæ, antiquus Cantici Canticorum interpres, Gulielmus Paruus in c. 2. Cant. ad illud, *quia amore langueo*, negat crementum Virginis in virtutibus à tempore concepti Verbi Dei, eo quod ex tunc virgo arcem plenissimæ perfectionis attigerit.

8. Negaui hunc Virginis honorem esse solidum; nihil veritus grandinationem qua Petrus Cluniac. percellit eos qui contra sentiunt. Quamuis enim verum sit, B. Virginem ex quo Christum concepit, attigisse insignem quendam gratiæ cumulum; non est tamen admittendum, quod Virginis per tantum postea tempus viatricis, tam multa & tam luculenta opera, fuerint infecta gratiæ; ita vt gratiam præiacentem non auxerint. Nec potest vllum verisimile spiritualis illius consistentiæ fundamentum proferri. Nam quod Petrus Cluniacensis petebat ex repletione & plenitudine Deiparæ quoad gratiam

gratiã, inane eſt. Neque enim plenitudo vel repletio animæ, eſt ſicut plenitudo & repletio vaſis, quod cum plenum eſt, nihil vltra admittit: ſed vt benè monet Toletus in c. 1. Lucæ annot. 67. *ſub finem* plenitudo & repletio juxta ſcripturas, cum de ſpiritualibus donis agitur, deſignat tantùm vbertatem & abundantiam eorum, non autem incapacitatem ſubiecti ad maiorem eorum copiam: ſicut ſignificatur in materialibus, cyatho. V. G aut modio.

9. Rectè itaque de ipſo puncto concepti Verbi Dei, ſtatuit Paulinus carm. 5. Virginem in gratia creuiſſe. Sic enim canit.

[*Implentur præcepta Dei, creditque puella*
Protinùs; atque auget meritum vitámque priorem,
Prompta fides: tacitis elementa latentia cauſis
Diuinum informant corpus, ſacrandáque creſcit
Sarcina, cœleſtem Dominum pia conſeuet aluus.]

De eodem, imo etiam de toto vitæ B. Virginis tempore, quod aucta per illud ſit vnâ cum meritis gratia, luculentum teſtimonium perhibet Philippus Abbas, lib. 4. in Cant. c. 1. cuius adoratiſſimo ſuffitu, priuſquàm abeam, putorem contrarij placiti juuat diſpellere. [Aſcendit (inquit) ſicut virgula fumi quæ cum ſubtilis & gracilis ab inferioribus oriatur, attollens ſe in auras tenues & ipſa tenuatur, ſic in altum proficiens, vt ſecreto nubium ſe committat & velut ſe exinaniens oculos intuentium non admittat. Virgo nimirum quamuis de terrenis parentibus procreata, terrenis tamen abraſis ſordibus diſciplinæ ſtudio tenuata, ad tantam meritorum altitudinem ſupra homines eſt progreſſa, vt rectè aſſeratur capacitatem admirantium ſupergreſſa. Quæ ſic proficiens, longè latéque ſuauiſſimum dat odorem, doctrinam juſtitiæ, diſciplinæ formulam gratiorem; largitur ſuffragia, gaudet beneuolentiam exhibere, quæ dignè conſiderantibus, tanquam aromata videntur redolere. Ideò fortè fumus, cuius virgulæ Virgo proficiens comparatur, non de abyſſi puteo, ſed ex aromatibus prodire memoratur, ad quorum confectionem, ſpecierum multiplicitas eſt collecta, & ex myrrha, & thure, & vniuerſo pigmentarij puluere ſunt confecta.] Declarat ſingillatim quid myrrha, quid thus, quid vniuerſus pigmentarij puluis denotent. Myrrham aſſerit ſymbolum eſſe virtutis corpus ſubjicientis ſeruituti. Thure humilem deuotionem vult figuratam quæ cum in thuribulo mentis, igne ſancti Spiritus concrematur; liquefacta in amorem, velut fumus dirigitur ad ſuperna. Vniuerſo denique pigmentarij puluere, virtutum reliquarum vniuerſitatem, expreſſam docet. Itaque perſpicuè agnoſcit Philippus, & fragrantiſſimè tradit B. Virginem in omnibus virtutibus per totam vitam progreſſiones feciſſe mirabiles, quæ oculos intellectuum noſtrorum, & aciem quoque Angelicarum mentium effugiant, ipſámque etiam admirationem omnium ſupergrediantur.

PVNCTVM IV.

CREMENTVM GRATIÆ B. VIRGINIS ex opere operato.

1. CRevisse in gratia & donis eam generaliter affectantibus B. Virginem, satis hactenus monstratum est. Nunc duplex illius crementi modus specialis est attendendus; nimirum & is qui fit ex opere operato, vel quasi operato; & is qui fit ex opere operantis, initio facto à priore qui & facilior est, & minoris impensæ respectu subiecti gratiam recipientis. Exercetur autem in sacramentis nouæ legis, & aliquatenus etiam exercebatur in circumcisione, quamuis non per circumcisionem; quatenus tametsi circumcisio erat egenum sacramentum, æquè ac omnia antiqua; tamen Deus attenta necessitate paruuli qui circumcidebatur, ad illius signi applicationem, conferebat ex se gratiam; Quod item circa fœminas præstabat, cum vsurpabatur circa eas remedium legis naturæ, quodcunque tandem illud esset, quod pleniùs vestigat Hugo Victorinus libello de eo remedio. Eius porrò vices, vt plurimùm, tenebat apud Iudæos circumcisio quoad mares. Nam cum hoc remedium præcesserat, vt si paruulus ante octiduum periclitaretur de vita, circumcisio superueniens erat nudum signaculum justitiæ fidei. De hoc igitur modo augendi gratiam, Deiparæ in conceptione collatam, agendum sequitur, tam quoad antiquum illud sacramentum, quod vnicum fuit conferens gratiam ex opere quasi operato; tum quoad noua; ac etiam quoad quosdam euentus in quibus eius gratiam absque susceptione sacramenti auctam esse ex opere operato, ex mera Dei liberalitate, citra vllum Virginis meritum, non pauci censuerunt.

Deipara initiata sacramento legis naturæ: Auctam eo gratiam qui dixerint.

2. INprimis verò non videtur dubitandum, quin Deipara sacramentum illud legis naturæ acceperit, quo apud Hebræos infantes fœminæ expiabantur. Nam tametsi concederemus, parentes Virginis non fuisse ignaros gratiæ, beatæ huic infanti collatæ in puncto conceptionis; tamen non est dubium, quin voluerint facere secundùm consuetudinem legis pro ea. Sicut Zacharias, tametsi acceperat ab Angelo, Baptistam fore replendum Spiritu sancto adhuc ex vtero matris suæ, tamen non omisit stato tempore eum

circumcidere; vt legi obſequeretur, & vſui receptiſſimo ſeruiret. Parentes igitur Virginis, ſanctam infantem eo remedio luſtraſſe, non eſt dubitandum; idque vt certum ſtatuit Poza l. 2. tract. 18. c. 2. exiſtimans tamen hoc remedium circa fœminas, aliud non fuiſſe quàm oblationem earum quæ fiebat in templo octogeſima ab ortu die, juxta doctrinam quam poſuerat cap. 1. ſed quid ſi ante illud tempus periclitata eſſet proles? Itaque veriſimilius duco, non eſſe exſpectatum tantum tempus ad expiationem fœminarum. Sed quamuis potuerit quoque coniunctim cum oblatione pro matre quæ 80. die purificabatur, fieri aliqua infantulæ oblatio, tamen anterior eius expiatio per ſacrificia, alioſuè ritus, videtur admittenda. Diſertéque Hugo Victor. l. 1. de ſacram. fidei, p. 11. c. 2. cum eam femellarum expiationem per ſacrificia & oblationes admittit, non ſe reſtringit ad tempus purificationis maternæ. Vt vt ſit, B. Virgo ſacramento legis naturæ, ſiue eo remedio quo apud Hebræos infantes fœminas expiari vſus erat, initiata eſt.

3. In ſuſceptione huius ſacramenti, B. Virginem accepiſſe gratiam ſanctificantem, æquè ac cœteras puellas cum illud ſuſcipiebant, aſſerit Poza l. 2. tract. 18. c. 2. remittens Theologis diſcutiendum an pro meliori diſpoſitione, maior gratia ſit per illud Virgini collata. Supponit autem Theologos idem in hac re pronunciaturos, quod circa noſtra ſacramenta: Ac proinde videtur ſupponere eos pronunciaturos vulgaribus puellis, quæ ſine vlla diſpoſitione (quippe infantes rationis expertes,) eo ſacramento initiabantur, certam & æqualem menſuram gratiæ ſemper obtigiſſe. Si quæ verò adulta & ratione pollens illhuc vſque inexpiata, vſurpaſſet hoc ſacramentum, videtur debuiſſe eſſe par ratio illius, ac illorum qui nouæ legis ſacramenta recipiunt meliùs diſpoſiti; quibus, etiam ex opere operato, maior gratia confertur, juxta probabiliſſimam doctrinam, cui ſubſcribunt Henriq. l. 1. c. 14. n. 1. Suar. t. 3. 3. p. d. 7. ſ. 5. concl. 3. & d. 28. ſ. 3. Vaſq. 3. p. d. 159. c. 5. Ægid. q. 62. n. 50. Bonac. diſp. 1. de ſacr. q. 4. p. 3. n. 2. refragante licet Peſantio q. 62. art. 5. diſp. 4. Cum igitur Virgo quæ juxta veriſimillimam ſententiam, rationis vſum in primo momento vitæ conceſſum, habuit perennem, ſacramentum illud receperit cum optima diſpoſitione ſupra omnes puellas ratione præditas, quæ illud aliquando ſuſcepiſſent, videtur conſequenter ad fundamentum iactum, debere concedi, maiorem gratiam fuiſſe illi collatam in huius ſacramenti ſuſceptione.

Præſuppoſitio, de non maiore adultarum, quàm infantium puellarum gratia, in ſacramento legis naturæ.

4. Mihi neque his puellis quæ adultæ hoc ſacramento initiarentur maior gratia videtur fuiſſe collata quàm iis quæ planè infantes illud ſuſcipiebant: neque B. Virgini vlla prorſus gratia ex opere quaſi operato, ex huius ſacramenti vſurpatione obtigiſſe. Oſtendo primum. Nam idcirco ſacramenta nouæ legis ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem gratiam conferunt,

vt loquitur Trid. sess. 6. cap. 7. id est copiosiorem meliùs dispositis subiectis; quia æquum fuit, causas ordinis gratiæ seruare proportionem cum causis naturalibus. Hæ autem, si effectus sit intensibilis, pleniùs agunt, & vberiorem effectum producunt in subiecto meliùs disposito. Sic enim in superficie speculi læuissima & politissima, multo plus luminis per idem luminosum producitur, quàm in corpore aspero & impolito. Lapis quoque qui ob duritiem & grauitatem est meliùs dispositus ad excipiendum impetum proiectioni deseruientem, recipit ab eodem motore, per eundem motum, maiorem impetum localiter delatiuum, quàm reciperet pluma similiter mota. Dispositiones enim, etiamsi non semper agunt ipsæ, coefficiúntque cum agente principali cui subseruiunt; tamen expediunt agenti viam ad producendum copiosiorem effectum, & vim actiuam alacriùs & copiosiùs expromendam. Similiter ergo sacramentum, cum agat ad modum causarum naturalium, iure censetur ex institutione diuina rerum naturis se accommodante, gratiam intensiorem producere in subiecto meliùs aptato. Atqui hæc analogica ratio, quam admitto quoad sacramenta nouæ legis, nihil habet momenti quoad sacramenta vetera. Et ratio est manifesta. Nam sacramenta nouæ legis, sunt morales causæ gratiæ; quam Deus per ea non aliter confert, quàm si haberent connaturalem vim causandi gratiam. Itaque mirum non est, proportionem cum causis naturalibus habere in eis locum; & meliùs dispositis pleniorem gratiam per ea conferri. At sacramenta antiqua, non erant morales causæ gratiæ: nec per ea dabatur gratia; etiamsi interdum ex priuilegio & diuina liberalitate, ob extremam suscipientis necessitatem, cui nulla ratione aliter prospici posset, dabatur in eis gratia. Sensus est. Datam quidem esse interdum gratiam in antiquis illis sacramentis; nempe cum erant piacularia paruulorum, qui sibi aliter prospicere non poterant: alioqui Deus paruulos omnes qui ante baptismum obiere, reliquisset absque remedio; quod absit vt admittamus.

5. Verùm quod gratia quamuis eo modo in his sacramentis daretur, tamen non daretur per ipsa sacramenta, sed ex mero priuilegio, ob necessitatem extremam paruulorum, non autem ex vi ipsius operis sacramentalis exerciti; inde euincitur, quod prædicta sacramenta cum applicabantur adultis qui ex opere operantis iustificari poterant, non conferebant gratiam, sed erant nuda & egena elementa. Contra quàm accidit in sacramentis nouæ legis, quæ semper & vbiuis conferunt gratiam, quia ex nuda vi ipsius sacramenti, & externæ actionis sacramentalis vsurpatæ, gratiam in subiecto apto producunt. Neque verò antiqua sacramenta, tunc saltem cum in eis dabatur gratia, erant veræ causæ morales illius gratiæ. Non enim idem est posito quopiam, vi eius conferri effectum; (quod est habere rationem causæ;) & posito aliquo tanquam conditione, fieri effectum vl alterius. Deus ergo in nostrorum sacramentorum susceptione, vi eorum, & per ea, confert gratiam tanquam per causas morales, quia nostra sacramenta sunt veluti fœta Christi meritis. Atque ita applicatis nostris sacramentis, gratia confertur ob solam eorum applicationem; ita vt ipsa dicantur gratiam producere. At sacramenta vetera, non sic: sed cum ad

eorum positionem dabatur gratia, non dabatur vi eorum, & per ea; sed duntaxat vt ad nudam conditionem à maioribus paruulorum ex condicto adhibitam. Nec Deus ad gratiam tunc conferendam, mouebatur ab ea conditione, sed à Christi merito secundùm se preuiso: neque enim preuideri potuit inclusum in illis sacramentis, cum nondum esset actu exhibitum. Itaque meritò affirmaui, puellas adultas quæ tunc primùm expiabantur adhibito remedio legis naturæ, non percepisse maiorem gratiam ob meliorem suam dispositionem.

Nullum Virgini gratiæ incrementum, à sacramento legis naturæ.

6. ADdebam deinde B. Virginem tametsi ratione vtentem cum hoc sacramento initiabatur, atque adeò meliùs dispositam quàm infantes puellas; imo & quàm adultas quæ aliquando hoc sacramentum susceperint; non modò non recepisse huius sacramenti susceptione maiorem gratiam, sed neque aliquid prorsus gratiæ tunc accepisse quasi ex opere operato, idest vltra meritum operantis, quod nunc non attendimus. Accepisse Virginem, certam gratia mensuram ex opere quasi operato in huius sacramenti receptione, præter Pozam supra adductum, sensere plurimi, inter quos Mendoza l. 2. florum sacrorum problem. 7. Vasq. 3. p. d. 119. c. 7. Suares t. 2. 3. p. d. 18. s. 3. *sub initium*: Omnes post Paludanum in 3. q. 2. *paulo ante solutionem principalium argumentorum.* Philosophantur enim in hoc puncto de B. Virgine, sicut de aliis paruulis suscipientibus hoc sacramentum. Vnde sicut alij paruuli recipiebant gratiam in eius susceptione, ita concludunt, B. Virginem, tametsi præsanctificatam, accepisse gratiam cum initiaretur. Extraordinaria quippe Dei largitas, non excludit vsum ordinariorum mediorum parandi & augendi sanctitatem.

Verùm disparitas aliarum puellarum infantium, & Deiparæ, manifesta est quoad rem præsentem. Nam aliæ puellæ immundæ erant, & labe originali maculatæ; quam nisi in applicatione remedij de quo agimus abstersissent accepta gratia, mansissent inimicæ Dei, & in proximo æternæ damnationis periculo. Vnde conuenientissimum fuit, vt diuina miseratio acurreret extremè egentibus, & gratiam in huius sacramenti susceptione elargiretur. At B. Virgo, à primo vitæ suæ momento, sancta erat, nec premebatur illa necessitate spirituali, qua permotus Deus dabat gratiam puellis infantibus. Sicut ergò cum circumcidebantur adulti, quia poterant sibi prospicere per opus aliquod suum, non accipiebant gratiam in circumcisione; (& idem est de adultis qui suscipiebant sacramentum legis naturæ;) sed cogebantur conciliare sibi Deum, interuentu contritionis, vel amoris perfecti: ita B. Virgo suscipiens hoc sacramentum, etiamsi concomitanter & per accidens recepit gratiam ex opere operantis, tamen quia jam sancta erat; & quamuis sancta priùs non fuisset, poterat tamen sibi prospicere per actum gratiæ conciliatiuum; nihil tunc recepit vltra

dignitatem meriti sui, quod latè vsurpata voce, dicitur, hîc quoque nihil recepisse ex opere operato.

B. Virgo, per quadam noua legis sacramenta, gratiam auxit.

7. PErgo ad augmentum gratiæ B. Virginis per receptionem sacramentorum nouæ legis. Ex quo enim à Christo sunt instituta, non est existimandum B. Virginem neglexisse hæc instrumenta gratiæ, & causas sanctificationis; quarum quidem reipsa & congruè capax erat. Quod addo, quia certum est, nihil illi accessisse gratiæ per susceptionem sacramenti Ordinis, cuius erat incapax, quippè fœmina. (Quamquam Albertus Magnus l. *super Missus est*, siue de laudibus B. Virginis c. 81. multus est, vt confirmet, B. Virginem omnes functiones ordinum obiuisse æquiualenter, atque adeò consecutam esse æquiualenter illius sacramenti gratiam, quod ad rem præsentem non facit.) Neque per susceptionem sacramenti pœnitentiæ, quod supponit peccata actualia tanquam materiam proximam. Sacramentum insuper matrimonij, non accepit B. Virgo: quippe jam coniugata ante Christum, nec congruè nisi vnius vnquam viri vxor. Coniugium autem quod cum Iosepho iniuit, fuisse sacramentum; & auxisse gratiam æquè ac cætera nouæ legis sacramenta quæ suscepit, (quod ex Alberto affirmat Syluester in Rosa aurea tract. 2. ad Euang. sabathi post Domin. 3. aduentus circa 3. punctum,) adeò manifestè falsum est, vt confutari non debeat. Omnia enim nouæ legis Sacramenta sunt instituta à Christo, qui tunc nondum venerat. Aliorum verò sacramentorum omnium B. Virgo capax fuit, juxta plerosque DD. Quod si verum est, non est credibile, quod eorum vsurpatione abstinuerit, quasi negligens accrementum gratiæ ex eorum vsu qui feracissimus gratiæ erat, in ea præsertim, ob optimam dispositionem, quæ vt supra monui, auget gratiam etiam ex opere operato. Sed dicamus distinctè nonnulla de singulis illis reliquis sacramentis, puta baptismo, confirmatione, Eucharistia, Extrema vnctione; vt si quod est dubium circa susceptionem alicuius eorum, ritè excutiatur, & expediatur.

Vt per Baptismum.

8. BAptismum Christi, à B. Virgine fuisse susceptum, Euthymius Ioan. 3. ex traditione Patrum confirmat: consentiúntque Scholastici, vt Albertus quem refert & sequitur Pelbartus l. 7. Stellarij p. 1. art. 2. c. 3. & alij quos magno numero appendit Henriq. l. 2. c. 5. num. 2. & passim alij, vt Vasques 3. p. d. 119. c. 7. Suares t. 2. 3. p. d. 18. s. 3. Benzo. in psal. 86. cap. 40. traditione 17. Canisius l. 1. de Deip. c. 9. Bellar. l. 1. de Rom. Pont. c. 23. qui à Christo ex viris solum Petrum, ex mulieribus solam B. Virginem baptizatam censet; colligitque ex Nicephoro. Ratio cur B. Virgo censenda sit suscepisse hoc sacramentum, ducenda est cum D. Augustino epist. 108. quæ est ad Seleucianum, ex fine primario illius; quem constat esse regenerationem, &

incorporationem personæ baptizatæ in viuum Christi membrum, cum potestate & idoneitate participandi cæteris sacramentis, quorum baptismus est ianua; & consignatione hominis in vernaculum Christi, tanquam eo redemptum. Cum igitur hæc omnia potuerint locum habere in B. Virgine, quidni susceperit hoc sacramentum, præsertim cum interfuisse plurimùm videatur ad exemplum, vt cæteri non refugerent hanc initiationem, si viderent matrem domini, degere expertem eius?

9. Tantùm videtur objici posse, quod Concilia & nominatim Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato orig. confirment baptismum conferri in remissionem peccatorum: ipsáque exterior ablutio videtur esse signum ablutionis internæ à peccatis. Atqui in Virgine, nulla vnquam fuerunt peccata, ac ne originale quidem. Quomodò igitur potuit verè baptismo perfundi? Sed dicendum est, sacramentum baptismi eatenùs secundariò conferri in remissionem peccatorum, quatenus confert gratiam remissiuam peccatorum, si quæ sint in persona cum baptizatur. Si autem contingat nulla præiacuisse peccata, non officit veritati baptismi, in cuius forma nihil tale habetur. Videsis id pleniùs enucleantem Salazarium l. de concept. c. 24. §. 9. à num. 116. Meritò autem Ioannes Sanches d. 27. n. 20. rejicit Nugnem qui nodum propositum expedit, quia Virgo etiamsi caruit peccato originis, habuit tamen illius debitum. Hoc non rectè dicitur. Nam baptismus non ordinatur ad tollendum debitum, sed ad tollendum peccatum, eo saltem modo quo dixi. Itaque per susceptionem sacramenti baptismi, aucta est gratia sanctificans in B. Virgine. Quin etiam præ humilitate Deiparam accepisse baptismum Ioannis, rectè statuit Albertus super *Missus est* c. 74. sequitúrque Pelbartus l. 7. Stell. p. 1. artic. 2. cap. 3. sed hic baptismus, non fuit capax augendæ gratiæ ex opere operato.

Itémque per Confirmationem.

10. CONfirmationem non accepit B. Virgo (juxta Suarem t. 2. 3. p. d. 18. s. 3. quoad signum visibile in quo consistit ratio sacramenti: Recepit tamen characterem, & gratiam huic sacramento propriam. Quod declarat exemplo Apostolorum, qui præter omne meritum suum, in Pentecoste receperunt ex opere quasi operato Spiritum sanctum, & characterem Confirmationis quo consignarentur in Christi milites: postea verò non acceperunt signum visibile sacrementi, quod iterari non potest. Hæc tamen doctrina mihi non probatur vsquequaque. Vnde enim habemus characterem collatum esse in Pentecoste, extraordinem & legem constitutam generaliter à Christo; id est absque sacramento eius inustiuo? Gratiam quidem vberem, constat esse tunc collatam. De charactere autem seorsim collato, & exclusa postea susceptione visibilis signi, & gratiæ ei debitæ, nulla vspiàm est mentio. Quinetiam quid incommodi esset dicere, Apostolos post resurrectionem donatos plena Episcopali potestate, contulisse sibi inuicem, sacramentum confirmationis, & aliis item fidelibus non Episcopis, illud impertiisse, ac inter eos B. Virgini:

postea verò plenitudinem gratiæ, quæ supra communem sortem ac modulum sacramento confirmationis diuinitùs statutum, initio Ecclesiæ necessaria erat, collatam esse in Pentecoste?

Alterutro modo id acciderit; hoc est siue ante, siue post Pentecostem, collatum sit Apostolis signum visibile huius sacramenti cum gratia ei respondente in nobis illud nunc suscipientibus; affirmandum est collatum quoque esse B. Virgini. Quod tenent Albertus & ex eo Pelbartus in Stellario l. 7. p. 1. artic. 2. c. 3. Syluest. in rosa aurea tract. 2. ad Euang. Sabathi post Dominicam 3. aduentus ad q. 3. Et tract. 3. q. 53. qui addit, secundùm S. Thomam, Christum confirmasse Apostolos, atque adeo etiam matrem suam. Fuit certè Deipara, capax effectus huius sacramenti, siue roborationis fidei, vt optimè prosequitur Gul. Paris. tract. de confirmat. cap. vnico. Per huius autem sacramenti susceptionem, si susceptum reuera est, auctam esse anteriorem gratiam B. Virginis, extra dubium pono.

Nec non per Eucharistiam.

11. EVcharistiam à Virgine susceptam esse in extrema cœna, censuit Vvigerius in decachordo chorda 7. c. 29. quod supra reieci, cum Vvaltero cœna 3. c. 11. Postea tamen Deiparam suscepisse Eucharistiam, satis clarè significatur Actorum 2. quo memoratur frequens communio primorum Christianorum; juncto c. 1. in quo B. Virginis cum iisdem Christianis primitiuis assiduus conuictus, & perseuerantia in oratione, ac studiis pietatis, describitur. Nec verò ambigere licet, quin B. Virgo, latam vniuersaliter legem de vsurpanda communione, exemplo suo firmare, & apud alios in pretio locare studuerit. Vt verò omnis lex abfuisset, nihil poterat Deiparæ accidere jucundius & optabilius, quàm reali corporis Christi intra se susceptione, iterare quodammodò primam Christi intra eius viscera præsentiam, non sine afflatibus & gustibus, quales in prima illa Dei secum inhabitatione persenserat. Hic est enim cibus melle dulcior, quem B. Virgo cunctis Ecclesiarum populis apparauit, & apposuit, vt mellitissimè de Eucharistia dixit S. Ambrosius in psal. 21. *in fine*. Vt autem Apostoli argumentationem huc transferam, quis cibum herus conuiuij apparat, & de cibo ipse non comedit? Ergo comedit Virgo cibum Eucharisticum; & comedit frequentissimè, vt rectè cum Alberto statuit Pelbartus l. 7. p. 1. artic. 2. c. 3. eâque ratione B. Virgo, insigniter gratiam præhabitam auxit, ex opere operato; præsertim in tam egregia dispositione & aptatione subiecti, toties ad hos vitæ fontes admoti.

An per Vnctionem extremam.

12. DE extrema vnctione, si Virgo eam suscepit, clarum est accessisse per eam gratiæ augmentum. Sed an susceperit, controuertitur. Affirmant multi apud Suarem t. 2. 3. p. d. 18. sect. 3. subscribúntque ipse Suarez t. 4. 3. p. d. 42.

d. 42. ſ. 2. à n. 8. Henriq. l. 3. c. 11. n. 7. & Pelbartus exſcribens Albertum l. 10. Stell. p. 1. artic. 1. Refragantur autem Paſ. Ludanus, Vendelinus, & Victoria ibidem citati; nec non Vaſques 3. p. d. 119. c. 8. & Ioannes Sanches diſp. 27. ſelecta n. 20. qui alios profert. Qui partem negantem ſequuntur nituntur forma huius ſacramenti, in qua fit mentio actualium peccatorum ſubiecti hoc ſacramentum recipientis. At B. Virginem omni actuali peccato caruiſſe, certa fides eſt. Hæc tamen ratio non mihi videtur firma. Nam effectus primarius huius ſacramenti, non eſt remiſſio peccatorum actualium; ſed roboratio aduersùs tentationes tunc vrgentes: qui effectus, etiam in perſona planè ſancta, & optimè præmunita, locum habere poteſt. Mentio verò peccatorum quæ fit in huius ſacramenti forma, non eſt niſi conditionalis, *ſi quid peccaſti.* Imò quamuis abſolutè diceretur hoc ſacramentum conferri in remiſſionem peccatorum; quia tamen materia eius nullo modo ſunt peccata, haud grauatè eodem modo exponeremus illum loquendi modum, quo ſupra expoſuimus ſimilem circa baptiſmum; quum dicitur *conferri in remiſſionem peccatorum*, nempe ſi adſint: alioqui enim ad veritatem illorum verborum ſatis eſt, quod gratia per baptiſmum collata, ſit remiſſiua peccati. Quod autem Pelbartus loco annotato, & Sylueſt. in Roſa aurea Tract. 3. q. 53. ex Alberto, aiunt loco venialium, per hoc ſacramentum remiſſos eſſe Virgini dolores mortis, qui à peccato primùm ſunt orti; ridiculum eſt, nec ad rem noſtram neceſſarium. Itaque is primus aries, contra affirmantes B. Virginem fuiſſe inunctam, infirmus eſt.

13. Fortiùs vrgeri poteſt, obitus Deiparæ abſque ægritudine vlla. Vnde probari reuera videtur, B. Virginem nullum gratiæ accrementum hinc accepiſſe. Oſtendimus enim ſect. 1. *ſub finem*, cum Virgo obiit, ne eam quidem debilitatem ab intrinſeco interueniſſe, cum qua iungeretur tanta corporis indiſpoſitio, vt anima perſtare vlteriùs ibi non poſſet. At niſi ſaltem rudimentum ægritudinis, agnoſcamus in Virgine, fatendum erit eam fuiſſe incapacem extremæ vnctionis, cuius ſubiectum eſt tantùm perſona ægra. Nec dici poteſt, paſſim quidem ſubiectum extremæ vnctionis ſtatui perſonam ægram, quia communiter qui ad extrema deueniunt, laborant morbo. In rigore autem ſubiectum idoneum huius ſacramenti, eſſe perſonam ad agonem vltimum armandam, & muniendam aduerſus inſultus ſatanæ. Sicut proportione ſeruata, vngebantur olim colluctaturi; qua ratione B. Virgo potuiſſet vngi. Hoc inquam dici non poteſt. Nam ſi ita eſſet, etiam ij qui gladio publico trucidantur, vel ad ſuſpendium rapiuntur, inungendi eſſent: quod tamen eſt contra vſum Eccleſiæ, & ſenſum Doctorum, qui pronunciant, hoc ſacramentum eſſe inſtitutum ad roborandum hominem cum defecerit virtus eius, labante judicio, atque adeò voluntatis viribus fractis, & faciliùs per hoſtem tunc maximè imminentem, peſſundabilibus. Si igitur ratum habeatur quod diximus de morte Deiparæ planè abſque infirmitate, (nec video cur ratum eſſe non debeat;) fatendum erit B. Virginem non ſuſcepiſſe ſacramentum extremæ vnctionis; atque adeò non auxiſſe gratiam ſuam per eius ſuſceptionem.

Discussi euentus quidam, aucta ex opere operato gratia Virginis, extra Sacramenta.

14. PRæter prædicta capita augendæ gratiæ B. Virginis ex opere operato, vnum aliud assignat Suares t. 2. 3. p. d. 18. s. 3. *sub finem* quod ait absque temeritate negari non posse: nempe ex singulari Dei liberalitate, præter omne Virginis meritum, in conceptione Verbi Dei, juxta illud S. Anselm. l. de 4. virtut. B. Mariæ c. 6. [Huic puellæ sic virtutum diademate redimitæ, totum se infudit Dei filius, bona illa virginalis animi, suo potissimùm aduentu custodiens. Námque ipse non solùm justus, sed & ipsa est justitia, cui dicitur in Psalmo, *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem.* Matrem ergo suam jam justam, justitia Dei penetrans vnxit eam, oleo exultationis, idest, Spiritu sancto, præ omnibus participibus suis.] Optimè quoque autor sermonis de Deipara apud Athanasium agens de virtute altissimi obumbrante Virgini [Enimverò vt in Apostolos virtus ista ideò descendit, vt contra omnem aduersariam virtutem vigerent; ideóque spiritus superuenit essentialiter cum omnibus suis dotibus, vt efficaciam acciperent in omnibus signis, prodigiis, & portentis ad confirmandam, certámque & indubitatam reddendam promissionem Christi; ita quoque Spiritus sanctus in Virginem descendit cum omnibus suis essentialibus virtutibus, quæ illi per rationem Diuini principatus adsunt, imbuens eam gratia, vt in omnibus gratiosa esset. Atque idcirco gratia plena cognominata est, eo quòd adimpletione Spiritus sancti, omnibus gratiis abundaret, & virtute altissimi obumbraretur. Quam virtutem per omnia tempora conceptus, eam habuisse confido, & post conceptum etiam retinuisse: neque enim id temporarium in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora hoc illi datum fuisse, quemadmodùm & nunc in præsentia & in æternum vsque, habet hæc Virgo sibi obumbrantem virtutem altissimi, & superuentum Spiritus sancti, & virtutem altissimi vt sit gratia plena.]

15. De aliis quibusdam euentibus, vt in Christi natiuitate, passione, ac resurrectione, idem gratiæ augmentum coniectari posse probabiliter, subdit Suares: Sed coniectari tantùm, non autem certo asseri, sicut de prædicto euentu, quem ab omnibus Scholasticis in 3. d. 3. agnosci docet, & confirmari à Patribus. Recenset plerosque ex illis aliis euentibus, Mendoça l. 2. florum sacrorum problem. 7. nimirum conceptionem passiuam Deiparæ, & præcipua quæque Christi mysteria. Móxque etiam addit, cum Henrique l. de fine hom. c. 10. §. 8. idem contigisse, quando Deipara aliquod insigne obsequium Christo exhibebat; vt cum eum infantem lactabat, aut quouis alio modo beneuolè tangebat; si enim Christus, ægras contactu suo sanabat, etiam animo, largiens illis gratiam absque omni eorum merito, quantò magis idem Virgini præstitisse, est cogitandum?

Hæc piè dici non inficior. Nihil tamen video, quod assensum extorqueat. Nam prima sanctificatio Virginis, cui Scholastici juxta Suarem æquiparant

prætensam hanc sanctificationem ex opere operato in conceptione actiua Deiparæ, non fuit ex opere operato sed ex opere operantis: quia Virgo se disposuit ad eam gratiam interuentu gratiæ præuenientis, & promeruit congruè suam illam sanctificationem; ita vt nihil gratiæ collatum illi sit, quod congruo eius merito non responderit, vt causæ morali: Contra quàm accidit in iis dispositionibus quæ adiunguntur operi operato. Præter gratiam enim quæ illis vt operibus sanctis respondet, confertur mensura certa gratiæ vltra omne meritum. V. G. cum vir justus communicat, aut homo jam contritus baptizatur, sunt ibi duæ portiones gratiæ, quarum vna operi operato, altera operi operantis respondet. Quamuis autem gratia quæ rependitur operi sancto, quo persona se disponit ad fructum operis operati percipiendum, correspondeat operi; tamen gratia quæ subiecto sic disposito datur ex opere operato, non respondet operi vt causæ morali; sed tantùm vt conditioni & aptationi subiecti. Itaque cum multò honorificentius sit puræ creaturæ, recipere gratiam sanctificantem titulo meriti, quàm ex mera Dei largitate: Deipara autem potuerit omne augmentum gratiæ mereri condignè, Deo illam sollicitante ad causandam in se moraliter per actus meritorios talem gratiam; quorsum fingemus eam gratiam obtigisse illi absque merito, & purè ex Dei liberalitate, ad modum operis operati? Nec vbertas gratiæ collata in aliquo euentu, V. G. in puncto Incarnationis, debet tenere nos, quasi oportuerit tam copiosam gratiam, excedere meritum. Facilè enim fuit Deo, excitare Virginem ad actus pretiosissimos, quibus juncta interiore sanctitate, quæ meritum valdè præmouet, augmentum illud gratiæ rependeretur, vt justa merces. Quare non videtur asserendum, quod extra sacramenta collatum sit Virgini aliquid gratiæ ex opere operato. Vt certum autem pono, nullum tale crementum gratiæ accidisse Virgini, in sua assumptione mortem subsecuta: contra quam sensit Mayro. in 3. d. 3. q. 1. art. 9. illud statuens vnum è quatuor temporibus auctæ eo modo in B. Virgine gratiæ.

Furfur Doctrinæ, de Sacramentali B. Virginis Confessione & Confessario.

16. EST in hoc puncto planè anilis heteroclisis, quam tamen memini magno ardore, à quodam pileo tenus Theologiæ Magistro, propugnatam propter honorem ordinis, cum aliquos è suis id asserentes audisset. Itaque Magnus Albertus super *Missus est* c. 69. 70. & 74. & ex eo Syluester in Rosa aurea Tract. tertio *q.* 53. *impertinenti*, affirmant B. Virginem suscepisse sacramentum pœnitentiæ; & per illud auxisse gratiam, disertè notant. Eius tamen confessionem aiunt non fuisse peccatorum, sed beneficiorum Dei, & suæ incongruitatis ad magnitudinem eorum. Dicebat (ait Carthus. l. 3. de laud. Deip. art. 28.) se beneficiis Dei non esse plenariè gratam, nec condignas grates rependere posse Deo, nec Deum vt dignus extat diligere. Addit Syluester, credere se cum habitus voluntatis nostræ nos lateant, B. Virginem præ

humilitate sua, nesciisse se adeò esse Deo gratam, vt prorsus careret venialibus. Itaque confessam esse de eis sub conditione; puta dicendo, *si in tali opere, vel tali, deliquissem per incautelam, vel negligentiam, vel alio modo, dico meam culpam.* Concludit denique Syluester ex Alberto, S. Ioannem Euangelistam, eo autem absente, (vt addit Cartusianus l. 3. de Deip. art. 28.) S. Iacobum Hierosolimitanum Episcopum, fuisse confessarium proprium Virgini deputatum. A quo autem deputatus fuerit, prætermiserunt hi D. D. In calce denique admonet Syluester, juxta Albertum, hæc idcirco scriptis non esse consignata, vt discamus scrutari abdita, & suspirare ad regionem plenæ veritatis, quæ cœlum est. Sed præsertim idcirco prouidisse Spiritum sanctum, vt scriptores Canonici ista tacerent, quia necessarium non fuit hæc scribere, cum debeant cuiuis esse per se nota: quandoquidem est per se perspicuum, omnes bonos actus quos fideles exercent, illustrissimè vsurpatos esse à B. Virgine. At confessionem proprio sacerdoti factam, esse actum bonum & optimum, nemo diffitetur Catholicus.

17. Versans hanc ipsam dubitationem Pelbartus l. 7. Stellarij p. 1. art. 2. c. 3. ferè per omnia subscribit Alberto, nisi quod vltra externam confessionem, quæ erat de insufficientia meritorum ad bona concessa, tribuit etiam B. Virgini actum primum sacramenti pœnitentiæ, quem ait fuisse detestationem peccati qualem exprimunt hæc verba, *nolo peccare*; itémque actum vltimum, siue satisfactionem, quem ait fuisse exercitium operum supererogationis. Confessarium autem negat fuisse S. Petrum, (quod tamen sub dubio admittit Cartusianus l. 3. de laudibus Deip. art. 28.) quia quamuis B. Virgo videatur debuisse confiteri summo Confessario, cuiusmodi erat S. Petrus; tamen sicut Archiepiscopus non debet ordinariè se immiscere de omnibus suo suffraganeo Episcopo commissis, juxta cap. *pastoralis* de offic. Iud. Ordin. ita par non fuit, B. Virginem quæ specialiter S. Ioanni commissa fuerat, alteri quantumuis superiori confiteri. Itaque concludit, post mortem Christi B. Virginem accepisse sacramenta à S. Ioanne, tanquam à proprio Confessario: Nominatim verò sub mortem, B. Virginem esse confessam, & per huius sacramenti susceptionem disposuisse se ad mortem, tradit idem autor l. 10. p. 1. art. 1.

Hæc esse explodenda si monuero, rem præstitero non necessariam; cum per se liqueat, & materiam remotam, & proximam sacramenti pœnitentiæ quæ B. Virgini assignatur, esse prorsus alienam à confectione sacramenti pœnitentiæ, quod occupatur circa peccata, & confert eorum absolutionem; quorum nihil locum habet circa contestationem externam qua B. Virgo potuit exprimere suam insufficientiam, ad condignè promerenda tam insignia Dei dona quibus exornabatur. Ignorantiam verò affingere Deiparæ, vt posset confiteri: vel dicere eam confessam esse tantùm conditionatè, delirum est: cum rusticos quoque ita confitentes, *si tale quid feci, confiteor*, extra euentum legitimi dubij, dedoceamus errorem. Et est quidem confessio sacramentum pœnitentiæ partialiter constituens, actus valdè bonus, sed peccatori: non item Deiparæ, quæ illam vsurpare nequiuisset absque falsitate aut mendacio.

Quare silentium omnium Canonicorum scriptorum de confessionibus sacramentalibus B. Virginis, non est referendum ad euidentiam rei, ob bonitatem illius operis: sed referendum est ad prætermissionem huius sacramenti per Deiparam, quippe semper nitentissimam, & nulla peccati labe vnquam maculatam; quod ipsi erat perspectissimum, tametsi humillima. Nec enim vera & solida humilitas, onerat se falsis culpis. Nugas de B. Ioanne post Christi mortem Deiparæ Confessario, quasi Christus superstes id muneris circa matrem obiret; itemque de præparatione Virginis ad mortem per susceptionem sacramenti pœnitentiæ; mitto persequi ne abuti tempore & lectoris otio videar. Quare extra dubium esto, B. Virginis pietatem, non debere commendari siue in vita, siue sub mortem, à frequentatione sacramenti pœnitentiæ: idque circa Virginem celebrare, perinde esse ac afficto ingenti probro, honoratum quempiam velle.

Actus quidam & habitus Pœnitentiæ in Deipara, etiamsi non Sacramentum.

18. NEque tamen ex eo quod negauerim fuisse à Deipara vsurpatum sacramentum pœnitentiæ, inferendum est B. Virginem æquè fuisse incapacem, vel actus vel habitus pœnitentiæ. Id quippe malè inferretur. Nam sacramenti pœnitentiæ omnino incapax est B. Virgo; quia materia huius sacramenti, sunt propria peccata, de quibus fertur à Sacerdote Dei vicario judicium. At virtus pœnitentiæ latiùs funditur. Potest enim quis dolere de peccato, non tantùm de proprio, quod reipsa admiserit; sed etiam de alieno: vel de proprio, si contingeret in illud labi. Vnde quamuis sit extra dubium, pœnitentiam quæ connotet actum malum proprium, non potuisse in Christum cadere qui peccatum non fecit nec facere potuit; qua ratione S. Thomas in 4. d. 14. q. 1. art. 3. q. 3. & alij quos addensat Ragusa 3. p. disp. 68. negant Christo pœnitentiam, meritóque subscribunt Valent. q. 2. de pœnit. p. 3. Vasq. 3. p. q. 85. art. 4. dub. 2. & passim cœteri: Tamen si non agatur de retractatione aut detestatione culpæ propriæ, sed vniuersaliùs de peccati detestatione quia est contra jus diuinum; déque sollicita cura adducendi alienam voluntatem vt ex eo motiuo auersetur peccatum; ac denique si agatur de voluntate satisfaciendi Deo, pro tali peccato alieno, ex motiuo reparandi jus Dei læsum: sic pœnitentia Christo tribuitur, non modò habitualis, vt inutiliter distinguit Ægidius Coninc. disp. 1. de pœnit. num. 19. sed etiam actualis, vt rectè affirmant Argentina in 4. d. 14. q. 1. ac Suares t. 1. 3. p. d. 4. s. 5. & t. 4. d. 7. s. 1. n. 11. & passim recentiores.

19. Quod si sub ea ratione conceditur Christo actus & habitus pœnitentiæ, multo magis idem de B. Virgine dicere par est: quia B. Virgo cum sit pura creatura, fuit peccabilis; vnde non erat adeò elongata à peccato, ac Christus, qui suapte natura erat prorsus impeccabilis. Ideóque cùm actus ille, *si peccarem, detestarer peccatum,* negandus sit Christo; quippe qui in eo otiosus fuisset,

potuit tamen à B.Virgine elici,ob connaturalem peccabilitatem,quam auxilia gratiæ quibus vbertim iuuabatur non præpediebant. Itaque meritò & actum & habitum pœnitentiæ ab ea non esse remouendum, tradunt Suares t. 4. in 3. p. d. 7. s. 1. n. 10. Mendoça l. 2. florum sacr. problem. 3. Henriq. l. 4. c. 25. Benzonius in Psal. 86. c. 40. traditione 26. Nec reuera refragantur Maior in 4. d. 14. q. 2. & alij, qui negant B. Virgini pœnitentiam: quia loquuntur in eo sensu in quo negauimus Christo pœnitentiam; nimirum si sermo sit de pœnitentia, pro detestatione aut retractatione peccati proprij. Sic enim B. Virgo non elicuit actum pœnitentiæ: sicut neque suscepit pœnitentiæ sacramentum, de cuius substantia est, actus ille retractationis peccati proprij.

20. Maneat ergo fixum & ratum, B. Virginem, tametsi capacem alicuius actus, atque adeò etiam habitus virtutis pœnitentiæ, tamen suscepisse nec suscipere potuisse sacramentum pœnitentiæ; cum non posset elicere actum ad huius sacramenti confectionem essentialiter requisitum. Quod autem Cartusianus l. 3. de laud. Deip. art. 28. ait, Deiparam specie tenus confessam esse ad ædificationem fidelium; (iuxta ea quæ de Baptismo suscepto præmiserat art. 27. ad quem se refert;) admitti non potest. Neque enim Deipara operabatur opera bona in speciem; Idest non fingebat se benè operari, vt alios ædificaret. Itaque sicut non potuit actum sacramentali confessioni essentialem elicere reipsa; ita neque ementita est confessionem sacramentalem. Actus autem pœnitentiæ quem absque figmento elicere potuit, vt admisimus, non poterat vsui esse ad sacramentalem confessionem formandam.

PVNCTVM V.

CREMENTVM GRATIÆ VIRGINIS EX opere operantis vniuersè.

1. ALTER hic modus augendi gratiam Deiparæ, indubitatus haberi debet quoad an est. Nihil quippe defuit B. Virgini quominus opera eius ex gratiæ auxilio elicita, fructificarent gratiam, & augerent præiacentem. Et quia iuxta veram sententiam, merces operarij non differtur apud Deum vsque mane, quod attinet ad dona gratiæ quorum viator est capax, sed statim rependitur: propterea hoc augmentum factum est statim atque actio illius meritoria fuit exercita. His itaque generatim constitutis quæ omnibus iustis sunt communia, discutiendum specialiter est, circa

hoc Deiparæ augmentum, per quæ opera Virginis fieret, & quàm continuè, atque adeò an toto vitæ tempore, ac denique quantum esset pro vnoquoque singulari actu. Nam etiam quoad hoc postremum, est aliquid B. Virgini peculiare, nec commune cum justis omnibus, de multorum saltem sententia.

Omnibus B. Virginis humanis operibus, aucta gratia.

2. OPera quibus Virgo sibi promeruit augmentum gratiæ, fuerunt omnia eius opera humana, (vt loquuntur :) idest quæ non modò sunt hominis, quod habet etiam nutritio, & omnes actiones naturales ab homine prodeuntes absque rationis & voluntatis mandato, sed etiam sunt fœtus arbitrij, quia pendent ex ratione & voluntate. Cum enim actionum humanarum nulla sit indifferens, juxta probabiliorem sententiam ; in Virgine autem nulla fuerit nisi moraliter bona; (malitia quippe, vt infra dicam non habuit in ea locum ;) Restat vt omnia opera Deiparæ deliberata & arbitraria, etiam quæ ex obiecto intrinseco non erant supernaturalia, fuerint moraliter bona, & apta quæ per imperium charitatis aliarumuè supernaturalium virtutum, euherentur ad promerendam gratiam auctiorem. Estque plus quàm verisimile, B. Virginem actus suos ex obiecto indifferentes, non quacunque honestatione questiuisse, sed supernaturali & conciliatiua nouæ gratiæ. Id quod multo apertius præstabant, opera ex obiecto supernaturalia ; quæ absque honestatione extrinseca, tendunt in finem supernaturalem ; & in homine justo, sunt meritoria augmenti gratiæ.

Interrogari verò potest, quàm multa fuerint ea opera humana in Deipara, quibus vel ex obiecto supernaturali, vel ex imperio extrinseco, augmentum gratiæ rependeretur. Ad hanc interrogationem, responderi potest verbis Nicolai Monachi S. Albani, ad Petrum Cellensem. Est nona inter Epistolas Petri Cellensis lib. 9. [Sensit Maria sine peccato, pœnam peccati. More quippe nostro, esuriuit, sitiuit, friguit, & multis tribulationibus decocta, nostris calamitatibus subiacuit, & ex talium in Christo patientia, multimoda meritorum prærogatiua effloruit, absque iis quibus intrinsecùs quotidie proficiebat, noua videlicet virginitatis dilectione ; singulari Dei contemplatione, incomparabili proximi charitate, tota virtutum omnium pulchritudine, nulla maculæ vel leuissimæ turpitudine. Nam cum meritorum nostrorum summa consistat in patiendo pro Christo, & in diligendo Christum, Deum videlicet & proximum nostrum ; in his duobus exercitata est ad plenum agonista nostra ante aduentum Verbi in vterum eius, vt nec ei deesset, vel cum carne vel cum hoste certatio, nec peccatissimi animi contemplatio. Proinde dispendium merendi non sustinuit quæ tot tentationibus exposita, gratia qua ante obumbrationem plena, & Dominus cum ea fuit, omnes debellauit, & omnes superauit. Dispendium inquam merendi non sustinuit, quæ in dies operatione proficiens pariter & amore, optimam Mariæ partem adimpleuit, & Matthæ sollicitudinem, per ætatis teneritudinem non exclusit.] Hæc ab eo Autore

generatim de meritoriis Deiparæ operibus dicta, optimè habent.

3. Generaliùs tamen quæri adhuc potest, an prorsus omnia Deiparæ opera, fuerint meritoria. Communissima,& admodùm verisimilis,(certè valdè pia,) sententia tradit, omnes planè B. Virginis actus, aptos à ratione & voluntate pendere, fuisse deliberatos & bonos ad prædictum modum,ac proinde auxisse gratiam. Cum enim haberet actuum suorum perfectum dominium, & per species infusas à phantasiæ cooperatione independentes, atque adeò corpus non fatigantes, intelligeret & perspiceret bonum, in quod voluntas Spiritus sancti copioso vnguine delibuta, suauissimè & promptissime tendere idonea erat; facilè intelligitur,nullum fuisse in B. Virgine actum, qui posset humanus esse, nec reuera esset humanus. Et ita meritò pronunciauit Albertus quem refert & sequitur S. Antoninus 4. p. tit. 15. c. 5. §. 6. subscribúntque Suares t. 2. 3.p.d. 18. s. 2. & Vasq. 3. p. d. 119. c. 6. Actum verò humanum, quantumcunque ex obiecto esset naturalis, nihil facilius quàm à Virgine perfundi supernaturali honestate: præsertim si verum est quod existimat Salazarius in c. 31. Prouerb. num. 137. cum Vasque ea disp. 119. cap. vltimo: Nempe Virginis voluntatem, semper & indeficienter diuini amoris perfecti igne arsisse. Quod quid accommodatius, ad omnes planè Virginis actiones moralitate conuestibiles, supernaturali decore cohonestandas.? Fauet certè cum illud B. Bernardi serm. 1. de assumpt. quod S. Bonau. in speculo lect. 14. tanquam D. Augustini allegat. [Quis dubitet in affectum charitatis transisse Mariæ viscera, in quibus ipsa quæ ex Deo est charitas, nouem mensibus corporaliter requieuit.] Tum illud quoque S. Hildefonsi serm. 1. de Assumpt. [Mariam velut ignis ferrum, Spiritus sanctus totum decoxit, incanduit, & ignjuit: ita vt in ea Spiritus sancti tantùm flamma videatur, nec sentiatur nisi tantùm ignis amoris Dei.] Vt vt verò sit de ea perenni profusione amoris actualis super omnia in Deum, aut ea actio, aut alia quæpiam supernaturalis ex cuius directione Virgo operaretur, (& semper sic operabatur, ne sine causa feriaretur, & veluti otiosè ageret per ordinem ad finem vltimum supernaturalem,) facilè poterat actum Virginis philosophica tantùm bonitate splendétem afficere honestate supernaturali, & efficere meritorium augmenti gratiæ. Sicque à Virgine reipsa factum, habet *Albertus*, quem descripsit Cartusianus l. 2. de laud. Deip. artic. 22.

Meritum Virginis & gratiæ crementum, in vigilia continuum, nec in somno intermissum.

4. EX dictis erui potest resolutio alterius dubij: primùm quoad vigiliam. Petebatur enim, an Deipara congruè ac sine intermissione operaretur meritoriè, & gratiam augeret. Cum ergo in vigilia, sit moraliter impossibile planè feriari intellectum & voluntatem; Deipara autem haberet omnium operationum inde manantium dominium; omnis denique talis actus Deiparæ, esset honestus & sanctus; sequitur apertè B. Virginem per vigiliam sine interruptione

interruptione meruisse, & auxisse gratiam suam. Nam omni actui supernaturaliter bono personæ justæ, implantatur meritum, cui adiungitur gratiæ augmentum. Ex quo conjicere licet multitudinem sanctorum actuum quibus B. Virgo merebatur, & gratiam cumulabat. Erat enim somni parcissimi, cum ob sobrietatem cui subiuncta est somni exiguitas: vt propterea Clem. Alexand. 2. Pædag. c. 9. commendaret victus abstinentiam ne somnus læderet: Tum ob declinatam lecti mollitudinem, aliáque somni prolixioris illectamenta. Nam quod ibidem de Iacobo Patriarcha aiebat Clemens, lapideo vsum puluino, dignum fuisse habitum qui diuina contueretur; multo justiùs locum habuit in B. Virgine, sanctissimo corpori suo per tractationem minimè mollem, longas somni moras præcidente.

5. Quoad alteram verò eiusdem dubij partem, seu an Virgo opera meritoria gratiam augentia elicuerit continuè, non modò in vigilia vt diximus, sed etiam in somno; ita vt totus contextus vitæ B. Virginis esset perpetuis, & nunquam interruptis meritis fœcundus controuersia est inter D.D. Nam aliqui existimant, per somnum, rationis plenæ vsum ac libertatem defuisse Virgini: quo constituto clarum est, meritum & gratiæ cumulationem cessasse in somno. Ita Maior in c. 1. Matth. dub. 8. Gerso tract. 5. super *Magnificat*, & To. 1. tract. de susceptione humanitatis Christi, veritate 10. ait esse penitùs temerarium, tribuere Virgini libertatem & meritum in somno. Idem habetur ex Abulensi in c. 1. Matth. q. 55. & ex Iacobo de Valentia in Cant. Deip. ad vers. 4. dignitate 3.

Probatior tamen sententia fert, B. Virginem etiam in somno vsam esse ratione plena & libertate; atque adeò potuisse tunc mereri & augere gratiam. Ita ex variis Suares t. 2. 3. p. d. 18. s. 2. Spinellus in Throno Dei c. 11. num. 30. Poza l. 3. tract. 14. cap. 2. Hunc desero quatenus refert in solam Dei voluntatem, vt quisquis dormit careat libertate. Putat enim nullum esse nexum somni, & ligationis internorum sensuum, quorum expeditio intellectioni libertatem dirigenti est necessaria. Ex quo fundamento infert, diuinam liberalitatem quæ circa Virginem nunquam aruit, noluisse eam communi omnibus nunc mortalibus incommodo, præclusæ in somno libertatis inuoluere: sed indulsisse, vt liberè ageret etiam in somno, ob expeditum tunc plenæ rationis vsum: quod æquè in statu innocentiæ fuisse concedendum, visum est nonnullis. Nolo huic principio inniti, quia etiamsi falsum non esset, quod nulla sit necessaria connexio vsus rationis ac libertatis, cum vigilia; (omnino enim videtur necessarium eam connexionem admittere, agendo de vsu rationis naturaliter operantis, per species haustas à sensibus:) tamen habemus quomodò absque difficultate expediamus modum præsentem quoad Deiparam. Habuit quippe fidem, etiam quoad species infusam, vt supra vidimus. Vsus autem talium specierum, est independens à conuersione ad phantasmata; ac proinde etiam in somno haberi potest plenus & omnino expeditus. Cum pleno autem rationis vsu, jungitur libertas; sicut cum libertate supernaturaliter negotiante, nectitur meritum. Idem autem discursus qui proximè confecit, Virginem in

vigilia semper esse operatam supernaturaliter, æquè conficit idem illi in somno accidisse: cum per tempus somni æquè potiretur libertate. Vt valeret plane in Virgine illud Cant. 5. eidem aptatum à Ruperto l. 5. in Cant. *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Itémque illud Ierem. 1. quod Virgini æquè aptat S. Bernardinus serm. 4. de Deip. art. 1. c. 2. *Virgam vigilantem ego video*. Itaque verisimillimum duco, sententiam de perpetuo ac ne per somnum quidem interrupto, Deiparæ merito.

Quantitas meriti, & crementi gratiæ, per Virginis opera.

6. Restat quantitas meriti, atque adeò augmenti gratiæ, causabilis per vnumquemque Virginis actum. Hoc enim aliqui, tametsi in aliis justis fatentur alio modulo esse metiendum, tamen in Virgine admetiuntur intensioni actus, & habitus præexistentis; saltem si sermo sit de perfecto amore charitatis, quem vidimus jugem ac perpetuum fuisse in Deipara, juxta piam aliquorum sententiam. Imo Victoria relect. de Augm. Charit. num. 4. & Valent. 2. 2. disp. 3. q. 2. p. 3. assert. 8. admittunt in quouis justo, omnes actus intendentes habitum præiacentem, augere ad æqualitatem intensionis actui internæ. Hæc autem cum habitus præiacens non exercetur segniter, sed strenuè ac nauiter, vt haud dubiè fiebat à B. Virgine, est æqualis intensioni habitus præiacentis, qui secundùm se totum exeritur, nec vlla ex parte iacet obstipus & iners. Igitur vel perfectissimi actus B. Virginis, vel etiam omnes, quoad vim meritoriam vt gratiæ auctricem, adæquabantur graduali suæ perfectioni entitatiuæ, & habitus anterioris.

Hæc doctrina, nec circa alios justos, nec circa B. Virginem admittenda videtur, vel illo solo nomine, quod juxta eam, actus quilibet subsequens deberet esse intensior quouis actu præcedente: quia actus quilibet subsequens, exerceretur ex tota efficacia habitus præiacentis, eique intensissime par esset: ac proinde accessu augmenti facti ad præiacentem habitum, subsequens actus ex habitu sic adaucto prodiens ad eius æqualitatem, esset intensior quouis actu anteriore: quod constat dicendum esse absque fundamento, & veresimilitudine. Itaque statuendum est, quamuis actus sit meritorius secundùm totam suam latitudinem, & nullus in eo sit intensionis gradus, qui non mereatur; (In quolibet enim gradu exercetur libertas, & viget bonitas ac perfectio per operantem adamata,) tamen non idcirco actum mereri æqualitatem suæ latitudinis, vt Suares fusiùs prosequitur Relect. de reuiuisc. merito. disp. 2. s. 2. n. 44. & 47. contra quàm statuerat t. 2. 3. p. d. 18. s. 4. agens de merito actuum perfectissimorum B. Virginis. Id quod etiam malè statuit Val. 3. p. d. 2. q. 1. p. 5. *sub finem*.

7. Quam ergo mensuram assignabimus augmenti gratiæ, & virtutis meritoriæ, in quolibet singulari actu Deiparæ? Omnino fatendum est, eam esse nobis incompertam, etiam generatim loquendo, & à Dei solius taxatione, æquè ac in aliis justis, sortiri modulum suum. Admittendum tamen est, eam

pro variis actibus variam, & pro quibusuis posterioribus, (si cætera essent paria,) pleniorem fuisse. Nam quo actus erant ex obiecto suo perfectiores, vel quo ex circumstantiis crescebant dignitate ac pretio, eò erant feraciores augmenti gratiæ maioris. Per se enim euidens est, ex iisdem conditionibus ex quibus opus redditur simpliciter meritorium; ex iisdem inquam, si crescant & perfectiùs concurrant, opus magis meritorium euadere; quia ex iisdem principiis perfectiùs applicatis, necesse est vt existat perfectior effectus, si non desit maioris illius perfectionis capacitas, vt hìc sanè non deest. Atque ita ex opere quod in primo instanti est meritorium, quo magis durat & quo honestiùs liberiùs & altioris speciei supernaturalis est; eo maius meritum progenerat. Vnde quia cognitio B. Virginis semper fiebat illustrior, & fertur operandi vegetior; contra quàm nobis accidit, qui quo plus progredimur, eo magis lassati de contentione remittimus; mirum non est si B. Virgo semper operabatur magis meritoriè, ob meliorem applicationem principiorum meriti. Accedit quod quilibet posterior supernaturalis actus Virginis, prodibat à principio digniore & sanctiore ob gratiam anteriore actu cumulatam. Iure ergo aiebam, mensuram augmenti, cæteris paribus, fuisse pleniorem pro quolibet posteriore actu. Nam tametsi verum est, non fuisse opus vt semper Virgo eliceret actus posteriores ex tota efficacia præiacentis habitus; tamen verum est, dignitatem maiorem quæ posteà operanti ex anteriore gratia cumulata semper & aucta accessit, maius meritum in posteriori opere procreasse, penes eam circumstantiam, *quis*; vt rectè de maiore merito actus personæ amicioris, & eminentioris sanctitate, statuunt. Val. 1. 2. d. 8. q. 6. p. 3. *sub finem*, Albertinus coroll. 18. ex 1. princ. compl. n. 50. Suares t. 1. 3. p. d 4. s. 4. & l. 12. de grat. c. 22. n. 2. ac vt videtur D. Thomas in 2. d. 29. q. 1. art. 4. Certè in satisfactione & impetratione idem cernitur. Nam quo persona satisfaciens est dignior & gratior, eo plenior est satisfactio, vt in Christo patuit. Et quo persona intercedens & orans, dignior est, eo faciliùs exorat. Quidni ergo idem contingat in merito? Neque idcirco Deus iudicat secundùm personas, & non secundùm opera, vt objiciunt Angestus c. 8. Moral. t. 4. & Vasq. 3. p. d. 6. n. 22. & 23. sed verè judicat secundùm opera, quæ ex vna sua circumstantia sunt pretiosiora. Quare ratum esto, augmentum gratiæ, & Virginis meritum; tum penes varia opera fuisse varium, tum penes circumstantiam, *quis*, in quibusuis posterioribus actibus meritoriis fuisse auctius.

Furfur doctrinæ. Hyperbole circa comparationem cujusuis pij actus Virginis, cum actibus aliorum omnium.

8. Circa hoc punctum reperti sunt qui decora Virginis per comparationes insolitas atque monstrosas ita exaggerarent, vt opus quodcunque à Virgine aliquando elicitum, dicerent excessisse dignitate omnium planè actuum, quos omnes simul comprehensores, tam Angeli, quàm homines eliciunt. Et

quia dignitas ac valor operis in viatoribus correspondet eius merito, inde efficitur fatendum esse, meritum cuiusuis operis B. Virginis tantum fuisse, quantum foret meritum omnium operum bonorum quæ cœlites omnes eliciunt, si per eorum statum posset meritum in illis habere locum. Ac ne parciores auxeseon circa Deiparam fuisse videantur, addunt; minimum quemlibet & quantumuis minutum actum supernaturalem amoris à Deipara ante mortem elicitum, æquasse, aut etiam excessisse dignitate ac merito, omnium omnino hominum simul sumptorum vniuersas actiones meritorias, congestas in vnum cumulum: Ita quidam filius cuiusdam, dissertat. 8. & 16. super litanias B. Virginis.

9. Verùm non eget Deipara his exaggerationibus prodigiosis, quæ non videntur aliunde profectæ, quàm ex eo quod aliqui de excessu habitus gratiæ B. Virginis in fine vitæ, ita sint philosophati; vt dixerint, eum æquasse, vel etiam esse supergressum, vniuersas diuitias reliquorum beatorum & hominum, quorumuis justorum, simul sumptorum. Itémque ex eo quod de operibus Christi domini meritoriis, ratum sit, vnumquodque eorum singulatim sumptum, superasse dignitate ac merito omnes quarumcunque purarum creaturarum actus congestos in vnum fascem. Attamen quæ dicuntur de consummato habitu gratiæ B. Virginis, collato ad habitus reliquorum electorum inferiorum, perperam accommodantur ad actum vnum B. Virginis, comparatum cum actibus omnium aliorum simul sumptis. Nulla quippe est proportio inter duo ista: quia vnus quispiam actus B. Virginis, non coalescit ex perfectionibus omnium aliorum B. Virginis actuum: sicut habitus gratiæ eius, sub mortem coalescebat ex prima Virginis gratia, & omnibus ad eam postea factis accessionibus. Multo minùs cernitur proportio inter actum vnum Christi, comparatum cum omnibus purarum creaturarum actibus; & actum Virginis, quantumuis pretiosum, cum omnibus purarum creaturarum piis operationibus collatum. Christus enim, Deus homo erat: vnde quilibet eius actus quantumuis minutus, exornabatur vi meritoria infinita, cui quantumcunque addensati actus purarum creaturarum, erant improportionabiliter, & inadæquabiliter impares: At B. Virgo erat pura creatura, nec refundebat in actus quoscunque suos nisi finitum & limitatum valorem. Audiendus porrò nullatenus est idem dissertator qui vt B. Virginis eminentiam noua aliqua verborum profusione celebraret, B. Virginem aliquando vocauit, *Deum creatum, Deum mediterraneum, Deum dimidiatum, quasi quartam personam diuinam, quasi diuinam ab increata Triadem, non secus habitam quàm si diuina persona esset.* Euge Euge & vbi S. Epiphanij contra Collyridianos flagellum? Deus noster, Deus vnus est, & non est alius Deus præter vnum.

Item alia hyperbola, circa meritum assensus, & lactationis.

10. TEmperatiores, sed tamen nec necessariæ, nec satis fundatæ sunt illæ in Virginis honorem comparationes, quibus aliqui alij D D. certos

B. Virginis actus meritorios, supra modum extulerunt quoad vim merendi & augendi gratiam. Occurrunt inter illos actus duo, nempe 1. assensus quem Virgo præstitit Gabrieli, exquirenti imo captanti ex parte Dei assensum Virginis, ad Dei in ea corporationem. 2. Christi infantis lactatio. Assensum prædictum, Morales l. 2. in Matth. tract. 7. *in fine*, & tract. 8. n. 20. ac Castro in Histor. Deip. c. 5. n. 15. *sub finem*, anteponit quoad vim meritoriam, omnibus planè actibus meritoriis collectiuè sumptis, quos omnes simul Angeli & homines aliquando elicient. Sed quamuis liquidò constet, B. Virginem in ea fide & obedientia plurimùm meruisse, iuréque Patres exemplum S. Elizabethæ secuti, fidem illam viuam Virginis celebrent, nominatim S. Ambros. l. 2. in Lucam, S. Bern. hom. 4. super *missus est*, Laur. Iustin. ser. de Annunc. sed splendidissimè S. Ansel. l. de excell. Virg. c. 3. expendens arduissimum mysterium quod ei objiciebatur credendum, Dei scilicet corporationem: locum infra dabo. Tamen quis potest nisi voluntariè diuinando, statuere de mensura auxilij præuenientis, quo Deus B. Virginem ad illum assensum præuênit, vt concludat eam excessisse omnia cæterorum auxilia.

11. Lactationem item Christi infantis per B. Virginem, aliqui supra omnium martyrum merita celebrant. Ita Nouarinus in Vmbra Virg. n. 425. Quod si comparatio fiat cum vnoquoque martyre sigillatim, etiamsi ex parte Virginis, vna quæpiam lactandi actio, non totus protensæ ad annos aliquot, lactationis decursus spectetur; transeat. Poterit enim id videri verisimile, attenta magna charitate, ex qua Virgo opus illud tametsi minùs operosum exercebat; & repetitis frequentissimè amoris actibus, inter crebra basia, & dulces Infantis IESV, attactus. Eóque sensu accipi potest, quod Hailgrinus Cant. 7. ad illud *& vbera tua botris*, sic scripsit. [Vbera botris assimilata sunt, in quo mirabilis prærogatiua merendi monstratur in Virgine; quæ non minùs meruit fundendo lac de vberibus suis ad filij nutrimentum; quàm Martyres, qui per botros figurantur, meruerunt fundendo sanguinem suum in martyrio. Omnium enim operum merces, secundùm radicem charitatis pensatur. Descripsit verbatim eum Hailgrini locum, illaudato Hailgrino, Richardus à S. Laurentio lib. 5. de Deip. *pag.* 376. Nam vt ipse Hailgrinus Richardum tacitus expillasse dicatur, obstat temporum ratio. Hallucinatum enim esse qui Richardum scripsisse ante annos quadringentos pronunciauit, alij iam monuerunt, multò seriùs consignantes eius ætatem. Sed hoc obiter. Et Hailgrinus ergo, & Richardus, Virginis filium lactantis meritum, cum merito Martyrum sanguinem pro Christo fundentium componentes, ad summum voluerunt quod dixi. Ad summum inquam; Nam facilè accipi possent de merito quod implantari potest lactationi, sicut implantatur martyrio longè operosiori: etiamsi nulla meriti, tam diuersis quoad difficultatem actibus respondentis, instituatur comparatio. Sed esto; admittatur sanè comparatio meritorum, qualem proposuimus. Si autem contentio fiat lactationis Christi per Deiparam, cum omnibus Martyrum perpessionibus; dimittenda est ea comparatio tanquam voluntariæ diuinationi nixa, circa men-

suram auxilij quo Virgo & martyres præuenti sunt. Itaque fundatiori laudationi B. lactationis Christo à B. Virgine impensæ est insistendum, qualem supra proposuimus parte 1. puncto 8. & pulchrè etiam prosequitur Rupertus lib. 3. in Cant. in fine, ostendens odorem vnguentorum à Virginis vberibus in Christi lactatione defluentium, fuisse super omnia aromata, hoc est super omnia misericordiæ opera quibusuis Christi membris exhibita; & hanc fuisse eleemosinam, omnium coram Deo pretiosissimam, quippe ipsimet Deo erogatam; ex corde bono & optimo.

12. Et idem dico de simili comparatione quam nuper quidam adhibuit, vnum fusi ductum per Virginem, anteponens omnibus meritis aliorum sanctorum: eo quod ex maiori charitate ductus ille fusus in Virgine ex maiore charitate quàm mors martyris prodiret. At hoc vnde constat? Non enim si B. Virginis charitas habitualis maior erat (vt sanè erat) necesse est illam exertam & exprompcam fuisse secundum suam efficacitatem, quia quamuis totus habitus concurrat ad aliquem actum, nec signari possint in eo gradus qui concurrant seiuncti à non concurrentibus; tamen potest habitus tum assumi à potentia adæquatè & secundum totam vim coefficiendi quam habet. Sunt item alia in actibus principia meriti, ad quæ est attendendum, quæ liquet minus viguisse in ductu fusi per Virginem quam in mortis subitione per martyrem.

PVNCTVM VI.

SIGILLATIM DE EODEM CREMENTO gratiæ Virginis ex opere operantis; carptis selectarum eius virtutum floribus

1. SCITISSIME Chrysippus Presbiter orat. de Deip. *sub initium*, Virginem appellat *hortum Patris, & pratum totius fragrãtiæ Sancti Spiritus.* Subscribitque qui eodem modo loquitur, Autor homiliæ de assumpt. apud Hieronimum. Et vterque id asseruit de B. Virgine, multo sanè potiore iure, quàm Basilius Seleuciæ orat. 14. qui in Dauide, omnia virtutum prata, & flosculenta germina, consita dixit. Magis in particulari eundem Deipara hortum expressit his verbis Amedeus Lausan. hom. 7. [Mariæ præsentia gratam veris temperiem exhibebat, & quo faueus se verteret paradisus erat. *Emissiones tuæ*, ait sponsus, *paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus; Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomum cum vniuersis lignis Libani, Myrrha & Aloës cum omnibus primis*

vnguentis. Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. Habet quippe paradisus Gloriosæ Virginis, mala punica in varietate virtutum; fructus pomorum in perfectione operum. Habet & cyprum cum nardo, illam fertilem vuarum, hanc miri odoris herbam aromaticam, ob sobriam ebrietatem sensuum, & suaue fragrantem opinionem virtutum. His adduntur crocus lætitiæ, fistula expoliationis carnis. Cynnamomum suauitatis, cum vniuersis lignis Libani, per quæ virtutum vniuersitas figuratur. Myrrha quoque mortificationis, & aloes incorruptionis, cum omnibus primis vnguentis effusis in oratione, ab illo vnguento, quod consistens in capite, descendit in barbam, barbam Aaron, non illius veteris & significantis, sed noui, & significati.]

Flores horti Virginei, quatenus carpendi.

2. EX hoc amœnissimo horto, & Deiparæ virtutum prato, nonnullos selectiores flores legere, & veluti sertum fragrantissimum, non beatis modo spiritibus, sed ipsi etiam Spirituum Patri Deo, longè jucundissimum exhibere, consilium est, vt quando hoc augmentum gratiæ B. Virginis (de quo hactenus generatim est actum,) non aliter perficitur quàm exercitatione virtutum, nequaquam hiet hæc tractatio, si argumentum adeò & jucundum & vtile, intactum à nobis præteruolet. Disseruit de B. Virginis moralibus virtutibus, & piè & erudite S. Anselmus l. de quatuor virtutibus B. Mariæ. S. Bonauentura lect. 4. speculi, & lect. 15. & copiosè quoque ac benè Cartus. l. 3. de laud. Deip. ab articulo 9. Inter recentiores autem multa accommodatè ad praxim & imitationem de iisdem dixit Franc. Arrias justo de hac re opusculo, & non pauca etiam Spinellus in Throno Dei cap. 21. Ego quæ apud Patres in hanc rem selectiora occurrent, breuiter & non anxiè deflorabo.

Porrò non ita hos virtutum flores inter tractandum augmentum gratiæ Virginis ex opere operantis propono, quasi B. Virgo ad primam justificationem se disposuerit, eámque congruè meruerit, aliter quàm per hos actus. Id enim supra constitutum est, Virginem ad primam sanctitatem se disposuisse per eximios virtutum actus, ad quos diuinitùs excitata est : nec vllus illorum variorum actuum ad varias virtutes pertinentium, per quos B. Virgo multo meliùs quàm Angeli se disposuit ad primam gratiam, fuit meritorius dependenter ab altero in eo primo momento ; sed omnes coniunctim disposuerunt Deiparam ad primum illum gratiæ modulum quem in conceptione accepit. Tamen meritò hos actus potiùs expendimus hoc loco, tractando augmentum, non autem superiùs tractando primam gratiam, quia an B. Virgo se disposuerit per suos actus ad primam sanctitatem, non est planè certum : sicut extra dubium est, quod per actus virtutum gratiam suam auxerit. Deinde nec omnes virtutum actus ad dispositionem illam primam interuenerunt : nec eorum in gratiam influxus, fuit diuturnus. Quæ omnia secus habent in reliquo toto tempore vitæ Deiparæ, in quo actus virtutum subseruierunt gratiæ augendæ, non autem, primò inserendæ.

3. Iure itaque actus virtutum Virginis libandos hoc loco suscipimus, initium facturi à Theologicis, nempe fidei, spei, & charitatis: tum progressuri ad morales; Iustitiæ, cui religio subnectitur, fortitudinis, ac Temperantiæ; in qua præsertim micant, humilitas & eius collactanea Virginitas, vt cum Blesensi supra loquebar. Prudentiam inter morales, (tametsi eam in Virgine præcelluisse monstrat Cartus. l. 2. de laud. Deip. artic. 21. & benè etiam Fulbertus serm. 1. de Nat. B. Virginis) missam facio hoc loco: non modò quia non est purè moralis, sed etiam quia hîc mihi videor posse ac debere solas virtutes morales infusas attendere, neglectis virtutibus purè acquisitis, quæ præ supernaturalibus & infusis ægrè habentur inter ornamenta animæ. Prudentia autem infusa, idem est quod fides practica. Quare in aliis virtutibus propositis hærebo, de quibus illud ex D. Bernardo supponendum est serm. 4. de Assumpt. [si attendamus, omnes, singulares prorsus inuentum iri, quæ videbantur esse communes.]

FIDES.

4. HÆc excellentissimè micuit in Deipara tempore Annunciationis Angelicæ. Paucos in eam Patres refero, S. Anselmus l. de excell. B. Virginis c. 5. cum Virgine colloquens. [O domina audis quæ feruntur ad rem omni sæculo inauditam, paues & miraris, nulla tamen incredulitate moueris: verùm indubitanter tenes apud te omnino impossibile fore non fieri, quod Angelus dixit futurum esse. Credidit ergo & certissimè intellexit, Deum tam bonum, tam pium, tam omnis misericordiæ visceribus plenum, vt ad terras de cœlesti sede descenderet, & homo factus per indebitam sibi mortem, genus humanum à perpetua vellet morte, qua tenebatur eripere. Respondens ergo nuntio, ait; *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* O fides Deo accepta! O humilitas grata! O obedientia omni sacrificio jocundiùs Deo oblata!] S. Bernardus serm. 2. de Natiu. Dom. [Felix mulier benedicta in mulieribus, in cuius castis visceribus, superueniente igne S. Spiritus, coctus est panis iste. Felix inquam mulier quæ in hæc tria sata immisit fidei suæ fermentum. Siquidem fide concepit, fide peperit, & vt ait Elizabeth, *beata quæ credidit, quoniam perfecta sunt in ea, quæ dicta sunt ei à Domino:* Nec miteris quod fide eius mediante, vnitum dixerim Verbum carni, quãdoquidem & carnem ipsam de eius carne suscepit. Sanè ne hoc quidem præsenti expositioni obuiare potest, quod de cœlestis regni dicitur similitudine. Neque enim indignum videtur, si cœlorum regnum fidei Mariæ comparatur, qua & reparatur.] Similia de fide B. Virginis, Verbum & humanitatem fermentante, lib. 5. de Consider. cap. 10. Apud eundem Autor Tractatus de Passione Domini sub imaginè vitis veræ c. 2. fidem B. Virginis valdè celebrat, ilhídque inter cœtera notat, quod B. Virgo cum aliis mulieribus ad vngendum defuncti Christi corpus non sit profecta, manasse ab eius fide perfecta.

5. S. Ambrosius l. 2. in Lucam ad illud *fiat mihi secundùm verbum tuum.* [Quàm citò etiam de impari conditione credidit Maria! (Quid enim tam impar,

impar, quàm Spiritus sanctus, & corpus? Quid tam inauditum, quàm virgo prægnans contra legem, contra consuetudinem, contra pudorem, cuius carior cura est virgini?) Zacharias autem non de impari conditione, sed de senili ætate non credit, nam conditio congruebat: Ex viro & fœmina solemnis est partus; nec incredibile debet videri, vbi natura concordat. Cùm enim ætas naturæ sit, non naturà ætatis, fit plerumque vt ætas impediat naturam: Non est tamen irrationabile, vt minor cedat causa maiori, & potior prærogatiua naturæ, vsum inferioris excludat ætatis. Huc accedit quod Abraham & Sara filium in senectute susceperant: & Ioseph filius senectutis est.] Hinc infert fidem virginis collatam cum infidelitate Zachariæ. Nullam autem fuisse oblæsionem fidei in ea cunctatione quam virgo adhibuit, sciscitans modum quo incolumi Virginitate Deo addicta, posset concipere ac parere filium, quamvis Zacharias in simili, specie tenus, sciscitandi modo, dubitauerit & fidem oblæserit, probat S. Ambrosius, ex illis Elizabethæ ad Deiparam verbis, *beata quæ credidisti.* [Vides (inquit) non dubitasse Mariam, sed credidisse, & ideò fructum fidei consecutam.] Non secus se gessisse in ea cunctatione B. Virginem quàm Abrahamum fidei patrem, nec dubitationis idcirco insimulatum quod centenarius de vxore vetula prolem suscepturus esset, admonitus, hæsisset tantisper; obseruauit D. Augustinus 16. Ciuit. c. 24. Nam & Abraham & B. Virgo, certi de re, sciscitabantur tantùm de modo. Extricant non dissimiliter modum hunc quo Virginis fides nonnihil impediri videbatur, Petrus Chrysologus serm. 142. & Bernardus homilia 4. super *Missus est* & communiter Interpretes in cap. 1. Lucæ.

Richardus à S. Laurentio l. 4. de Deip. [Fides Mariæ notatur Lucæ 1. vbi dicit ei Elizabeth, *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur, &c.* Cum enim paulo post dixisset Maria, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes,* ostendit & Angeli implendam promissionem, & suam se non transgressuram professionem. Quæ enim virginitatem vouerat, & pariturum se, docente Angelo, nouerat, mirabili fide & votum suum implendum credidit, & diuinæ ordinationi se non subduxit. Maxima autem magnanimitas fides fuit, quod in se posse fieri & credidit, & sperauit, quod nunquam auditum fuerat, nec in cœlo, nec in terra. Item Origenes; Per fidem Mariæ, erigitur jacentium genus, quod per mulieris temerariam credulitatem, fuerat ante deiectum. Item Beatus Matthæus in legenda sua. In conceptione filij Dei, fides Mariæ, vxor extitit Spiritus sancti. Item Maria credula verbis Angeli, fide concepit Saluatorem, & ideò per aurem dicitur concepisse. Vnde & dicit ei Elisabeth, Lucæ 1. *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur, &c.* In conceptione enim filij, *misit dilectus eius,* idest Deus Pater, *manum suam,* idest filium in eam, *per foramen* auris suæ. Cantic. 5. Magister Hugo de sancto Victore: Virgo credula Verbum concepit per Verbum, vt immaculatam conceptionem, generatio incorrupta sequeretur. Item fides Mariæ comparatur grano sinapis, quod est granum humile, feruens, & humorem capitis tollens: & fides Mariæ adiuncta est humilitati: vnde *Ecce ancilla Domini, fiat mihi, &c.* Feruens, per dilectio-

nem Spiritus sancti de quo concipiebat, & filij Dei, quem concipiebat. Humorem capitis tulit. Sicut enim caput initium est rei, sic conceptio animati, & hoc quando credidit Angelo dicenti, *Spiritus sanctus superueniet in te, &c.* Item si Abraham intantùm commendatur ab Apostolo ad Roman. 4. de eo, quod contra spem naturæ, in spem gratiæ credidit; scilicet quod senex posset de Sara sene & sterili filium generare; quantò magis commendanda est Maria, quæ primo verbo Angeli credidit, quod filium posset generare sine semine viri, & parere manens virgo, non solùm hominem, sed filium Dei.]

6. Pertinet planè ad hunc locum obedientia, quam in B. Virgine eximiè celebrat S. Augustinus (aut quisquis Autor) serm. 18. De Sanctis, hic præter cœtera. [Dixit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum.* O felix obedientia, ô insignis gratia, quæ dum fidem humiliter dedit, cœli in se opificem corporauit. Impleuit in ea Dominus quod dudum prædixerat; *Obedientiam* (inquit) *malo quàm sacrificium, & scientiam Dei, plusquàm holocausta.* Hæc fuit vera obedientia omnique sacrificij gratior; hæc voluntas cunctis hostiis acceptior; Hinc promeruit gloriam quam ipsa postmodùm hausit, *Ecce* (ait) *ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*] Hæc dico ad illam obedientiam esse referenda, quam juxta Apostolum præstamus, captiuantes per voluntatis liberum assensum, intellectum in obsequium fidei. Est quippe vera obedientia quam ibi homo præstat Deo reuelanti & mandanti vt assensum sibi reuelanti imperet. Consensus autem voluntatis quo post elicitum actum fidei, B. Virgo annuit, vt in ipsa & ex ipsa conciperetur Dei filius, non fuit illi in præcepto ac proinde non pertinuit ad obedientiam. Quæ causa est cur & D. Augustinus prædicto sermone ac perpulchrè sermone 17. de Tempore, & S. Bernardus homil. 4. super *Missus est*, demissè & supplicibus vocibus vrgeant B. Virginem ad præstandum consensum illum, supponentes attendendo præceptum positiuum cui soli nitetur obedientia, & seposito præcepto, veriùs obligatione charitatis erga genus humanum afflictissimum, (quæ obligatio longè alia fuit quàm obedientiæ) fuisse id illi planè liberum, nec à Deo imperatum. Quare obedientia quam in Deipara celebratam retulimus, spectat ad fidem eius. Idque satis insinuat Autor cum verbis illis jam ex eo recitatis; *O felix obedientia, quæ dum fidem humiliter dedit, &c.* Tum illis aliis superioribus inter contraponendam Euæ B. Virginem. [Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit. Illa percussit, ista sanauit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur, fides pro perfidia compensatur.] Nimirum Eua, infidelitate diuinorum dictorum laborauit, dementata à serpente; & eatenus quoque fuit Deo inobediens, imperanti fidem iis quæ & ipsi & Adamo reuelauerat, quam labem B. Mariæ fides absterssit. De excessu fidei B. Virginis, supra fidem Abrahami, Mosis & aliorum antiquorum, legendus Cartus. l. 3. de laud. Deip. art. 1.

SPES.

7. FVit B. Virgo mater sanctæ spei. Repulsa in petitione vini, non abiecit animum vt benè aduertit Cartus. l. 3. de laud. Deip. art. 3. quo toto de incentiuis & causis perfectissimæ spei in Virgine, plurima differit, considerans eius familiaritatem cum Deo, & pietatis ac bonitatis diuinæ notitiam luculentiorem, humilitatis item in Deum se abjicientis excellentiam, & similia spei argumenta quæ in Deipara præcelluere. Sed cum spes per totam vitam in Virgine se prodiderit, eam tamen resurgente & ascendente Christo, maximè effloruisse, meditatur S. Anselmus l. de 4. virtutibus B. Mariæ c. 8. [Iam verò (inquit) resurgentem & ascendentem, quàm lætis oculis Virgo fœlix intuita; quando tripudio beata mouebantur viscera; præsertim cum jam intelligeret in effectum prodire, quæ tanto parturiebantur tempore? Genus humanum ad salutem vocari per Apostolos videbat; cuius rei gratia, Dei filium de se incorporatum, & in cruce passum, ante intellexerat. Quapropter lætabatur quòd spei quam ante conceperat, quòdque salutare toti mundo fore ex voto Virginitatis suæ sperauerat, jam in rem veram transibat.]

Non poterit de perfectissima B. Viginis spe ambigere, qui eius fidem recogitauerit. Rectè enim dixit S. Maximus Centur. 2. ex variis cap. 74. spem esse *germen pulchrum fidei.* Similitérque Antiochus homil. 2. ait spem fidei roscida aspergine perfusam, fructificare pro fidei proportione. Itaque cum fides B. Virginis eximia omnino fuerit, vt ex Patrum oraculis monstrauimus, ambigere non licet, quin spes quoque eius fuerit præcellentissima. Inque liquidiorem perfectionis illius introspectionem, juuerit minus spei considerare; & quos sensus affectúsque homini inserat perspectum habere: Nam si sensus illis & effectus in Virgine deprehendantur, liquebit de spe eius, eximia & insigni, pro effectuum illorum nobilitate atque præstantia. [Spes (inquit S. Hilarius initio Fragmenti Historici) amœnitatem vitæ mundialis, & bona seculi quiescentis in iis quæ à Deo disposita confidit, exuperat, præsentium damna, futurorum Lucra, meritura, *&c.* Egregia virtutum Dei testis, fiducia expectationis suæ, præsentia quæque vt nulla & incerta despiciens, futura verò vt æterna & præsentia apprehendens.] At vbi par præsentium despicientia atque in B. Virgine? Vbi par conculcatio florulentæ amœnitatis huius seculi, cuius figura, seu superficies præterit, & quasi flos egreditur & conteritur? Cui plus viluit mundus, & quicquid in eo specie abblanditur, caducitati lenocinante pulchritudine? Ab ea accepit orbis terrarum diuidendi affectum temporalium ab affectu æternorum exemplar germinum, vt propterea Autor sermonis tertij super salue Regina apud Bernardum, dicat eam esse firmamentum diuidens aquas ab aquis. Fuit ergo spes eius omnino eximia, quæ sic eam à terrenis auulsit, & in Deo fixit.

8. Sensus suauissimos spei dilatæ, animam lenissimè affligentis, cogitare in Virgine possumus, prolongato eius incolatu, adhibita omnino pia Ruperti

meditatione, in illud ex Cant. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes, in meridie.* Et erat tamen spes illa, absque rubigine vt ita dicam, spei nostræ adnasci solita. Hoc quid sit, facilè intelligitur. [Cum præsto est quod amatur (ait S. Bernardus serm. 51. in Cant.) viget amor, languet cum abest. Quòd non est aliud quàm tædium quoddam impatientis desiderij; quo necesse est affici mentem vehementer amantis, absente quem amat, dum totus in expectatione, quantamlibet festinationem reputat tarditatem.] Hanc impatientiam, hoc tædium, à compositissima Virginis spe procul abfuisse, certum est. Sicut & timorem illum, qui expectatione suspensam animam, ob spei debilitatem angere plurimùm & suspensam habere solet, cum exclusione pacis & tranquillitatis internæ. Quos omnes defectus per Virginis eximiam spem fuisse oblegatos, S. Bernardus eodem serm. 51. egregiè monstrat. Descripta quippe timoris seruilis exclusione per charitatem perfectam, addit; generatim agens de quacunque Dei sponsa, quod in hanc primariam primariò cadat. [Vnde & certa spe concepta cum fiducia loquitur, *& dextera eius amplexabitur me.* Tu iam mecum videris an ita affectæ & assecutæ hunc tantæ suauitatis locum, illud quoque conueniat de Psalmo vsurpare, vt dicat etiam ipsa, *in pace idipsum dormiam & requiescam*; præsertim cum suppetat causa quæ sequitur, *quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Quod equidem tale est. Donec quis premitur à spiritu seruitutis, parùmque habet de spe, de timore plurimùm, non est ei pax, neque requies, fluctuante nimirum conscientia inter spem & timorem, maximéque quod à superexcellente timore abundantiùs crucietur. Nam timor pœnam habet, & ideo non est illi dicere, *in pace in idipsum dormiam & requiescam*, quando necdum se singulariter in spe constitutum dicere potest. Cæterùm si paulatim per incrementum gratiæ cœperit deficere timor, & proficere spes, cum demum ad hoc ventum fuerit, vt totis viribus exurgens charitas in adiutorium spei, foras mittat timorem, nonne huiusmodi anima singulariter in spe constituta videbitur, ac proinde etiam in pace in idipsum dormire iam & requiescere? *Si dormiatis* (inquit) *inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ* Quod propterea dictum puto, quoniam est locus inter timorem & securitatem, media videlicet spes, in qua mens & conscientia, molli nimirum supposito charitatis strato, suauissimè requiescit.] Huiusmodi itaque fuit spes Deiparæ, & in se exquisita & ab adnatis spei nostræ fœcibus detersa.

CHARITAS.

9. **HÆc virtutum forma, in Virgine enituit, supra quàm dicere aut cogitare possumus, tam erga Deum, quàm erga Christum; eiúsque primariæ charitatis surculus, fuit amor mortalium propter Deum & Christum. Deum à quo tot se præuentam beneficiis agnoscebat, tot donatam prærogatiuis, amabat feruentissimè & flagrantissimè. Et hic amor in ea, totius sanctitatis fons vberrimus fuit, omnem planè excludens labeculam, juxta Richardum**

Victorinum l. 2. de Eman. c. 29. cuius ea est extrema clausula [Quis (inquit,) illud primum, & maximum mandatum sic vnquam impleuit? quis sic vnquam implere poterit? *Diliges Dominum Deum tuum ex tota corde tuo, & ex tota anima tua*; Ex hac vtique exæstuantis amoris flamma, exusta sunt scuta illa jam dicta] Disserit insigniter in hanc rem Gulielmus Paruus in c. 6. Cant. ad illud, *Vna est columba mea.* Monstrat enim idcirco Virginem, dictam esse vnam & perfectam inter Dei sponsas, quia tam casto erga eum amore flagrauit, vt se ad aliud diligendum, nullatenùs diuideret, sed ei cui se deuouerat, tota adhæreret amore indiuiso. Quò cum pertingit amor, tum demum est castus & plenus. Nam qui cum Deo aliquid amat, quod non propter ipsum amat, minùs haud dubiè atque adeò non plenè Deum amat, juxta Augustini pronunciatum à Gulielmo adductum ex l. 10. Confess. Castissimus igitur & plenus fuit Deiparæ in Deum amor, quippe nullatenus diuisus, & perfectè Virginem nectens Deo, imò transformans in vnum quodammodò spiritum cum eo, consentaneè ad Apostolum 1. Cor. 6. dicentem, *qui adhæret Deo, vnus spiritus est.* Hinc igitur præcellentissimum Virginis in Deum amorem eruit Gulielmus, ratione cuius ait, eam sanctis omnibus etiam anterioribus factam esse admirabilem atque laudabilem supra omnem modum, cum vident, quàm post se omnes sanctos reliquerit hac in parte. In quem sensum accipit quod subiungitur in sacro Epithalamio, *Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt.* In hāc rem latissimè & minutissimè disserit Richardus à S. Laur. l. 4. *à pag.* 260. vsque ad 271. Causas omnes amoris incensissimi notitiam liquidissimam, similitudinem, & huiusmodi alias in Deip. erga Deum interuenisse, considerat vt eius flagrantissimum amorem inde eruat, Cartusianus l. 3. de Deip. art. 3.

10. Tenerior, (quippe maternus,) videri potest fuisse amor supernaturalis quo ferebatur in Christum. Optimè de eo S. Anselmus l. de 4. virtutibus B. Mariæ c. 8. cum præmisisset amorem Christi erga matrem. [Quid illa? Nónne tantis filij beneficiis, digno respondebat amore? Plena Spiritu sancto, qui est amor Patris, & prolis amor suauis & dulcis; Amor non volaticus sed æternus. Nónne eum amabat qui eam fecit omnis creaturæ Dominam, cœli & terræ Reginam, fertilitatem vt dixi tribuens, integritatem non minuens? Imò verò totis medullis, totis viribus in eius amorem suspensa erat, amorémque quem pater & mater soboli suæ debent, sola ista dulcis & tenera mater, domino & filio suo impendebat. Nec est aliqua scientia quæ possit penetrare, nec eloquentia quæ possit prædicare, quanta dulcedinis sedulitate paruulum fouerit, quanta diligentia obsequióque adolescentem, & in robur ætatis vadentem prouexerit; quanta lætitia juuenem miracula facientem, & eorum gloria famosum, audierit, viderit; quanta mœstitia patientem & morientem suspicauerit. Et hæc profectò tantò nobis sunt penè incogitabilia, quantò insueta.

Luculenter planè in eandem sententiam disserit l. de excellentia B. Mariæ c. 4. vnde Limbum duntaxat repræsento. [Quicunque aliquem syncero & dulci dilectionis affectu diligit, omnia commoda & jucunda ei succedere cupit;

Illius incommodis si quæ acciderint mœstus ingemit; voluat & reuoluat hunc suum affectum apud se, & cogitet quid sibi esset, si adhuc quem fingere multiplicatus in se sedem maior existeret. Quæ cùm fecerit, & hunc suum amorem quamtuncúnque intellectu suo magnificatum, amori illius piissimæ matris Dominæ nostræ in Deum filium suum aliquatenus comparari posse putauerit, nescio vtrum audiendus in hac sua æstimatione. Nec mirum; Ipse enim Spiritus Dei ipse amor omniptentis Patris & Filij, ipse per quem, & in quo amatur omne quod benè amatur; Ipse, inquam, corporaliter, vt benè dicam, venit in eam, singularíque gratia præ omnibus quæ creata sunt, siue in cœlo, siue in terra, requierit in ea, & Reginam ac Imperatricem cœli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, fecit eam. Et alicui bono ad tempus debriato, in animum cadet se quicquam amoris habere, quod illi amori queat comparabile æstimari, quem hæc beatissima matrum ad ipsum habebat, à quo se tam ineffabili dignitate sublimitam intelligebat? Superat ergo omnes omniũ rerum creatarum amores & dulcedines magnitudo amoris istius Virginis in filium suum, & dulcedinis immensitas qua exultabat & liquefiebat anima eius in eundem Dominum Deum suum.]

11. Subscribunt alij. Rich. à S. Laur. l. 4. [Dilexit Maria Christum naturaliter, & plusquàm alia mater posset diligere natum suum. Solet enim dici, quod puer naturaliter plus diligitur ab illo parente, cuius semen superabundauit in conceptu eius, quàm ab alio. Ideò naturaliter plus dilexit Maria filium suum, quàm aliqua alia mater; quia totam carnis suæ materiam, à carne materna traxit Christus. Vnde Mariæ dictum est. Lucæ 1. *Ecce concipies in vtero*, idest, ex causa intrinseca; non sicut aliæ mulieres, quæ recipiunt ab extrinseco vnde concipiunt scilicet semen viri. Hoc idem figuratum est per hoc pronomen *Te*, quod est discretiuum vbi sequitur *quod nascetur ex te*: Idest, ex te sola, non ex te, & Ioseph, idest ex te & viro. Ad hoc innuendum dixit ei Filius Ioan. 19. *Mulier ecce filius tuus*; Totus tuus, quia *tuus* pronomen est discretiuum.] Hæc expandit & minutatim considerat, *ad paginam vsque* 275.

12. Philippus Abbas l. 3. in Cant. c. 23. vtramque illam Virginis erga Christum, & prout Deum, & prout filium, charitatem eleganter expressit, tractans ordinatam charitatem. [In Christo, (inquit) quem de sancto conceptum Spiritu generauit, in quo Deum & hominem personalis vnitas copulauit; vtrumque vera mater discreto judicio sic amauit, vt charitas non erraret, quam in ea idem filius ordinauit. Primò enim Deum quem cœlestium & terrestrium nouerat Creatorem, & eorum quæ creauit ordinatissimum Dilectorem: carni veræ counitum, factúmque hominem miro modo, dilexit toto corde, totis viribus, sine modo. In hac quippe dilectione, teneri non debet modus aliquis, non mensura, & quantum diligatur Deus, non scriptor aliquis docuit, non scriptura; sed quisquis inuenitur diligendi modum subtiliùs expressisse, videtur non quantum, sed ex quanto diligi debeat, docuisse. *Ex toto*, ait, *corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis.* Iste est modus si tamen modus, quo Deum in Christo gaudet Virgo Mater diligere, cuius profundi-

tatem humanus ad liquidum sermo non potest exprimere: Tantam cuius dulcedinem & si vtcumque valet feruentior animus experiri, tamen qui verbis explicet, facilè non valet inueniri. Ex toto igitur quod habuit, quod potuit, in filio dilexit potentiam potiorem, incarnatæ Deitati applicuit affectum promptiorem; omni prorsus creaturæ digna reuerentia prætulit Creatorem, Deum homini counitum, habuit super omnia gratiorem. Hominem verò quem nouerat suam Virginis carnem esse, conceptum sine viro, sine suo matris gemitu natum esse, naturâ, naturalique nectura proximum suum esse; dilexit vt seipsam, sicut legerat dignum esse. Nam cum nemo carnem suam odio habeat, sicut recolitis vos legisse, quamuis eidem carni culpam quamlibet nouerit affuisse; **quantùm credenda est Virgo mater filium** dilexisse, in quo & culpa nihil habuit, & natura obstupuit ius inclitum perdidisse?]

Et paulo post. [Hunc itaque proximum rectè Virgo diligit vt seipsam, & si credi fas est, dicenda est plus diligere quàm seipsam; quia tantum hominem, supra hominem omnem judicat diligendum, & tam seipsa quàm cæteris teneriùs & auidiùs amplectendum. Quod autem docente Spiritu intelligit, intelligens diligit faciendum, eodem operante non est impotens vel inefficax ad explendum; & ideò filium hominem quem modo inenarrabili genuit, & seipsa, sicut diligendum intelligit, sic diligere potest, & diligit plus seipsa. Nos profectò miseri, quæ perfecta & summa sunt, vel intellectu capere non valemus, vel ad explendum ea, perfectam & efficacem gratiam non habemus: & ideò fortè Deus nostras infirmitates miserans & nosipsos, temporaliter imperat diligere quemuis hominem, vt nosipsos. Virgo autem plena Deo, diues dono gratiæ plenioris, ad montana prouchitur, & ad gradum meriti excelsioris; & hominem quam nouerat ex se natum materialiter, nullis maculis originaliter præpeditum, carne mundum, & spiritu Deo cunctis inaccessum, genere counitum; super omnes diligit, quos donatos intelligit meritis & gratia pareiore; dignum ducens vt seipsam illi non solùm non præferat, sed nec etiam conferat in amore. Hunc diligendi ordinem, ipse qui diligitur, inspirauit; & in Matre diligente, Charitatem præcipuam ordinauit: vt quam in ortu suo filius esse dederat Virginem mirabiliter & fœcundam, miro satis æquè modo redderet, si non parem, meritis vel secundam. Solo quippe Christo inferior, reliquis omnibus luce præeminet sanctitatis; sanctitatem verò reddit lucidam, non nisi excellentia Charitatis; quæ quantò subtiliùs & expressiùs necessarium ordinem apprehendit, tantò perfectiùs atque efficaciùs, Christi proximam se ostendit.]

13. Modulum huius amoris Deiparæ, erga Christum, & Deum, & Filium suum tentauit vtcunque exponere Alanus ad illud Cant. 1. *indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas.* Existimat enim expressum verbis illis [amorem ineffabilem matris ad Filium, quæ illum in Passionis articulo non reliquit, cum in Apostolis ardor charitatis defecerit. Ipsa enim Christum toto corde dilexit, quæ carnem Christi sic nutriuit & fouit, vt ob amorem carnis eius, ab amore carnis suæ suspensa, necessitatibus nascentis, lactentis, vagientis,

crescentis, omnes cordis affectiones effunderet. Tota etiam anima Christum dilexit, vt ad titulum suæ laudis sufficiat, quod mentem eius, tanta vis amoris occupauerat, vt fugientibus Discipulis, oblita sexus fragilis, ipsa cum lachrymis astans cruci, & condolens morienti, animam suam pro Filio suo, etsi minimè posuit patiendo, tamen exposuit compatiendo.] Eximia sunt quæ ad eiusdem amoris flagrantiam demonstrandam ex eodem capite vrget Gulielmus Paruus in c. 3. Cant. ad illud *ascensum purpureum*. Contendit enim Virginem eo flagrantissimo Filij amore quo ei compassa est, esse Christo commortuam, & factam esse Christi commartyrem, spirituali martyrio, longè præcellentiore quàm quo, passim dicti Martyres defunguntur; quippe qui non commoriantur Christo, sed pro eo moriantur; ideóque martyres quidem sint, non tamen Christi commartyres; & hominum quidem idest suo foris sanguine rubeant, cum Virgo interiùs purpurata sit Dei sanguine. Radices naturalis incensissimi amoris erga quempiam, viguisse in Virgine erga Christum, expendit diligenter Cartus. lib. 3. de Deip. laud. art. 4. quas ad amorem supernaturalem sustollere, non erit operosum, vel leuiter consideranti.

Omnes Virginis virtutes ad vnam hanc in Deum & Filium charitatem reducere videtur Amedeus Lausan. homil. 2. sic scribens de vestimentis mysticis B. Virginis, quæ fragrantissima & aurea ex psalmo 44. descripserat. [Non solùm vestitu deaurato, & fimbriis aureis decoratur, verùm etiam veste stragulata quam fecit sibi dicente Salomone. Et omni lapide pretioso cooperitur. Nulla enim gemma, nullus lapis pretiosus, nulla pretiosa Margarita, huic deest operimento, vt non jam simpliciter pretiosum, sed omni pretiositate pretiosum jure appellari queat. Nam sicut vna pretiositas momento momenti, imo vltra omne momentum, & partem momenti discurrens, multas efficit pretiositates, sic multæ in vnam conueniunt, vt vnius participatione, in vna sint vnum. Et hæc pretiositas est charitas vestis scilicet nuptialis, vestis non habens maculam aut rugam, vestis impartibilis, inconsutilis, desuper contexta per totum. Qua per quam, & in qua, sunt omnia chara quæcunque chara sunt; omnia bona, quæcúnque bona sunt. Et ipsa sunt vnum in vnitate, idem in deitate, simplum in simplicitate. In toto totum obtinent, & de toto gaudent, seposita ab omni diminutione, & duplicitate, & numerositate.] Non est sensus, omnes virtutes B. Virginis, contineri formaliter vnica eius charitate: Id enim manifestè rejicitur ex tanta varietate honestatum & obiectorum formalium. Sensus ergo est, omnes eius virtutes, charitati eiusdem in Deum & Filium subseruiuisse, & ab ea extrinsecùs formatas, motas ac directas fuisse. Quod enim ex antiquo adagio versat Plutarchus 1. Sympos. quæst. 5. amor docet Musicam, quia omnes potentias, & affectus mouet, verum supernaturaliter habet in charitate hominis erga Deum. Surculus charitatis in Deum, est charitas in proximum.

Piissimè de hac Deiparæ charitate philosophatur Cartus. l. 3. de laud. Deip. art. 5. expendens ex amore quo Virgo in Deum flagrabat, & ex luce qua perfundebatur circa causam aduentus Verbi in carnem, extitisse incendium amoris

erga

erga genus humanum vniuersum, multò ardentius & auctius, quàm fuerit siue Mosis, siue Pauli erga gentem suam. Ad idem benè Richardus Victor. suo c. 26. in Cant. [Tanta fuit eius charitas, vt non solùm ad eius gentem (Iudæos videlicet,) extenderetur, sed ad ignotas & notas, ad omnes denique homines; ad hos omnes charitas eius dilatata fuit, pro his sollicita fuit, pro his indesinenter orauit, pro his orando exaudita fuit, dicente ad eam Angelo Gabriele; *Inuenisti gratiam apud Deum*, quam scilicet quærebas. Omnium salutem desiderauit, quæsiuit, & obtinuit, imò salus omnium per ipsam facta est, vnde & *mundi salus* dicta est.] Ex eo flagrantissimo salutis omnium desiderio manat gaudium de salute mortalium, quod item Virginis charitati attestatur. Est autem gaudium illud in Virgine tale ac tantum, vt neget Amedeus Lausan. homil. 2. illud posse à nobis concipi, affirmétque esse perfectum, vltra quàm dici aut credi potest: Et causam non reticet; nimirum quod agnoscat Virgo, hanc fuisse causam aduentus Verbi Dei in carnem nostram, & suæ in Dei matrem exaltationis, vt homines salutem consequerentur. Se igitur conformans diuino consilio & voluntati de omnium hominum salute, cui impensum à Patre Vnigenitum Filium videt, sicut ardentissimè eam sitit, & modis omnibus curat, ita vt non sit qui se abscondat à calore & beneficentia eius, ita incredibiliter gaudet, cum videt Filij amantissimi labores non cadere irritos, & optatum ac expectatum fructum Deo referre. Quæ omnia sunt germina & argumenta indubitata, purissimæ illius charitatis qua flagrabat erga proximum B. Virgo, ac etiamnum flagrat. Minutè hæc prosequitur Rich. à S. Laurentio l. 4. de Deip. *à pag.* 275.

14. Huc spectant quæ de Virginis in nos misericordia, suauissimè persequitur Adam de Perse in Allegoriis Tilmanni ad c. 24. Ecclesiastici, circa illud *quasi oliua speciosa*. Prodidit verò B. Virgo misericordiam insigniter in nuptiis Cana. [Compassa est enim (ait de nouis sponsis Bern. serm. 1. de Dom. post octau. Epiph.) eorum verecundiæ, sicut misericors, sicut benignissima. Quid de fonte pietatis procederet, nisi pietas? Quid, inquam, mirum si pietatem exhibent viscera pietatis? Nónne qui pomum in manu sua tenuerit dimidia die, reliqua diei parte, pomi seruabit odorem? Quantum igitur viscera illa virtus pietatis affecit, in quibus nouem mensibus requieuit? Nam & antè mentem repleuit, quàm ventrem: & cum processit ex vtero, ab animo non recessit.] Descripsit hunc Bernardi locum, & aliis additis illustrauit Richardus à S. Laurentio lib. 4. de Deip. pag. 493.

Verùm diffusior fuit B. Virginis misericordia, quàm vt ad vnum illum euentum suppeditati in nuptiis vini, arctari debeat; cum meritò ipsemet S. Bernardus serm. 4. de Assumpt. eam tanquam clarissimam & maximè latepatentem inter omnes eius virtutes celebret, his præter cætera. [Sileat misericordiam tuam Virgo beata, si quis est qui inuocatam te, in necessitatibus suis, sibi meminerit defuisse. Nos quidem seruuli tui, cæteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potiùs nobis ipsis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur, sed misericordia miseris sapit dulciùs, misericordiam

amplectimur chariùs, recordamur sæpiùs, crebriùs inuocamus. Hæc est enim quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetrauit. Constat enim pro vniuerso genere humano fuisse sollicitam, cui dictum est, *Ne timeas Maria, inuenisti gratiam*, vtique quam quærebat. Quis ergo misericordiæ tuæ ô benedicta, longitudinem & latitudinem, sublimitatem & profundum, queat inuestigare? Nam longitudo eius, vsque in diem nouissimum, inuocantibus eam subuenit vniuersis. Latitudo eius, replet orbem terrarum, vt tua quoque misericordia, plena sit omnis terra. Sic & sublimitas eius, ciuitatis supernæ inuenit restaurationem, & profundum eius sedentibus in tenebris & in vmbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cœlum repletum, infernus euacuatus est, instauratæ ruinæ cœlestis Hierusalem, expectantibus miseris vita perdita data. Sic potentissima & piissima charitas, & affectu compatiendi, & subueniendi abundat affectu, æquè locuples in vtroque.] Benè quam dixerat misericordiam, nunc nominat charitatem. Quod enim fusiùs suo loco est demonstratum in Opere de virtutibus, eadem est virtus misericordiæ & charitatis, nec nisi miseriæ alienæ connotatione, quam misericordia inuoluit, secernuntur ab inuicem: vt propterea præmiserim quæ de vberrima Virginis misericordia passim prostant, huc pertinere.

Plenissimè & piissimè B. Virginis misericordiam, atque adeò charitatem in nos, exponit Richardus à S. Laur. lib. 2. de Deip. *a pag. 79.* & lib. 4. *à pag.* 288. illud pulchrè considerans, non posse videri dubium, quin B. Virgo, perfectè impleuerit jussum illud sanctum senioris Tobiæ ad filium c. 4. *Quomodò potueris, ita esto misericors; si multum tibi fuerit, abundanter tribue.* Et illud Eccles. 35. *Da altissimo secundùm datum eius.* Cum ergo B. Virgo ex Dei munere opulentissima & copiosissima esset, agendo de veris opibus & supernaturalibus diuitiis, dubitare non licet, quin propter Dei honorem, Deo in hominibus maxima & pretiosissima munera dederit, & etiamnum det, diues in omnes qui inuocant illam.

Iustitia, & nonnullæ potentiales eius partes.

15. Richardus à S. Laur. l. 4. de B. Virginis Iustitia fusè differens, hæc habet præter cætera [sunt tres gradus iustitiæ principales, per quos omnes, in culmen virtutum ascendit Beata virgo nostra. Primus, subjici majori, Secundus, non se præferre æquali, Tertius, subjici minori. Primus, inchoat. Secundus, promouet, Tertius consummat. Igitur Maria non solùm Iustitiam, sed & omnem justitiam obtinuit: quæ cum facta esset mater regis æterni, & hoc sciret, non dedignata est ministrare Elisabeth: mater regis, matri militis, mater summi Dei, matri hominis puri; mater Domini omnium, matri serui empticij. Vnde dicit ei Elizabeth. *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me*? Mater Saluatoris, ad matrem præconis? mater Verbi summi, ad matrem vocis? Sed quod postmodùm dicturus erat Dominus Ioanni, potuit Maria dicere Elizabeth: *Sine modò, sic enim docet nos implere*

omnem Iustitiam; Ideſt, perfectam humilitatem. Matthæi 3. Item quia in omnibus conſummatam juſtitiam obſeruauit; ideò figurata eſt per Annam, *cuius vultus non ſunt in diuerſa mutati.* 1. Regum. 1. Et hoc juſtè. Nam Anna *gratia*, & ipſa dicta eſt gratia plena. Item juſtitia reddit vnicuique quod ſuum eſt; & ipſa Angelo ſalutanti, diſcretam reddidit reſponſionem; ſcilicet, *Quomodò fiet iſtud*? Deo laudem & gratiarum actionem dicens. *Magnificat* &c. hominibus ſufficientem inſtructionem, dicens. Ioan. 2. *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Item ipſa reddidit quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ quæ ſunt Dei Deo. Reddidit enim Deum modo, quem per Euam mundus amiſerat, & mundum, ideſt, amatores mundi, quantum in ſe eſt, reddere Domino nunquam ceſſat, precibus, meritis, & exemplis: per ipſam enim ſpecialiter factus eſt, & Deus mundi, & mundus Dei.]

Satis video omnes juſtitiæ actus ab iſto Autore propoſitos, non exigi ad libellam Theologicam ac Philoſophicam. Vt nec illa quæ Fulbertus ſerm. 1. de Natiu. B. Virginis profert ad monſtrandam Virginis Iuſtitiam. [Quis non videat, ac videndo miretur juſtitiam eius, qua ſic vniuerſa præcepta diuinæ legis ſatagebat implere, vt nec ad ſe pertinentia inexpleta relinqueret: verbi gratia, poſt partum enim purificatione legali quam agebat, non egebat, quia virum in concipiendo non nouerat.]

16. Ad Religionem Iuſtitiæ potentialem partem primariam, pertinet quicquid de B. Virginis deuotione & ſenſibus pietatis à variis proditum eſt, nominatim à S. Ambroſio l. 2. de Virg. & Richardo à S. Laurentio paſſim. Pulchrè verò Rupertus l. 5. in Cant. huius virtutis ſummum in Deipara ſtudium celebrat, ex eo quod illi perfectè exercendæ, ſeorſim à negotiis & curis huius vitæ, in perfectiſſima contemplatione ætatem contereret. Ita vt etiam poſt Chriſti exceſſum, cum maximè neceſſarium videri poterat, vt ſe implicaret negotiis quæ humano puluere plerunque religioſa corda reſpergunt, & ab intentiſſimo in Deum ſtudio auertunt, renuerit id facere. Vnde illam de ſe inducit loquentem in hunc modum. [*Expoliaui me tunica mea, quomodò induat illa? Laui pedes meos, quomodò inquinabo illos*? Iamdudum quippe, vitam perfectè ſolitariam concupiui, in qua ſic viuitur, ac ſi quis tunica vel omni veſte nudus, quieſcat ſibi in ſecreto lectuli, lotis pedibus, & expers totius pulueris &c. Ego autem dilecto meo pulſanti loquor, eique nota replico, quia ſingularis ego præ omnibus, exui me tunica mea; mente & actu, vel habitu, reliqui omnia, & ita laui pedes meos, conſcientiam ſiue intentionem meam emundante Spiritu ſancto, vt iam dicti pulueris nihil omnino reſiduum ſit, &c. Quomodò inquinabo quos laui pedes meos, ideſt, ad aliqua terrena inclinabo oculos vel cæteros quos omnes tibi ſoli dilecte mi, dedicaui ſenſus vel cogitatus meos? Nam etſi cuſtodia tua ſemper mecum eſt, vera tamen humilitas ſemper ſollicita eſt; & mea potiſſimum anima, quæ amore tuo ſingulariter plena eſt, pro puluere æſtimat, pro ſordibus reputat, quicquid vnquam præter te per aliquam neceſſitatem, dicit vel cogitat, quamuis licitum ſit, quamuis non otioſum, imo & aliquatenus vtile videri poſſit.] Hæc accura-

tionem in obeundis religiosis erga Deum functionibus, omnino eximiam redolent. Quod inter eas religionis functiones, numeretur oratio, cuiusmodi esset B. Virginis ea in parte religio, & quàm oblectarent sanctos Angelos orationes eius ac puratum manuum ad Deum leuatio, consulendus est S. Bernardus homilia 3. super *Missus est.* Similia Guerricus serm. 4. de Assumpt. qui tamen improbat quod Rupertus aiebat de Virgine vitam actuosam repudiante vt contemplationi & functionibus religionis tantum vacaret. Ipse è contrariò laborem in actione, statuit mercedem fieri in contemplatione, nec esse Israëlem videntem qui prius per luctationem non se prodiderit Iacobum, quod in Beata quoque Virgine valuisse contendit.

17. Est & alia insignis pars potestatiua Iustitiæ, nempe gratitudo erga Deum Rich. à S. Laurentio hanc virtutem in Virgine sic annotauit. [Ad singula Dei beneficia, singulas reddebat gratiarum actiones, dicens, *Fecit mihi magna qui potens est*, & huiusmodi. Propter hoc in libro de infantia eius dicitur, quod sine intermissione benedicebat Deum. Et ne fortè vel in salutatione sua à Dei laudibus tolleretur, si quis eam priùs salutaret; illa pro salutatione *Deo gratias* respondebat. Legerat siquidem Psalmistam dicentem, *Cantabo Domino*, idest, laudabo Dominum, *qui*, idest, quia *Bona tribuit mihi.* Psalmo 12. Item de iusto dicitur Domino, *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei.* Psal. 48. Ipsi enim maximè conueniebat, dicere incessanter illud Apostoli 1. Corinthiorum 9. *Gratias Deo, super inenarrabili dono eius.*]

Hic Virgini fons exuberantissimus & indeficiens gratiarum, juxta S. Bernardum serm. 51. in Cant. vbi expendens illud, *laua eius sub capite meo*, *&* *dextera illius amplexabitur me*, [Non ait (inquit) *amplexatur*, sed *amplexabitur me :* vt noueris prioris gratiæ adeò non ingratam, vt secundam gratiarum actione præuenerit. Disce in referendo gratiam, non esse tardus, aut segnis, disce ad singula dona gratias agere. *Diligenter* (inquit) *considera quæ tibi apponuntur*, vt nulla videlicet Dei dona, debita gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non pusilla. Denique jubemur colligere fragmenta, ne pereant; id est, nec minima beneficia obliuisci. *&c.* Propter hoc sponsa mox vt gratiam de læua sensit, gratias egit non expectans plenitudinem quæ in dextera est. Neque enim vbi memorata est, læuam jam esse sub capite suo, etiam secuta est à dextera se similiter amplexatam; sed amplexabitur me, inquit.]

FORTITVDO.

18. Fortitudo, vel sustinens est, (huic enim tanquam operosiori primas tribuo,) vel aggrediens. Fortitudo sustinens Virginis mirè celebratur à Patribus. Instar omnium esse potest Petrus Dam. serm. 40. Ibi *sub finem*, tractans Virgulam fumi ex vniuerso puluere pigmentario. [Hic (inquit,) expressum est, quidquid exprimi potuit. Species quidem integræ odorem reddunt, sed non tantum, quantum confractæ. Crebris enim tunsionibus su-

pertritæ, remotiorem etiam locum odorifera conſperſione refundunt. Sic & virtutes, in pace quidem fortiter redolent, ſed fortiùs in tribulatione; quia virtus in pace acquiritur, in perſecutione probatur, approbatur in victoria. Vniuerſus ergo puluis pigmentarius in Virgine coniectus eſt, quia in ea virtutum conuentus reuerendum ſibi thalamum conſecrauit: & ſi cæteris per partes Spiritus affluit, Mariæ tamen tota plenitudo gratiæ ſuperuenit. Nec integræ fuerunt in ea ſpecies, ſed in ſubtiliſſimum puluerem comminutæ; quia ipſa eſt, quæ fortioribus tribulationum malleis ſuperpreſſa, vidit ſuum & Dei filium affigi Cruci, militari lancea vulnerari, & inter duos latrones poſitum expirare.]

In hac heroica virtute B. Virginis vendicanda, jam ſat multi fuiſſe videmur ſuperiùs tractantes eius ad Crucem conſtantiam & infractum robur animi in ſummis angoribus ex Filij amantiſſimi cruciatibus. Oſtendimus enim de SS. Patrum & grauiſſimorum Doctorum ſententia quanta mentis firmitate B. Virgo illam malorum molem exceperit, quod eſt munus proprium Fortitudinis ſuſtinentis. Nec eſt ea fortitudo tunc duntaxat cogitanda in B. Virgine, cum Filio pendenti aſtitit, (quanquam tunc maximè) ſed etiam à prima infantis Chriſti ætate, vt benè conſiderauit Guerricus ſerm. 2. de Aſſumpt. agens de Virginis Languore. Et benè idem perpendit Rupertus adductus parte 1. puncto 8. ex l. 1. in Cantica, in expenſione verborum illorum, *faſciculus myrrha dilectus meus mihi.* B. Virginem ratione fortitudinis ſuſtinentis, dictam eſſe hortum meum, quod in nuce, corticis amarities cum teſtas duritia & fortitudine nucleum præmuniente jungatur, pulchrè meditatur Philippus Abbas lib. 6. in Cant. cap. 11.

Iam verò fortitudinis aggredientis ſpecimen eſſe poteſt, in Virgine quod in nuptiis, repulſa in ſpeciem, generosè tamen vrſit negotium pietatis. Item quod Filio prædicanti per non exiguos viarum labores, comitem ſe propè indiuiduam adiunxit, interrita ad difficultates, nec verita odium quo ſciebat flagrare paſſim Iudæos in filium. Rabanus apud S. Thomam in Catena ad c. 2. Matth. illud ſingulare huius fortitudinis ſpeciem in Virgine notat, quod recens nato Chriſto expleta Purificationis quadragena, tametſi Herodem extimeſcebat, intrepidè tamen aggreſſa eſt pueri ad templum deductionem, ne vel fibram aut atomum legis ac debitæ numini obſeruantiæ, prætereiret. In eundem ſenſum Richardus à S. Laurentio lib. 4. de Deip. tit. *Maria dilexit fortiter*, accommodat B. Virgini, illud Eccl. 7. *In omni virtute tua dilige eum qui te fecit.* Ait enim B. Mariam exprompſiſſe inſignem planè fortitudinem animi, quoties de Dei obſequio & cultu ageretur, nuſquam trepidam, nuſquam hærentem aut moras nectentem, ſi cauſam Dei verti deprehenderet, ſicque illud Siracidis monitum perfectè expleuiſſe, nec id in vna tantum aut altera occaſione, ſed per totam vitam quod eſt eius fortitudinis proprium, quæ nunquam ſubneruatur, & idcircò morti confertur, quæ nunquam moritur, & inferno qui nunquam perrumpitur. Sed quid prædicta omnia, ad eam alacrem & generoſam fortitudinem aggredientem, quam B. Virgo prodidit, aſtare non

timens cruci, pellente timorem charitate? Ad eam inquam fortitudinem qua irrupit cuneos armatorum Christum ad horrendam mortem deducentium, non passa se à charitate Christi separari, siue periculo, siue gladio, siue instantibus, siue futuris. Neque hîc silent Patres, vt parte 1. memorauimus. Breuiter sed egregiè Ambrosius epistola ad Ecclesiam Vercell. (est num. 25.) *in fine* [Sed nec Maria minor (inquit,) quàm matrem Christi decebat. Fugientibus Apostolis, ante crucem stabat, & piis spectabat oculis filij vulnera, quia spectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem.] Non malè id ponderat Metaphrastes Orat. de vita & morte Deip. 15. Aug.

Temperantiæ subiectiuæ partes, variæ.

19. MVltæ omnino & admodum diffusæ sunt Temperantiæ propagines, quæ omnes in B. Virgine fuere eximiæ. Attingamus breuiter, præstantiores ac celebriores nonnullas, humilitatem, mansuetudinem, castitatem, atque modestiam.

Humilitatis in Virgine affectum, pulchrè exprimit S. Bernardus serm. in illud *signum magnum*, ex eo quod Actorum 1. B. Virgo nominetur postrema. [Legis (inquit) in Actibus Apostolorum, quod redeuntes à monte Oliueti, vnanimiter perseuerabant in oratione. Qui? Si fortè Maria affuit, nominetur prima, quæ super omnes est, tam filij prærogatiua, quàm suæ priuilegio sanctitatis. *Petrus & Andreas*, (ait) *Iacobus & Ioannes*, & cæteri qui sequuntur: *hi omnes perseuerabant vnanimiter cum mulieribus, & Maria matre Iesu.* Itáne & mulierum sese vltimam exhibebat, vt nouissima omnium poneretur? Verè carnales adhuc discipuli, quibus necdum spiritus erat datus, quia Iesus necdum fuerat glorificatus, quando facta est inter illos contentio de primatu: cum Maria quanto maior erat, humiliaret se, non modò de omnibus, sed & præ omnibus. Meritò facta est nouissima prima, quæ prima cum esset omnium, sese nouissimam faciebat. Meritò facta est omnium domina, quæ se omnium exhibebat ancillam. Meritò denique super Angelos exaltata est, quæ & infra viduas & pœnitentes, infra eam de qua eiecta fuerant septem Dæmonia, ineffabili sese mansuetudine inclinabat.]

Rupertus lib. 1. in Cant. pulcherrimè & fusè de B. Virginis humilitate disserit, tractans illud, *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit suauitatem odoris.* Accubitum enim Regis, sinum Patris æterni interpretatur, vnde Dei Verbum extraxit pumila specie nec in altum se surrigens vnquam, nardus humilitatis virgineæ, quam ex alto odoratus Rex gloriæ illectus est, & deorsum abductus, gaudens quod tanta humilitas inuenta esset in eo sexu à quo initium superbiæ progressum, totam humani generis massam corruperat. Quod longior sit Ruperti in eam rem ratiocinatio, ibi legatur. Perelegantet item sed paulo prolixiùs quàm vt hîc adscribi possit Autor Commentarij Ambrosio tributi in Apocalypsim ad c. 6. exponens sigillum tertium, Verbi Incarnationem cum immissione Mosis in aquas componens, fiscellam pice ac

bitumine litam intra quam Moses inclusus est, interpretatur B. Virginem, cuius bitumen Virginitas, pix humilitas Deum ad se aduocans fuit.

20. Insignem humilitatis affectum in ipsis Deiparæ verbis, Iosepho se postponentis, obseruat in hunc modum S. Aug. serm. 63. de diuers. c. 11. [Non est prætermittenda, fratres, maximè propter disciplinam fœminarum, sororum nostrarum, tam sancta modestia Virginis Mariæ. Christum pepererat, Angelus ad eam venerat, & dixerat ei, *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur.* Metuerat parere filium Altissimi, & erat humillima: nec se marito, nec in ordine nominis præferebat, vt diceret, *Ego & pater tuus:* sed *pater tuus*, inquit, *& ego.* Non attendit sui vteri dignitatem; sed attendit ordinem coniugalem. Non enim humilis Christus, matrem suam superbire docuisset. *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Pater tuus*, inquit, *& ego :* quia caput mulieris vir. Quantò minùs debent superbire cæteræ fœminæ.]

In hac virtutum gemma Virgini præcellentissimè vindicanda, multus omnino est S. Hildefonsus serm. 3. de Assumpt. Appono plagulam. [Facta est ipsa Thronus, quæ fuerat in carne templum Diuinitatis. Tantò speciosior præ cunctis & sublimior, quantò & gratia gloriosior refulsit. Hæc igitur diuina est recompensatio, fratres, de qua dicitur, *Omnis qui se humiliat, exaltabitur.* Fundata enim erat profunda humilitate, & dilatata in charitate, propterea hodie tam sublimiter est exaltata. Sed quia celsitudinem & magnificentiam throni perscrutari non possumus; saltem thesauros eius humilitatis, interdum perscrutemur, vt deinceps eius interuenientibus meritis, ad gloriam donorum pertingere valeamus. Nam humilitas custos reliquarum virtutum est; & ideò venerabilis Virgo, quia virtutes multas sibi aggregauerat, custodem earum humilitatem in animo ferebat. Quam post perceptam gratiam ampliauit, & confessa est se esse ancillam, quæ mater erat Creatoris. Nihil nobilius, Fratres, Dei matre inuenitur, quæ se profitetur ancillam, nihil splendidius ea quam splendor elegit gloriæ. Nouerat enim B. Virgo, quia humilitas Deo semper placet, & ideo ex nuntio cum salutatur, nihil altum de se sapit, nihil præsumit, sed tota humilis ad Deum intendit, cui totum deputat quod est, & quod audit. Quapropter & nos discamus Deo deferre. Discamus de nobis humilia sentire semper in omnibus: Discamus humiliari, quia autor vitæ, ideo ad nos cum esset altissimus, humilis venit, vt nos humilitatem ex se doceret Magister veritatis.] Et inferiùs. [Magna promeruit præmia æternæ remunerationis, quia multum se humiliauit inter immensa dona, inter diuinitatis commercia. Hodie à Domino multum exaltatur gloriosa. Denique ideò Christus humilis ad humilem Virginem venit, quam elegit; vt de tam profunda humilitate triumphum erigeret salutis.] Fusissimè & minutissimè de B. Virginis humilitate Rich. à S. Laurentio lib. 4. de Deip. *initio Modestiæ*, idest (moderationis animi & humilitatis,) *exemplar secundarium*, idest post Christum eam nominat Geometra in Catena Corderij ad c. 1. Lucæ num. 30. B. Virginem humilitatis virtutem totam, & perfectè possedisse, ait Richard.

Victor. suo c. 26. in Cant. & inde probat fuisse in Virgine cumulatissimam gratiam, quia fuit humillima.

21. Mansuetudinem, *collactaneam humilitatis*, vocat S. Bern. serm. in illud *signum magnum*, indéque probat Deiparam fuisse mansuetudine præcellentem, quod esset humillima. Idem perpulchrè serm. in illud *signum magnum*, cum monstrasset ad Christum mediatorem, adiungendam fuisse hanc mediatricem, & vtriusque sexus concursum ad reparationem nostram opportunum fuisse demonstrasset, subdit; [Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suauis est, omnibus offerens linum & lanam. Reuolue diligentiùs Euangelicæ historiæ seriem vniuersam, & si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cœtero suspectam habeas, & accedere verearis. Quod si (vt verè sunt) plena magis omnia pietatis & gratiæ, plena mansuetudinis & misericordiæ, quæ ad eam pertinent, inueneris; age gratias ei qui talem tibi mediatricem benegnissima miseratione prouidit, in qua nihil possit esse suspectum.]

Laudat in hanc rem adductum B. Bernardi locum, Richardus à S. Laurentio lib. 4. de Deip. *pag. 295.* confirmátque ex Cant. 6. vbi sic eam affatur sponsus. *Pulchra es amica mea, suauis & decora.* [Suauis, (inquit) idest mitis & mansueta, cuius charitas non irritatur malis nostris. &c. Sicut etiam de filio eius dicitur in psalmo 144. quod *suauis est Dominus vniuersis*, sic & dicendum est, quod Domina suauis est vniuersis.] Accommodat ad hoc ipsum illud sap. 8. *Non habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius*, & quod Eccles. 24. juxta multorum Patrum interpretationem de Virgine dicitur, *spiritus meus super mel dulcis.* Nec non illud ex Cant. 4. *Mel & lac sub lingua tua* & illud Prou. 16. *Fauus mellis, verba composita, dulcedo animæ & sanitas ossium.* Sed super has accommodationes efficax est ratio quam adhibet, ducta ex eo quod Christum cuius summa celebratur in scripturis dulcedo & mansuetudo de sua substantia compegerit. At constat pueros matrizare, vt loquuntur, idest maternum genium redolere : Vnde matrix iracundæ ac rixosæ soboles ægrè alterius erit genij. Ex filij ergo summa mansuetudine, de matris benignitate coniecturam facimus. Ipsa sola Christi intra eam conclusio per nonimestre, argumentum validum suppeditat, communicatæ matri benignitatis ac mansuetudinis Filij. Sicut enim pyxis, vt in hanc rem disserit prædicto loco Richardus, asseruatorum in ea aromatam fragrantiam retinet, ita & B. Virgo, educto licèt ex ea Christo, odorem virtutum Christi seruauit, eius præsertim quæ Christi velut characteristica fuit, hoc est mansuetudinis. Profecit Richardus ex S. Bernardo serm. 1. de Domini 1. post Epiph.

Nolo missum hac in parte facere Origenem. Is homilia 8. in Lucam, proposita dubitatione quorsum B. Virgo, dixisset, *respexit humilitatem ancillæ suæ*, agitata nonnihil difficultate, tandem addit. [Consideret qui quærit talia, quoniam propriè in scripturis, vna de virtutibus humilitas prædicatur. Ait quippe Saluator, *Discite à me quia mansuetus sum, & humilis corde.* Quod si vis

nomen

nomen huius audire virtutis, quomodò etiam à Philosophis appellatur, ausculta eandem esse humilitatem quam respiciat Deus, quæ ab illis *ἀτυφία* siue *μετριότης* dicitur. Sed & nos quodam eam possumus appellare circuitu, cum aliquis non est inflatus, sed ipse se dejicit. Qui enim inflatur, cadit secundùm Apostolum in judicium Diaboli, siquidem & ille ab inflatione cœpit atque superbia. *Vt non* (inquit) *inflatus in judicium incidat diaboli.* Respexit super humilitatem ancillæ suæ. Humilem me, (inquit,) & sectantem mansuetudinis deiectionísque virtutem, respexit Deus.] Habes, & placuisse nominatim Deo, mansuetudinem B. Virginis, & eam inter varias humilitatis propagines, acceptissimam fuisse, tanquam redolentem radicis suæ sanctitatem, apud Deum gratiosissimam. Habet enim pro radice humilitatem, cuius etiam nomen metonymicè participat. Vt proinde respexisse Deum, humilitatem B. Virginis, idem sit iuxta Origenem, quod mititatem Virginis ex superbiæ defectu prodeuntem, respexisse.

22. Virginitatem illibatam, amauit & exquisiuit Deipara planè insigniter. Audi S. Anselmum l. de excell. Virg. c. 4. [Equidem hæc duo ipsa iucundiùs amabat, scilicet virginitatem & fœcunditatem. Virginitatem, quia hanc placere Deo per omnia intelligebat, fœcunditatem, quia sine hac, maledictum legis, quæ adhuc carnaliter custodiebatur, incurrere metuebat. Vicit tamen amor in ea seruandæ virginitatis, & exclusit ab ea timorem incurrendæ maledictionis. Virgo itaque & tenera & delicata, regali stirpe progenita, & speciosissima, totam intentionem suam, totum amorem suum, totum studium suum, ad hoc intendit, vt corpus & animam suam Deo virginitate perpetua consecraret. Sciebat enim quòd quantò sanctiùs eam seruaret, tantò sublimiùs ei qui omnium castissimus, imò qui ipsa castitas est, appropinquaret. Amplectendo igitur quod acceptabilius Domino esse cognouit, legem superauit, spreuítque maledictum datæ legis, & credidit, reputans secum illum, cui placere quærebat, tantæ bonitatis & tantæ sapientiæ, vt ante se, vel de se tutum consilium, ne quid peccati in istis subiret, inueniret, nec decepta est.]

Piè pro more S. Bernardus serm. 4. de Assumpt. Quæ vel Angelica puritas, virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus sancti sacrarium fieri, & habitaculum filij Dei? Si rerum pretia de raritate pensamus, quæ prima in terris Angelicam proposuit ducere vitam, super omnes est. *Quomodò* (inquit) *fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Immobile propositum virginitatis, quod nec Angelo filium promittente, aliquatenùs titubauit. *Quomodò* (inquit) *fiet istud?* Neque enim eo modo, quo fieri solet in cæteris. Virum penitùs non cognosco, nec filij desiderio, nec spe prolis.] Hæc ex Anselmo & Bernardo adducta, expressisse videtur Richardus à S. Laurentio l. 3. de Deip. priuilegiō eius 1.

Optimè, ac paucis, multa in hanc rem complexus est Greg. Neocæsar. orat. 2. de Annunc. tractans illud *Turbata est in sermone eius.* [In hoc (inquit,) Turbata est verbo: Nam ad quoscumque virorum affatus, erat insolita: & quietem atque silentium vt continentiæ ac castitatis matrem amplectebatur:

cúmque puritatis atque integritatis immaculatum simulachrum esset, aspectum ipsa Angelicum, sicut plures ex Prophetis, non reformidauit: quoniam & affinitatem quandam ac similitudinem vera virginitas cum Angelis habet. Studiosè quippe sanctissima Virgo lampadem virginitatis conseruabat, & ne extingueretur, aut commacularetur, prouidè diligentérque curabat. Et sicut splendido amictus vestimento, magnam rationem ac curam adhibet, ne qua inquinatione ac sorde contaminetur: ita quoque sanctissima Maria intra se cogitabat atque dicebat: Numquid fortè artificium aliquod ac fraudem, vel assentationem, iste ministerij atque obsequij actus, in se continet?]

Præcellentiam præterea huius virtutis in Deipara, conjicere licet ex flagrantissimo amore quo erga amatores huius virtutis fertur, & odio erga oppositum vitium, auersationéque eorum qui illo inquinantur. Verè de ea Damascenus in calce Orationis de Assumpt. [Et Virgo ipsa est, & Virginum amans. Pura est, & purorum amans. Quocirca si & corporis & animi castitatem colamus, ipsius gratiam adipiscemur. Siquidem lutum omne fugit, ac cœnosas affectiones auersatur. Ingluuiem execratur. Fœdissimæ fornicationis vitiis infesta est. Huius impuras & scelestas cogitationes, non secus ac viperarum fœtus, fugit. *&c.* Cum puritate, Virginitate, ac pudicitia pulchrè illi conuenit, sempiternámque cum illis pacem colit, eásque humanè & comiter exosculatur.] Æquè ista in Virginem etiámnum viatricem & inter nos superstitem, ad veritatem licuit dicere. Videndus de purissima & nitentissima specie huius virtutis in Deipara, Guerricus Abbas serm. 1. de Annunc.

23. Verecundia, Virginitatis sepes est & tutamen, vt docet Autor libri de ordine vitæ apud Bernardum, commendans hanc dotem in B. Virgine. Quam etiam inde celebrat verus Bernardus serm. de verbis Apocal. *signum magnum.* [Gratissima sanè (inquit,) gemma in diademate, micans in capite stella, rubor in facie hominis verecundi. An verò quis putat quod hac caruerit gratia, quæ gratia plena fuit? Pudibunda fuit. Magis ex Euangelio id probemus. Vbi enim aliquando loquax, vbi presumptuosa fuisse videtur? Foris stabat quærens loqui filio: nec materna autoritate aut sermonem interrupit, aut in habitationem irruit in qua filius loquebatur. In omni denique textu quatuor Euangeliorum, (si benè meminimus,) non nisi quater Maria loquens auditur. Primò quidem ad Angelum, sed cum jam semel atque iterum allocutus eam fuisset. Secundò ad Elizabeth, quando vox salutationis eius Ioannem exultare fecit in vtero; & ea magnificante Mariam, ipsa magis Dominum magnificare curauit. Tertiò ad filium, cum jam esset annorum duodecim, quod ipsa & pater eius dolentes quæsissent eum. Quartò in nuptiis ad filium & ministros. Et is quidem sermo, certissimus index ingenita mansuetudinis, & virginalis verecundiæ fuit.]

24. Rupertus l. 1. in Cant. ad illud, *pulchra sunt genæ tuæ, sicut turturis* B. Virginem ab hoc fœminei sexus singulari ornamento, exquisitè commendat. Ait enim alloquens B. Virginem. [Pulchritudo tua, pudicitia est, quæ multùm apparet, & spectabiliter lucet in genis tuis, quia non foris vagaris oculis,

ſed ſicut ſoliuaga & auis caſtiſſima turtur, ſolitudine delectabaris, & ſolitariam te Angelus inuenitâtque ſalutauit. Non ita pulchræ ſunt genæ mulieris, qualem Sapientia denotat, *Ornatu* (inquit) *meretricio præparata ad capiendas animas, garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis.* Verùm vt taceam de eiuſmodi, pudicarum omnium Virginum Viduarum, atque Continentium, pudor, ſiue pudicitia, religioſitas aut verecundia, tuis genis, tuis oculis comparata, non eſt verecundia, non eſt pudor, non eſt aut vix meretur dici pudicitia.] Sumit pudicitiam non pro caſtitate & ſanctimonia corporis, ſed quod ipſe vocis cortex præfert, pro ſtudio pudoris, & verecundiæ cura, ac (vt mox addit) moderamine decentiſſimo oculorum, & in genis ſublucente colore virtutis, iuxta antiquum de rubore pudicè verecundantis pronunciatum.

Idem Rupertus eodem libro 1. circa illud, *ſicut fragmen mali punici genæ tuæ, abſque eo quod intrinſecus latet*, ſic diſſerit de B. Virginis verecundia. [Genæ tuæ ſicut fragmen mali Punici, ideſt verecunda es, ſicut decet Virginem longè diſſimilem filiabus illis quarum cuilibet dicendum fuit, *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, & erubeſcere noluiſti.* Fragmen mali Punici, & rubet, & ampliùs quàm integrum malum redolet. Sic & tu ſingulariter verecunda es, & multis per bonam opinionem, in bono exemplo proficies. Quid autem eſt dicere, *abſque eo quod intrinſecùs latet*, niſi ac ſi diceret; & illud quod intùs in conſcientia latet, ampliùs laudabile eſt. O verè laudabilis verecundia, vbi & intus conſcientia munda, & foris facies verecunda eſt. Nam vbi eſt aliquid quo mens erubeſcar, non adeò laudabile eſt, ſi conſpectam faciem rubor perfundat. Igitur tua verecundia quid eſt, niſi religioſitas ſumma? Et hæc virtus ſine dubio malo punico debuit aſſimilari quia gratioſa eſt intuentium oculis, & interdum ſuo ſilentio non minùs ædificat, quàm ſermo prædicationis.] Hoc poſtremum dicit propter mala punica in ſacerdotis veſte, tintinnabulis permixta quæ ſymbolum fuiſſe prædicationis ritè adminiſtratæ, continenter monſtrat Rupertus. Quod autem verecundiam, & virtutem vocat, & religioſitatem, laxè dictum eſt. Nam neque verecundia propriè loquendo eſt virtus, ſed frœnum vitij; quandoque adiaphorum, vel etiam malum; neque cum adminiculatur virtuti, (prout hîc eam ſpectauimus,) refertur ad religionem, vt eſt per ſe euidens ex tanta obiectorum diuerſitate. Sed hæc ſuo loco diſcuſſa in Morali nunc miſſa facio, contentus multo magis valuiſſe in B. Virgine, quàm in Laurentio illo Mediolanenſi, quod dixit de eo Ennodius in Dictione ad Honoratum Nouarienſem. [Vernat in eo boni operis princeps, & honeſtatis mater verecundia.]

25. Modeſtia exterior interiorioris index in Virgine fuit planè eximia. S. Ambroſius ſuis coloribus hunc virtutum florem pinxit in Virgine libro 2. de Virgin. Addo inſignem locum Anonymi, deſcriptum à Richardo de S. Laurentio lib. 5. tit. *de corporea pulchritudine Deiparæ.* [Ad membrorum beatæ Virginis excellentiam ſingularem, laudes humanas addere neceſſe non eſt, cum ex vita illius ſanctiſſima, totius virtutis forma reſplendeat. Eius

quippe in terris conuersatio, & omnibus sanctis imitanda proponitur, & etiam Angelis admiranda efficitur; quæ siquidem non solùm delectabat, sed & diuinos prouocabat aspectus. Quid enim aliud membra illius erant, nisi quædam spirituales linguæ, quas Spiritus sanctus sui plectro temperans modulaminis, suæ digitis præsentiæ, mouebat in harmoniam Angelicæ similitudinis. Idem namque Spiritus, qui eius animam sui feruore caloris accenderat, membrorum quoque officia in eamdem habitudinem suspendebat. Vnde nihil aliud in suis motibus resonabat, nisi nectar diuinæ humanæque sapientiæ, expressam de illa ineffabili suauitate, quam in Trinitate Patris & Filij & Spiritus sancti, maiestatis diuinæ essentia patri communicat, vel concordia. Ad huius puritatis excellentiam, nullam alicuius sancti pertingere scimus sanctimoniam, nisi soliùs Mariæ, quæ tanto Diuinitati erat vicinior, quanto Spiritus sancti muneribus ornatior, qui membra eius velut in quadam virginitate, idest, omnino in sanctitatis integritate custodiebat, vt nulli omnino subiacerent corruptioni, dum mundanæ vanitatis, vel carnalis illecebræ nulla collunio, sibi aliquid ex eorum vsurparet officio.]

26. Guerricus quoque serm. 1. de Natiu. B. Virginis perpulchrè differit de hac Virginis modestia, tractans illud Eccles. 24. *Flores mei, fructus honoris & honestatis.* [Non ait *flos* (inquit) sed *flores*, quia cum Virgo sancta est, flos Virginitatis in ea multiformis est. In Maria tamen, gratia singulari præ omnibus multipliciter floruit, quæ tota pulchra intus & foris, tota vernabat quadam florulentia & venustate pudoris. Nam & in te quoque, si castimonia perfecta sit, non solum reflorebit caro tua, sed & super te totum efflorebit sanctificatio quædam diuina. Non erit aspectus petulans aut vagus, sed pudicitia floridus: non sermo lasciuus aut ineptus, sed verecundia gratus, aut sapientia conditus. Non prurient aures libidine audiendi noua, vel turpia, nec palatum desiderio sumendi dulcia. Non erit incessus inordinatus, sed modestus. Non ipse habitus, non dicam meretricius, sed neque superstitiosus, imo religiosus, totiúsque hominis tui status, sanctimoniæ gratia florulentus.] Eiusmodi ergo fuit in Virgine compositio exterior vniuersa, siue modestia, quandoquidem de perfectione castimoniæ in ea, ambigere nullatenùs licet.

Eundem externum B. Virginis hominem florulentum, & modestissimè compositum, exhibet scitè quoque Damascenus orat. 1. de Natiu. Virg *sub finem*, alloquens ipsam. [Quonam modo grauissimum tuum incessum exprimam? Quonam modo amictum? Quonam modo oris tui venustatem, senilem in iuuenili corpore prudentiam? Honestus vestitus, mollitiem omnem ac luxum fugiens. Gressus grauis ac sedatus, atque ab omni mollitie remotus. Mores seueri, atque hilaritate temperati: Ita comparata eras, vt ad te nullus viris accessus pateret. Testis est metus ille, in quem ex inusitato Angeli alloquio incidisti. Parentibus morigera, & dicto audiens. Animus humilis in sublimissimis contemplationibus. Sermo jucundus ex leni anima progrediens. Denique quid aliud quàm Dei domicilium?] Quæ Galatinus l. 7. de Arcanis c. 5. in hoc Virginis decus protulit, eximia sunt. Versans enim locum ex

cap. 61. Esaiæ, *induit me vestimentis salutis, & indumento Iustitiæ circumdedit me*, hoc justitiæ indumentnm circundans interpretatur, aptissimam omnium Virginis membrorum, à vertice (vt ait) capitis, ad vngues vsque pedum, omniúmque sensuum compositionem, vt idem sit, circumdedit me, ac *vndique & ex omni parte vallauit me.* Quanquam quod cernulentam semper, & perpetuò figentem oculis terram, nisi inter orandum, imaginatur Deiparam, non pertinet ad consummatam modestiam; cuius est ita oculos demittere, vt cum res fert, eosdem moderatè attollere non auersetur. Saperet sanè ea pertinax oculorum deiectio, tristem habitum mentis ex nigra bile, à quo affectu longissimè abfuit *lætitia humani generis*, quo nomine B. Virginem signauit in eius laudatione S. Ephrem.

Clausula horti Virginei.

27. Est itaque Deipara hortus & paradisus virtutum omnium. Rupertus id elegantissimè & piissimè prosecutus est l.4.in Cant. tractans illud, *hortus cöelusus soror mea sponsa*; monstrans Virginē esse paradisum, primi terrestris paradisi antitypum, his præter cætera. [Ecce nouus paradisus, nouæ plantationes, quas plantauit vnus idémque antiqui paradisi plantator, dominus Deus. *Plantauerat autem Dominus Deus*, ait scriptura, *paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formauerat. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue, lignum etiam vitæ in medio Paradisi, lignúmque scientiæ boni & mali. Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita.* Ille est paradisus antiquus, paradisus terrenus. Iste est paradisus nouus, paradisus cœlestis. Vtriusque plantator est vnus, idémque Dominus Deus. In illo posuit hominem quem formauerat, in isto formauit hominem, qui apud ipsum in principio erat. De ista humo produxit omne lignum pulchrum visu, ad vescendum suaue, lignum etiam vitæ in medio paradisi: Istam humum, istam terram suam benedixit & ex ea cunctarum germina gratiarum, & cunctarum exemplaria virtutum produxit, ipsum quoque lignum vitæ Christum, Deum & hominem dominum paradisi cœlestis, de illo voluptatis loco egrediebatur fluuius ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita, De isto paradiso, ille fluuius, siue illud flumen egressum est, de quo Psalmista dicit; *fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*, qui inde diuiditur in quatuor Euangelia.] Plenissimè idem prosequitur, & hunc nouum paradisum veteri longe anteponit, Rich. à S. Laurentio l. 12. *ab initio.*

28. Dignus est qui huc aduocetur SS. Virginis studiosissimus Fulbertus serm. 1. de eius Natiu. vbi hæc in rem præsentem præter cœtera. [Confidenter asserimus quod nullo genere virtutum vacabat, cui plenitudinem inesse gratiæ Dei nuncius asserebat, Constanter etiam asserimus, quod anima ipsius & caro quam elegit, & habitaculum sibi fecit sapientia Dei Patris, ab omni immunditia & malitia purissima fuit, attestante Scriptura, quoniam in male-

uolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.] Verùm hoc nequaquam satis est. Nam depulsio sordium, non esset idonea aptatio diuinæ habitationis, nisi adiungerentur virtutum ornamenta, quæ decenter conuestirent & positiuè excolerent Dei domum. Ita igitur fieri necessariò debuit in B. Virgine, vt esset dignum Deo domicilium. Et hoc est quod vult eo loco Fulbertus, per remotas sordes, & abactam omnem animæ maleuolentiam Deum arcituram, exprimens virtutum omnium confluxum in animam B. Virginis, quæ illam vt Petrus Chrysologus serm. 146. loquitur *collegium sanctitatis* effecerunt. Quo pertinet quod statim addit Fulbertus. [Depromebant itaque virtutes in cogitatione & affectu cordis eius, ineffabilem harmoniam, quam ipsa creatrix & inhabitatrix eius, Dei sapientia delectabatur audire. Coruscabant foris in superficie sermonis & actus, vnde meritò possent homines glorificare Deum, & exempla salutis accipere,] Hoc est dicere nullum virtutis genus virgini defuisse, siue earum quæ interiùs occupantur, siue earum quæ externis obiectis distinentur. Et considerandum est cum Richardo Victorino suo cap. 26. in Cant. virtutes B. Virginis, non vt in nobis aduentitias plerumque fœces habuisse admixtas, sed synceras & puras fuisse. [Habuit (inquit) virtutes sine perturbatione vel passionibus vitiorum, & has possedit amore earum delectata, & gratia adiuta. Ideo in ipsa virtutes erant perfectæ, & in continuum vsum transfusæ, vt nihil aliud quàm bonum saperet, vellet, sentiret. Talis fuit in virtutibus.] Subdit hanc esse causam, cur prædicata sit tota pulchra; quandoquidem in terris degens Angelicam puritatem, & diuinam similitudinem, morum perfectione, & virtutum speciositate, adepta est.

Furfur doctrinæ.

29. NEc huic loco deest furfur. Multi inter actus virtutis Deiparæ, numerant quæ ad virtutem non pertinent, aut valdè parum & vix dignè Deipara pertinent. Eiusmodi sunt actus quidam de impossibili obiecto. Notus est mihi homo, huiusmodi mercium diues propola, qui longa & accurata (pro viribus) dissertatione, monstrare conatus est, medullam Christianæ perfectionis, in his actibus consistere; cuiusmodi est ille ex B. Augustino iactatus, *si Deus esset Augustinus*, &c. Huiusmodi actuum pretiositatem, is quem dixi minutarum mercium in genere Ascetico propola, pro Christianarum virtutum defœcatissima perfectione venditabat. In his cudendis, assiduam fuisse B. Virginem, commentabatur. Peritioribus tamen & solidioribus spiritualis vitæ Magistris, actus illi tum demum non improbantur, cum aliud non occurrit circa quod voluntas exerceatur. Nec tanta in illis actibus perfectio agnoscitur, vt vel multum commendanda sit de eis assiduè obeundis sollicitudo, vel B. Virgini à jugi eorum exercitatione pangendum videatur encomium. Virtus enim in actione consistit; vnde quo magis obiectum, propter impossibilitatem, ab executione remouetur, eo parcior, in actu circa illud versante,

micet honestas necesse est. Vt quid ergo circa tale obiectum locetur opera, cum sint ad manum obiecta ad praxim reuocabilia, quibus per actus nostros attingendis, multo plenior quæstus existat? Hoc verò est, vt alia in causa aiebat Ariston, cancros edere, & cum esculenta pulpa desit, circa crustas plurimas occupari. Non dico cum Vasque 1. p. d. 83. à num. 23. actum circa obiectum impossibile, esse duntaxat actum intellectus, quo pronunciatur, fore vt voluntas exerceret verum actum, si obiectum non esset impossibile: qua ratione, actus circa impossibile obiectum, non est actus virtutis moralis qui soli voluntati, non autem intellectui insidet. Hoc inquam non dico; sed supposito quod verè dari queat actus præsens in voluntate circa obiectum impossibile, quod rectè statuit Bellarminus lib. 2. de Pœnit. c. 5. & Suares l. 1. de gratia c. 30. n. 13. ac l. 7. de Angelis c. 12. à num. 13. & tomo 4. 3. p. d. 3. sect. 3. num. 3. aio tam tenuem in eo actu honestatem ob obiecti impossibilitatem sublucere, vt non fuerit B. Virgini ex eo mustaceo captanda laureola; nec sit cur tanto studio insigatur iugis eorum exercitatio. Certè in Deo, cui omnes actus ab imperfectione præcisibiles tribuendi sunt, non solent Theologi, hos actus tanquam pretiosissimum diuinæ voluntatis censum recensere. Neque igitur in B. Virgine, congruum est, tales actus celebrare, tanquam præstantissimos omnium quos eliceret, & in quibus assidua esset.

Non nemo, inter virtutes B. Virginis, recenset eius paupertatem; & quidem vt specialem virtutem. Quod secundum, tanquam eximium Virginis decus, magnificari non ita pridem memini, die Præsentationi Christi, & Purificationi Virginis sacro. Cum enim per occasionem munerum à B. Virgine ea die templo illatorum, celebrata esset à Christiano Oratore, paupertas voluntaria B. Virginis; quæ par turturum aut duos pullos columbarum, quod erat tenuium munus, obtulit loco hostiæ diuitum; Excursione facta in quendam sopitorum Armachani ignium suscitatorem, dicam illi eo nomine impegit, & quidem tanquam violatæ fidei Catholicæ reo, quod cum imminutione ornamentorum Deiparæ, & in euersionem voluntariæ Religiosorum paupertatis; dixisset, paupertatem non esse virtutem specialem. Id enim perinde esse contendebat Orator, ac negare, Paupertatem esse vnum de consiliis Euangelicis, & spoliare Deiparam, ornamento illius vnius specialis virtutis. Frustra quippe ac falsò, & Deiparæ paupertas voluntaria celebraretur, & Christus Dominus paupertatem tanquam consilium Euangelicum proposuisset, si in paupertate voluntaria, veræ ac specialis virtutis ratio non cerneretur. Ita præferuidè, & magno cum æstu, pro Deipara, ac pro tuendo hoc peculiari eius ornamento, & pro vnius consilij Euangelici tutela, Concionator, in vrbe primaria, ad concionem plenissimam. Et suffragatus fertur Strabo, junctis pauperum spiritu numerosis aciebus.

Hic necessarium est cribrum. Paupertatem voluntariam esse consilium Euangelicum, quisquis inficias iuerit, damnas esto. Eiusdem paupertatis gradus varios in Dei Ecclesia probatos, retinendos ac probandos esse tanquam sanctos, & meriti apud Deum refertos, ratum & fixum habetor, & qui id

improbauerit, cum Gyraldo de Abbatis Villa, & Gulielmo à S. Amore damnatis iam olim erronibus,multator. Sanctissimam Virginem adamatæ voluntariæ paupertatis argumentum præbuisse, exhibitis egenorum muneribus,qua die Filium in templo stitit, extra controuersiam ponitor. Hæc inquam omnia, tot Sanctorum suffragatione, vel Ecclesiæ iudicio, ac piorum sensu, hactenùs rata, exosculor ; & nemo sanus communem Catholicorum existimationem ea in parte sollicitet. Itaque illud duntaxat discutiendum superest,an Paupertas sit virtus specialis, & qui eam in ratione specialis virtutis adimit Virgini,reus sit habēdus, imminutorũ Virginis ornamentorũ, & cõuulsi vnius consilij Euangelici.Hoc verò est, in quo Orator præ æstu impegit,& per crassam ignorãtiã, dogma Catholicum cum placito philosophico vtrinque agitabili , vel etiam falso, confudit. Strabo autem (si verè suffragatus est,) non strabonem modò egit, sed planè cœcum in re morali. Quanta enim hallucinatio , & ignorantia quàm pinguis est, adeò abiuncta permiscere ? Paupertatem quippe voluntariam, esse rem sanctam, & consilium Euangelicum Deo acceptissimum , est dogma Catholicum , quod nefas sit conuellere. Est autem philosophicum problema , an paupertas sit virtus specialis. Eius partem affirmantem tradit Aureolus quodlib. 14. artic. 4. & in 3. d. 33. q. 2. artic. 2. Latéque Thomas à IESV in cap. *non dicatis* parte 1. c. 2. Imo ita esse certa fide tenendum, affirmat Barthol. à S. Fausto in Thesauro Religios. l. 8. q. 15. Pars verò negans, insinuatur à Scoto in 3. d. 34. q. vnica *litera I.* quatenus tradit, duo esse tantùm primò concupiscibilia , è quibus petendæ sint subiectiuæ partes Temperantiæ;negátque ei binario adiungēdum esse obiectũ tertium,nēpe externas facultates atque diuitias, quod sint merè bona vtilia. Idem docet ac probat Armacanus in defensione Curatorum, *circa propositionem primam*,vbi in calce hæc verba habet. [Videtur nimis puerile ad istud probandum insistere ; cum nemo, vt puto, nisi propter defectum in Physica aut Logica , diceret oppositum.] Subscripsimus nos quoque parti isti neganti, lib. 6. de virtut. num. 25. Et ratio breuiter est,quia diuitiæ sunt bona vtilia,juxta illud, κτήματα, χρήματα: atque adeò diuitiæ non sunt amabiles nisi in ordine ad bonum cui deseruire possunt, nempe aut vitæ tuitionem,aut honorum,vel voluptatum adeptionem. Vnde earum amor, ab illa virtute negatur & modum accipiat necesse est, cuius est incumbere in finem qui diuitiarum amori præfigitur. Quare nullius est specialis virtutis , cui nomen Paupertatis conueniat , modum ponere amori diuitiarum, vel inducere ad earum abiectionem omnimodam, quod est Euangelicum consilium ; sed id ad eam virtutem pertinebit, cuius honestati abiectio opum deseruiet. V. G. spectabit ad Religionem , si in opum abiectione quæratur expeditio ad obeundum Dei cultum ; vel ad charitatem , si quis se exoneret opibus vt effundantur propter Deum in egenos. Nudè verò in se sumpta opum abiectio , nullo apposito ei fine extrinseco honestante , adiaphora esset ; nec vt sic , haberet rationem consilij Euangelici. En quanta pietatis anomalia, pro augendis per commentitiam virtutem specialem Deiparæ honoribus, laborarit Christianus Orator ; eique (si vera ferunt ,) suffragatus

Strabo,

Strabo, ſupra Vvalafridum, ac Gloſſatorem Fuldenſem, Doctor profundus: Imò Doctorum Phœnix, ſed qualem eam auem Tertulliani penicillus expreſſit.

PVNCTVM VII.

GRATIÆ VNIVERSÆ QVANTITAS in Deipara, à prima vitæ meta ad extremam.

SPECTATIS iis quæ diximus de quantitate primæ gratiæ ſanctificantis, collatæ B. Virgini in prima conceptione cum anima eius immiſſa eſt corpori: Et iis item ſpectatis quæ tradidimus de variis modis augendi primam illam gratiam à Virgine per reliquam vitam, eruendum eſt quanta fuerit vniuerſa B. Virginis gratia, cum in progreſſu vitæ, tum maximè in eius clauſula.

Quantitas gratiæ in Virgine, ex eius cauſis veſtigata.

1. GRatia enim prima, vt monſtrauimus longè ſuperauit primam gratiam cuiuſcunque ſancti, vt notum eſt ex terminis. Imo ſuperaſſe quoque gratiam conſummatam cuiuſcunque ſingularis iuſti, ſiue Angeli, ſiue hominis; vt hac etiam ratione fundamenta Deiparæ in montibus ſanctis fuerint, omnino piè à quibuſdam ſtatuitur, conſentanée ad eximium optimi filij amorem, in optimam parentem, in qua complacitum eſt ei.

2. Cumulauit tam plenam támque confertam gratiæ menſuram, ſacramentorum ſuſceptio, & quidem frequens quoad Euchariſtiam quæ ſola ei erat iterabilis. Item jugis & irrequieta meritoriorum actuum profuſio, iam à primo conceptionis inſtanti, ad metam vſque vitæ, tam in vigilia, quàm in ſomno, cum plena & accurata correſpondentia ad omnem Dei impulſum; & cum maiori ſemper fructu quo plus progrediebatur, ob maiorem ſemper ac ſemper perſonæ ex gratia præhabita dignitatem, quæ ad meritum auctius confert. Hæc rectè æſtimanti, facilè patebit, gratiam B. Virginis poſt aliquot vitæ annos fuiſſe propè immenſam. Sub tempus verò conceptionis Verbi Dei, fuiſſe magnam ſupra omnem æſtimationem noſtram. Neceſſe denique eſſe, calculos omnes & quaſcunque arithmeticas ſubductiones noſtrates, & numeros, deficere ſi eius gratiæ cumulum ſpectare placeat in vitæ meta, poſt tam diuturnam annorum ſupra 70. in jugi, & ne per ſomnum quidem interrupta, tam pretioſorum actuum exercitatione, & tot Sacramentorum

susceptione, cum luculenta semper dispositione. Non dico, gratiam Virginis etiam in fine vitæ, fuisse infinitam reipsa; Aio tamen tantam fuisse, vt confortata sit, & non possimus ad eam, vel concipiendam animo, vel oratione exponendam.

Probatio quantitatis cumulatissimæ quam in gratia Deiparæ agnoscimus, petita hactenus est ex causis eius proximis; sin minùs physicis, quod tamen de sacramentis nouæ legis multi asserunt, & de actibus non nemo haud ita pridem asseruit; (Videsis Gamachæum agentem de augmento charitatis, illúdque physicè ab actibus effici, agnoscentem: nec displicet Carboni in summa Morali Trac. 3. l. 3. cap. 5. dicto 4. & 5.) at certè moralibus, ad quarum præsentiam Deus non secùs gratiam inferat, quàm si sacramenta illa vel actus, physicè agerent.

Item ex amore Dei in Virginem.

3. NVnc addenda est probatio alia moralis, ex amore Dei in B. Virginem. Quia enim amor facit omnia communia, vt habet vulgata parœmia, dubitari non potest, quin Deus summoperè amans Virginem, quam ad tantum munus præelegit ab æterno, ditauerit eam bonis suis proportionatè ad amorem: quem feracem esse istiusmodi communicationis, docemur quotidiano aulicorum exemplo, qui pro proportione gratiæ qua apud Principem valent, affluunt diuitiis, per Principis liberalitatem. Cum ergo diuitiæ supernaturales, non aliæ sint à gratia, vel in ea radicentur, dubitare non licet de confluxu gratiarum in Virginem, per Dei beneuolentiam erga eam. Adiungi in eam rem posset consideratio Ruperti l. 1. de operibus Spir. sancti c. 7. & 8. nisi principio alibi conuulso niteretur. Statuit enim tantum fuisse Dei amorem erga Virginem, vt propter eius amorem, amauerit quoque Synagogam siue populum Iudæorum. Sed quia hic Dei amor in Virginem, supponit alibi improbatam sententiam Ruperti de Christo & Deipara ante peccatum prædestinatis, non immoror ei probationi amoris Dei erga B. Virginem.

Quòd si Deum hominem spectemus, multò apertius erit, quantis opibus spiritualibus abundare par sit matrem Christi, ne erubescere cogatur copiosissimus filius, egente matre; quam & per naturæ leges, & per beneficia quibus eum ipsa obstrinxit, diligere ardentissimè debuit. Consideratio est sapidissima S. Anselmi l. de 4. virtutibus B. Mariæ c. 8. [Deus filius (inquit,) consubstantialis, & coæternus, & coomnipotens Patri, editus ex Patre ante tempora, sine matre: voluit nasci de matre, sine patre sub tempore, elegítque hanc puellam pro amore quem habebat erga eam, in quam tota Diuinitas influeret, & quæ Dei & hominis genitrix fieret. Amauit ergo eam antequàm nasceretur, vt esset de qua dignè nasceretur. Paruús ne hic amor est, vt faceret ex filia matrem, ex creatura, creatoris genitricem? Nec post partum amor defecit, imò incomparabile augmentum accepit. Sicut enim omnes homines ex vtroque parente geniti, departiuntur amorem in vtrumque parentem; ita

Dominus Iesus ex matre genitus sine Patre, patris & matris soli matri debuit & persoluit amorem.]

4. Paulo pleniùs hoc ipsum argumentum amoris Christi in matrem proponit lib. de Excell. Virg. c. 4. vbi illud quoque argumentum quod ducitur ex cumulo bonorum Virgini ab optimo Filio concessorum, non prætermittit. Concludit verò in hunc modum. [Quid ergo hîc dicemus? Estne putatis vlla mens hominis, quæ modum huius dilectionis quam Deus ad hanc Virginem habuit, queat penetrare: quando & illi quod charius amabat (virginitatem illibatam) sic integrè seruabat, & eam tam dignè & castè fœcundatam, sui ipsius matrem fecit? Potéstne quæso vllus hominum aut Angelorum, istius amoris immensitatem penetrare, vel dignitati amoris illius quidquam cogitatu percipere comparabile? Erigite obsecro fratres mei, erigite aciem mentis vestræ, ad contemplandum tam ineffabilem & stupendam omni seculo huius mulieris gratiam & exaltationem.] Optimè, ex amore, ad gratiam ex amore communicatam adrepsit, est enim necessarius eorum nexus. Hæc tamen probatio sanctitatis Deiparæ prout proposita est, reducitur ad amorem, quo Deus vt sic, B. Virginem est prosecutus. Nam vt sic, seruauit eam concipiendo Virginem, & sibi Matrem, eam delegit. Quanquam facile est simile argumentum texere ex bonis quæ à Christo jam nato, matri optimæ obtigerunt. Nam quis non videt, quantum gratiæ cumulum, assidua per annos triginta quatuor, conuersatio cum Filio conuehere debuerit, tum in tenera pueritia Christi, tum eo jam prouectiore? Et quidem in tenera ætate, cura & sedulitas matris erga sobolem, reciproco Christi erga eam amori, perennem dabat occasionem. Sola basia, & contactus puelli, beatam parentem reddere idonea erant. Nam si vt est apud Tertullianum lib. de Resurr. carnis, Limus qui in manus Dei ad figulandum Adamum peruenit; satis beatus fuit, quia solummodò contactus; quanto beatior Deipara, quæ non vt inanime lutum sed vt amore ciente amorem flagrantissima, à Deo contingebatur? Mulier profluuio sanguinis ægra, vt philosophatur Richardus l. de differ. sacrificij Abrahæ & Mariæ, contacta obiter Christi fimbria, retulit sanitatem: Quantò ergo justius est immensa beneficia Virgini ex continuo, & quidem obsequioso & amorem prouocante, Christi contactu, obuenisse? Conuersatio. verò cum Christo jam grandi, non carebat perpetuis gratiæ accrementis, amore Christi in Virginem continuatis obsequiis magis semper ac magis cumulato. Et vt defuissent obsequia, solus Christi conuictus, amorem mutuum incendebat; cum Christus, (quod ab eo dici solitum refert Origenes homil. 3. in Ierem.) rectè de se pronunciaret, Qui juxta me est, juxta ignem est.

Gratia Virginis abyssus, juxta Patres.

5. EX his coniectari facilè potest, hoc gratiarum mare non posse per nos peruadi. Quare quod S S. Patres de tanta gratia agentes, facere solitos video; stupeamus ad eam, & admiratione defixi fateamur nos esse impares

tantæ gratiæ pertentandæ, considerationis nostræ bolide. Iuuat referre nonnullorum Patrum dicta, de hac gratiæ velut abysso in Deipara. S. Epiphanius orat. de laudibus Deip. attingens exordium salutationis Angelicæ, quo Virgo dicta est *gratia plena*, habet hæc verba. [Gratia B. Virginis est immensa.] Et mox, eam vocat, [mare spirituale, habens gemmam cœlestem Christum.]

Damasc. orat. 2. de assumpt. [Virgo vitæ thesaurus, gratiæ abyssus immensa.] Et orat. 1. de Natiu. Virg. [Tota spiritus thalamus es, gratiarum pelagus.]

S. Anselmus de excell. Virg. c. 8. alloquens Virginem. [Immensitatem gratiæ & gloriæ & fœlicitatis tuæ, considerare cupienti, sensus deficit, lingua fatiscit.]

S. Bernardus serm. 3. de annunc. *sub finem*, ad illud *inuenisti gratiam apud dominum*. [Quantam (inquit,) gratiam? Gratiam plenam, gratiam singularem. Singularem an generalem? Vtramque sine dubio, quia plenam, & eo singularem quo generalem. Ipsa enim generalem singulariter accepisti. Eo inquam singularem, quo generalem. Nam sola præ omnibus, gratiam inuenisti. Singularem, quod sola hanc inueneris plenitudinem. Generalem, quod de ipsa plenitudine, accipiant vniuersi.]

6. S. Hildefonsus serm. 3. de Assumpt. sic habet de S. Virgine. [Apud Dominum quanta pensanda sint eius merita, vel cogitanda præmia, puto quod nemo est qui ad purum edisserat, nisi qui potest verè perpendere, qualis vel quanta sit ista gratia, qua repletur ipsa : per quam venit in mundum Dei maiestas.] Nimirum quia B. Virgo accepit gratiam pro gratia, & per eam gratiam qua aptata est vt Dei mater congruè esse posset, promeruit imperfecto illo modo vt Deus ex ipsa carnem assumeret, ac veniret in mundum. Mox addit dona B. Virginis fuisse *immensa*. Rursúsque inferiùs, illam Angelorum admirationem, *quæ est ista quæ ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris?* ait venisse *de immensitate gratiæ B. Virginis*, quia vniuersæ virtutes in ea, respergebant ex incendio diuini amoris, suauitatem odoris.]

Petrus Venerabilis lib. 3. epist. 7. propositione 2. [Quantum ad morum puritatem, quantum ad vitæ perfectionem, quantum ad omnium virtutum sanctificationem pertinet, B. Virgo etiam in carne posita, omnem creaturam vel humanam vel Angelicam, summè transcendit.

Amedeus Lausan. homil. 7. agens de Virgine post Christum in terris superstite. [At illa residens in arce sublimissima virtutum, & pelago diuinorum affluens charismatum, abyssum gratiarum, qua cunctos excesserat, credenti & sitienti populo largissima emanatione profundebat.]

Richardus Victorinus suo c. 26. in Cant. [Meritò prædicatur pulchra, quæ & diuinam & Angelicam similitudinem in terris est adepta. Et quia humilitas locus est gratiæ Dei, adeò vt tantum gratiæ capax sit aliquis, quantum fuerit humilis, sicut virtutem hanc perfectè, & totam possedit, ita totam eam gratia impleuit, tótámque decorauit.] Benè humilitatem locum vocat gratiæ Dei, nam Deus emittit fontes in conuallibus, & inter medium

montium pertranſeunt aquæ, vt Pſaltes ait: Ideſt interprete D. Auguſtino ibi, gratia Dei quæ *aquæ* nomine in ſcripturis venire ſolet, declinans à montibus, defluit ad valles, quod aliter dicitur, Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Sicut ergo B. Virgo fuit eminentiſſimæ humilitatis, ita & gratiæ fuit exuberantiſſimæ ac perfectiſſimæ.

S. Bonauentura in ſpeculo Virginis lect. 5. tam multa, támque excelſa, de hac gratiæ Virginis magnitudine tradit, vt nimius propè poſſet videri, niſi pius affectus potiùs, quàm nonnullorum eius verborum cortex attenderetur.

7. Agnoſcunt ergo Patres & ſacri Doctores, inſignem omnino gratiæ quantitatem in B. Virgine. Idipſum aliis verbis efferunt alij Patres, cum dicunt B. Mariæ collatam eſſe gratiæ plenitudinem. Non me latet, quàm variis modis, ea plenitudo gratiæ per Patres Virgini attributa, accipi poſſet. Rich. à S. Laurentio l. 1. de Deip. c. 4. (*pag.* 138.) quatuor numerat gratiæ in Deipara plenitudines. Nouem. S. Bonau. in ſpeculo lect. 7. At Toletus in c. 1. Lucæ annot. 67. ſeptem proponit, totidémque Benzonius in explicatione ſalutationis Angel. c. 13. Optimus tamen illius gratiæ plenitudinis ſenſus eſſe videtur, vt Virgo dicatur gratia plena & plenitudinem gratiæ adepta, quia non accepit ſtillam gratiæ vt ferè contingit aliis; ſed omnino ingentem quantitatem gratiæ adepta eſt, præ qua cuiuſuis aliorum SS. gratia, videri poſſit portiuncula duntaxat. Id enim ſonat vox *plenitudinis*, comparata ad aliorum diminutionem. Nec alia mens iis fuit, qui in Virginem, omnem gratiam confluxiſſe, pronunciarunt. Idem quippe eſt, *plenitudo gratiæ, & omnis gratia*, vt ex D. Auguſtino notauit S. Bonau. in ſpeculo lect. 7. perpendens illud, *omnia flumina intrant in mare*, quod ad Virginem accommodat, in quam omnia ſanctorum chariſmata intraſſe dicit: ſubdítque non eſſe mirum, ſi omnis gratia in Mariam confluxit, per quam (vtpotè gratia plenam,) gratia ad omnes defluxit. Omnem igitur gratiam, ideſt pleniſſimam & exuberantiſſimam gratiæ menſuram, tribuunt Deiparæ Patres. Andreas Cretenſis orat. de Virg. dormit. Virginem vocat, omnis ſanctitatis theſaurum. Petrus Dam. ſerm. de aſſumpt. eam nominat, locum voluptatis omnibus gratiæ diuitiis cumulatum. Rich. à S. Laur. l. 3. priuilegio octauo, habet ſimilia.

Fuit terminus extrinſecus, gratiæ purarum creaturarum.

8. EX dictis rectè concluditur, B. Virginis gratiam tantam fuiſſe, vt meritò ſtatuatur terminus extrinſecus, reſpectu gratiæ omnium & hominum & Angelorum, vt Suares optimè admonuit l. 9. de gratia c. 6. n. 8. & 9. Certum eſt enim, nullam puram creaturam perueniſſe aut peruenturam eſſe, ad menſuram gratiæ quam ſortita eſt B. Virgo. Eóque nomine ſancti paſſim celebrant Virginem, tanquam ſanctiorem Angelis, & longè poſt ſe, ac ſubtus ſe relinquentem omne quod eſt aut dicitur ſanctum infra Deum: ita vt S. Damaſc. orat. 1. de dormit. Dei p. dicat; inter matrem Dei & ſeruos Dei,

infinitam esse distantiam. Et video astipulari passim cœteros Patres. Libo nonnullos.

9. S. Epiphan. orat. de laud. Deip. [quo pacto (inquit) beatam prædicabo gloriæ radicem? Solo enim Deo excepto, cunctis superior existit: naturâ formosior est ipsis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico.] *Naturâ Superiorem* vocat, non collata natura humana cum angelica (sic enim vinceret Angelica, quippè spiritualis,) sed vsurpando vocem *natura*, pro eo quod est *vere & reipsa*. Quem illius vocis vsum, apud Apostolum dicentem, nos nasci natura filios iræ obseruauit Anastasius in ὁδηγῷ. Itaque Virgo *naturâ formosior* idest per gratiam diuinitùs indultam, incomparabiliter pulchrior, est Angelis, verè ac reipsa.

Petrus Damiani serm. de Assumpt. quoscunque sanctos præ Deipara, ait perinde se habere ac si non essent: nec plus lucere, quàm stellas in sole; & vtramque naturam, angelicam inquam & humanam, superari ab ea, gratiæ immensitate. Et ser. 1. de Natiu. Virg. ait solum Deum excedere hoc opus suum: cœtera omnia subtus eam iacere, quod cum constat non valere quoad naturam nudam, (vt præmisi,) valet quoad gratiam & sanctitatem. Optimè serm. 3. de Natiu. Virg. [Quid mirum si hæc ineffabilis Virgo, in suis laudibus modum humanæ vocis exuperat, cum & ipsam generis humani naturam, excellentium meritorum dignitate transcendat? Non denique excellentissimus ille Patriarcharum chorus, non prouidus Prophetarum numerus, non judex Apostolorum Senatus, non Martyrum victor exercitus, non aliquis antiquorum, non quisquam sequentium Patrum, huic Beatissimæ Virgini poterit comparari. Quid enim sanctitatis, quid justitiæ, quid religionis, quid perfectionis, singulari huic Virgini deesse potuit, quæ totius diuinæ gratiæ charismate plena fuit? sic namque ab Angelo dum salutaretur, audiuit: *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Quod, rogo, vitium in eius mente, vel corpore vindicare sibi potuit locum; quæ ad instar cœli, plenitudinis totius diuinitatis meruit esse sacrarium? *In Christo* enim, sicut per Paulum dicitur, *habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Nec mirum, si cunctorum merita transcendat mortalium, quæ & ipsam superexcedit celsitudinem Angelorum.]

10. Richardus à S. Laur. lib. 3. priuilegio 8. [B. Virgo omnes sanctos, veteris & noui testamenti supergressa est, non in quibusdam, sed in singulis virtutibus. Vnde dicit Cant. 7. *Omnia poma noua & vetera, dilecte mi seruaui tibi.* Virtutes, & opera virtutum, appellantur poma propter refectionem, quia sunt cibus animarum; & propter sanitatem, cibus enim sunt infirmitatum; & propter odorem quia delectant, confortant, & refouent audientes, currentes in odoribus huiusmodi vnguentorum. Vnde Iob 9. *Dies mei transierunt sicut naues poma portantes.* Dicit ergo, *omnia poma noua & vetera*, idest omnia priuilegia sanctorum noui & veteris Testamenti in me coniecta & commassata, *seruaui tibi*; Custodiui scilicet in me, tibi attribuens quicquid boni habeo, & non meritis meis, quia *gratia Dei sum id quod sum* 1. Cor. 15.

Et propter hoc dicitur Prouerb. 31. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias* Vide lib. 10. titulo. Vbi Maria comparatur lapidibus pretiosis. Voluit siquidem Christus, vt omni pulchritudini participaret mater sua, & esset mulier ex omnibus sicut dicitur Eccles. 7. Quære lib. 6. tit. *quod Maria mulier*. Propter quod eleganter dicit de ea quidam.

Sol, Luna Lucidior,
Et Luna Syderibus:
Sic Maria dignior,
Creaturis omnibus.]

11. Philippus Abbas eadem comparatione in hanc rem vtitur lib. 6. in Cant. c. 10. [Luna suo, vt aiunt, non splendet lumine, sed magis alieno, & quod à sole accipit, refundit cœteris cornu pleno: ad lucendum quidem nocti specialiter assignata, sic solo Sole minor, vt stellis reliquis sit prælata. Sic etiam Virgo quicquid Lucis obtinet, quicquid gratiæ vel honoris, à Christo nouit esse qui est excellentiæ potioris: quo solo minor, ipsis sanctis cœteris principatur, nostras fugat tenebras, lucem reddere gratulatur.] Et lib. 4. eiusdem Operis c. 1. sic inducit loquentes de B. Virgine Angelos. [Quæ est ista? Reuoluimus mulierum seriem præsentium vel præcedentium ab antiquo, ex quo Eua quæ primùm facta est, consensum præbuit inimico; quarum multis diuersorum dona charismatum sunt indulta; internæ mentis species, tam gratiæ, quàm industriæ manibus est exculta: Nullam harum huic similem possumus inuenire, sed hæc omnes inuenitur ineffabili gratia præuenire. Quæ est igitur ista cui soli datur excellentia specialis, vt mulier nulla prior, nulla ei posterior sit æqualis, vt nostro etiam videatur jam patrocinio non egere, imo vt hominibus, ita & Angelis, non natura sed gratia præeminere?]

Richardus Victorinus initio libri de differentia sacrificij Abrahæ & Mariæ. [Quis audeat aliquem sanctorum, nisi solum sanctum sanctorum, Beatæ Mariæ Virgini anteferre, vel æquiparare? Indubitanter itaque, quod optimum est, tantæ Dominæ attribuimus.]

Piè admodum & pro solemni suo in Deiparam studio, diffusè Gulielmus Paruus in illud Cant. 6. *Vna est columba mea*, cum recensuisset innumeram variè perfectarum animarum multitudinem expressam, adolescentularum, concubinarum, & Reginarum nomine, concludit Virginem præ omnibus spiritualibus Dei sponsis, vnam & perfectam esse, omnibus quoad dona gratiæ supereminentem, supra omnem comparationem: & meritò spectato munere, ad quod sola diuinitus destinata erat concipiendi & fouendi ipsummet gratiæ fontem Christum Dominum.

12. Grauiter & eximiè, tametsi paulo fusiùs Petrus Cluniac. l. 3. epist. 7. propositione 1. vbi præfatus maiora charismata Virginis esse gratiam, & eius consectaria, subdit. [Hoc est charisma maius omnibus charismatibus: hæc est gratia, maior, vt sic dicam, omnibus gratiis. Hæc est, inquam, illa-

maxima & superexcellens gratia, de qua Gabriel beatæ Virgini ait, *Aue gratia plena*. Hac gratia, hanc singularem Virginem, à tempore prolatæ Angelicæ salutationis, sic plenam vel repletam esse intelligo; vt ei aliquam creaturarum, siue cœlestium, siue terrestrium præferre nefas sit; conferre insuper absurdissimum sit. Hac virtutum vniuersarum gratia, cunctis creaturis excellentius illud omnipotentis Creatoris, non tantùm spirituale, sed etiam corporale hospitium impleri, & ornari decebat: vt sapientia Dei, quæ se delectari per singulos dies, quæ se ludere in orbe terrarum, quæ delitias suas esse cum filiis hominum, per Sapientem fatetur: quæ nec delectari, nec ludere, nec delitiari, nisi in sacris virtutibus, & sanctis affectibus, potest; in hac sancta & super cœlesti virgine matre sua, præ cunctis hominibus vel Angelis virtutum gratia plena, magis delectaretur, luderet, deliciaretur. Præ cunctis plenè creaturis, & in terris virtutum gratia exornari, & in cœlis sublimi gloria illam decuit clarificari: quæ sola inter omnes creaturas, Matris Dei nomine meruit decorari. Nam cum multi dicantur Martyres Dei; cum multi dicantur Apostoli Dei, cum multi dicantur Prophetæ Dei, cum multi dicantur Angeli Dei, cum multi dicantur diuersorum ordinum sancti Dei: ipsa sola dicitur Mater Dei. Vnde justum erat, vt juxta quod Apostolus ad Hebræos loquitur. Sicut Moyses fidelis famulus in domo, sicut Christus vnicus filius dominans in domo: sic ipsa eius mater virtutibus & gloria toti familiæ, post ipsum, in eadem principaretur domo. Sicut igitur est in ipsa singulare, ac super omnia post Deum, nomen Matris Dei: ita est singularis, ac super omnia post Deum, in terris & in cœlis gratia & gloria eiusdem Matris Dei.]

Tandem S. Chrysostomus Orat. de Hypap. agens de B. Virginis sanctitate. [Quid enim ea sanctius factum est? Non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Patres, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non aliud quippiam, siue visibile, siue inuisibile, inter opera Dei, melius ipsa inuenitur.]

13. Nec tantùm B. Virgo, est de facto superior sanctitate & gratia omnibus sanctis qui sunt, aut fuerunt, vel erunt; sed nullus quoque est, fuit-vè, aut erit sanctorum, qui possit ad quantitatem gratiæ eius peruenire, eòuè debeat aspirare. Quod Suares num. illo 8. rectè statuit; probátque ex eo quod augmentum gratiæ non paratur nisi juxta vires gratiæ, siue juxta auxilia actualia quibus creatura præuenta & roborata, assurgit ac sustollitur super altitudines terræ, & particeps fit amicitiæ Dei. Atqui illa auxilia distribuuntur hominibus juxta certam legem à Deo statutam, & pro beneplacito Dei exaltantis mansuetos in salutem, ad gradus varios. Et cum gradus Deiparæ sit sublimissimus & eminentissimus inter puras creaturas; nemini suppeditata sunt, vnquámuè suppeditabuntur tanta & tam illustria auxilia, etiam sufficientia, quanta sunt suppeditata Deiparæ. Igitur nemo sanctorum pertingere vnquam potuit, poteritué, ad gratiam & sanctitatem B. Virginis: Estque ea gratia, terminus extrinsecus gratiæ, respectu omnium purarum creaturarum. Non quod sit minimum quod non, gratiæ sanctorum, vt philosophicos terminos

terminos vſurpem : (fortaſſis enim Sancti , nec ad multo inferiorem gratiæ gradum pertingere extrinſecè potuerunt ;) ſed quod nullibi infra Deiparam, ſit, fuerituè,aut futura ſit poteſtas pertingendi ad gratiam eius : quia ſic decuit ſuſtolli matrem præ famulis, vt paulo ante cum Damaſceno loquebamur.

Furfur doctrinæ. Voluntaria hyperbole circa comparationem gratiæ B. Virginis , & purarum quarumuis creaturarum.

14. Circa hanc veluti immenſitatem gratiæ , quam ſortita eſt Deipara, inualuit ab aliquot annis opinio , jam olim à Mayronio repudiata in 3. d. 3. q. 1. artic. 10. quam tametſi nolim abſolutè inter doctrinæ furfures recenſere , eo quod ex magna erga Virginem pietate ſit profecta , & à viris doctis ſit tradita ; tamen idcirco ſeponenda viſa eſt , & in hunc angulum conjicienda , quod & neceſſaria non ſit ad Virginis decus agnoſcendum , & mera diuinatione nitatur , vt Vaſques 3. p. d. 119. num. 80. pronunciauit, nec quæ ad eam ſtabiliendam hactenus à variis ſunt adducta, ſint reuera firma ac ſolida.

Sunt igitur qui contendant , gratiam B. Virginis , non modò abſolutè eſſe permagnam, & tantam vt nemo ſingularis ſanctus ad eam vnquam peruenerit, vel peruenturus ſit, ac ne peruenire quidem potuerit,aut poſſit ; quod hactenus aſtruximus : ſed etiam contendant reſpectiuè tantam eſſe, vt ſi conferatur cum gratia omnium ſimul ſanctorum Angelorum & hominum , omnéſque gradus extenſiui gratiæ, per puras omnes creaturas Virgine inferiores ſparſæ, coaleſcant in vnam intenſionem ; futurum ſit , vt ſolius Virginis gratia , ſit maior & intenſior. Ita fusè Suares t. 2. 3. p. d. 18.ſ. 4. Val. 3. p.d. 2. q. 1. p. 5. Salaz. in cap. 31. Prouerb. à. n. 181. Spinellus in Throno Dei c. 62. n. 11. Barradius t. 1. l. 6. c. 16. Proferunt in eam rem nonnulla teſtimonia , & rationes. Ex teſtimoniis illud maximè ad rem facere videtur , quod Petrus Dam. ſerm. de Aſſumpt. ait, Deiparam merita ſingulorum, & omnium titulos antecedere. Et quod ait Damaſc. orat. 1. de aſſumpt. inter Deiparam & ſeruos Dei, infinitam eſſe diſtantiam. Inter probationes ex ratione, eminet illa quæ diciturex maternitate. Quia enim ratione illius , Chriſtus plus amauit Deiparam quàm Eccleſiam vniuerſam , ſeorſim ab ea acceptam ; ſicut bonus filius hæres paternæ hæreditatis, plus diligit matrem, quàm vniuerſum famulitium quantumuis copioſum ac multiplex : inde ſequi videtur , B. Virginem plus ſolam accepiſſe gratiæ , quàm omnes ſimul ſanctos collectiuè acceptos ; quia gratia eſt id quo Deus aliquem ſibi efficit amicum. Accedit quod B. Virginis gratia , acceſſit aliquatenus ad gratiam capitis ; quia ſicut Chriſtus ſuffectus eſt Adamo , ita B. Virgo ſuffecta eſt Euæ , factáque eſt adiutorium ſimile Chriſto , æquè ac Eua erat adiutorium Adami. Non potuit autem habere aliqualem rationem capitis, & reparatricis, ac mediatricis, quibus nominibus

eam sæpè donant Patres, nisi de plenitudine eius, non singuli modò acciperent, sed & omnes. Ac proinde supra omnium, etiam simul sumptorum gratiam, abundauit gratia ejus; verúmque comprobatur quod de hac forti muliere prænunciatum legimus, Prouerb. 31. *multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas*; non singulas duntaxat, sed vniuersas.

15. Hæc omnia ægrè persuadent intentum. Nihil enim efficiunt aliud, quàm esse in Virgine abundantissimam planè gratiam, præ qua cuiusuis sancti sigillatim sumpti gratia, vix plus quàm stilla videri jure possit; quod certum est, & extra controuersiam: sed non probant excessum illum de quo agimus. Quod manifestum est de locis Patrum, itémque de probatione petita ex aliquali multúmque diminuta ratione capitis, & reparatricis, ac mediatricis, ob productum Christum, eáque ratione omne genus boni conciliatum mortalibus. Hæc enim tametsi conuincunt gratiam Deiparæ debere absolutè esse permagnam, & gratia cuiuscunque sanctæ puræ creaturæ superiorem; tamen nequaquam probant excessum illum comparatiuum gratiæ Virginis, supra gratiam omnium purarum creaturarum simul sumptarum. Quod verò postea objiciebatur, Deum plus amare Virginem seorsim, quàm totum reliquum corpus Ecclesiæ, hoc negat Abulensis prologo 1. in Matth. q. 19. Et licet demus id admittendum esse, Christo vt homine prosequente matrem amore naturali quem filius ei debet à qua accepit esse; inde tamen nihil concluditur, circa gratiæ Virginis comparationem cum gratia sanctorum omnium: quia Christus vi tituli prædicti, non debet plus matri quàm omnibus, nisi in iis quæ spectant ad esse naturale; cuiusmodi non est sanctitas & gratia. Itaque pro excessu gratiæ comparatiuo, cum omnibus omnino sanctis collectiuè sumptis, nihil proferri video quod eum inter solida Virginis decora, recensendum euincat.

PVNCTVM VIII.

MINORA VIRGINIS CHARISMATA, ET interni in ea hominis ornamenta despicatiora; cùm quoad adeptionem primam, tum quoad factas postea accessiones.

1. PRÆTER gratiam gratum facientem, cum suis appendicibus connaturalibus spectatam, de cuius prima infusione & subsecutis postea variis incrementis hactenus egimus; sunt alia quædam dona gratiæ, quæ dicuntur gratiæ gratis datæ; itémque alia quæ-

dam ornamenta interioris hominis, quæ licet sint entitatiuè naturalia, tamen per accidens interdum infunduntur ; súntque effectus prædestinationis in electis. Nimirum scientiæ per accidens infusæ , & virtutes morales philosophicæ, quæ omnia, an & quomodò in Virgine fuerint ac creuerint, videndum est , vt hæc de perfectionibus internis Deiparæ disquisitio , vndecunque compleatur.

Scientia per se acquisita , nequaquam infusa Virgini , sicut virtutes morum per se acquisita.

INitio autem ducto à prima adeptione huiusmodi ornamentorum , ac primùm eorum quæ intellectui adueniunt ; sunt qui affirmant scientias suapte natura acquisitas , nec nisi per accidens infusas , obtigisse Deiparæ jam ab initio. Eas enim acceperunt primi parentes , non modò Adam , sed etiam Eua , juxta probabilem sententiam. Quantò itaque justiùs idem statuemus de vera omnium viuentium matre , damnorum ab Eua illatorum reparatrice, generatrice Dei Maria ? Ita sensit Albertus , subscribítque S. Antoninus 3. p. tit. 15. c. 19. §. 2. Consentit Suares t. 2. 3. p. d. 19. sect. 5. inditam esse B. Virgini scientiam illorum naturalium & moralium obiectorum, quæ necessaria vel conueniens sit ad perfectam prudentiam, & ad scripturarum intelligentiam, ac etiam ad penetranda , suadenda , & explicanda fidei mysteria : Tantùm dubitat, an huiusmodi scientia sit B. Virgini indita ab initio.

2. Mihi hæc dubitatio non videtur rationabilis : nec dubito, quin si infusio per accidens, scientiæ obiectorum prædictis finibus deseruientium, aliquando erat facienda , debuerit ab initio fieri ; quia nulla occurrit differendi ratio. Verius tamen videtur, infusionem per accidens naturalium scientiarum, etiam cum limitatione proposita , non habuisse locum circa B. Virginem, cum ne in Christo quidem sit facta, vt dictum est lib. 4. de Christo sect. 2. c. 1. quandoquidem circa Christum , ac etiam circa B. Virginem , cessat necessitas huius infusionis , quæ vrget pro primis parentibus , vt dictum est loco annotato. Æquè rejicio quod Salazarius l. de concept. c. 32. n. 41. secutus Albertum, concedit B. Virgini aliam rerum naturalium à sensibus remotarum scientiam per se infusam & euidentem , naturali capacitate intellectus humani superiorem, qualis in Angelis cernitur. Hæc rejicio vt fecit etiam Suares loco allegato. Tametsi enim modus ille infusionis, nullam inuoluit contradictionem, cum sit connaturalis Angelis ; tamen nullum est fundamentum affirmandi, quod reipsa vsurpatus sit erga Deiparam.

De virtutibus moralibus suapte natura acquisitis , & humano labore parabilibus , controuersia est , síntne Virgini ab initio inditæ. Affirmat Suares t. 2. 3. p. d. 4. s. 2. argumento ducto ex prima sanctificatione Euæ , in qua probabilis sententia fert , has virtutes fuisse diuinitùs communicatas. At multò justiùs est idem pronunciare de Eua secunda , quæ cladem à prima Eua illatam instaurauit. Non repugno. Quia cum hæ virtutes faciant simpliciter

eam sæpè donant Patres, nisi de plenitudine eius, non singuli modò acciperent, sed & omnes. Ac proinde supra omnium, etiam simul sumptorum gratiam, abundauit gratia eius; verúmque comprobatur quod de hac forti muliere prænunciatum legimus, Prouerb. 31. *multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas*; non singulas duntaxat, sed vniuersas.

15. Hæc omnia ægrè persuadent intentum. Nihil enim efficiunt aliud, quàm esse in Virgine abundantissimam planè gratiam, præ qua cuiusuis sancti sigillatim sumpti gratia, vix plus quàm stilla videri jure possit; quod certum est, & extra controuersiam: sed non probant excessum illum de quo agimus. Quod manifestum est de locis Patrum, itémque de probatione petita ex aliquali multúmque diminuta ratione capitis, & reparatricis, ac mediatricis, ob productum Christum, eáque ratione omne genus boni conciliatum mortalibus. Hæc enim tametsi conuincunt gratiam Deiparæ debere absolutè esse permagnam, & gratia cuiuscunque sanctæ puræ creaturæ superiorem; tamen nequaquam probant excessum illum comparatiuum gratiæ Virginis, supra gratiam omnium purarum creaturarum simul sumptarum. Quod verò postea objiciebatur, Deum plus amare Virginem seorsim, quàm totum reliquum corpus Ecclesiæ, hoc negat Abulensis prologo 1. in Matth. q. 19. Et licet demus id admittendum esse, Christo vt homine prosequente matrem amore naturali quem filius ei debet à qua accepit esse; inde tamen nihil concluditur, circa gratiæ Virginis comparationem cum gratia sanctorum omnium: quia Christus vi tituli prædicti, non debet plus matri quàm omnibus, nisi in iis quæ spectant ad esse naturale; cuiusmodi non est sanctitas & gratia. Itaque pro excessu gratiæ comparatiuo, cum omnibus omnino sanctis collectiuè sumptis, nihil proferri video quod eum inter solida Virginis decora, recensendum euincat.

PVNCTVM VIII.

MINORA VIRGINIS CHARISMATA, ET interni in ea hominis ornamenta despicatiora; cùm quoad adeptionem primam, tum quoad factas postea accessiones.

1. PRÆTER gratiam gratum facientem, cum suis appendicibus connaturalibus spectatam, de cuius prima infusione & subsecutis postea variis incrementis hactenus egimus; sunt alia quædam dona gratiæ, quæ dicuntur gratiæ gratis datæ; itémque alia quæ-

dam ornamenta interioris hominis, quæ licet sint entitatiuè naturalia, tamen per accidens interdum infunduntur; súntque effectus prædestinationis in electis. Nimirum scientiæ per accidens infusæ, & virtutes morales philosophicæ, quæ omnia, an & quomodò in Virgine fuerint ac creuerint, videndum est, vt hæc de perfectionibus internis Deiparæ disquisitio, vndecunque compleatur.

Scientia per se acquisita, nequaquam infusæ Virgini, sicut virtutes morum per se acquisitæ.

INitio autem ducto à prima adeptione huiusmodi ornamentorum, ac primùm eorum quæ intellectui adueniunt; sunt qui affirmant scientias suapte natura acquisitas, nec nisi per accidens infusas, obtigisse Deiparæ jam ab initio. Eas enim acceperunt primi parentes, non modò Adam, sed etiam Eua, juxta probabilem sententiam. Quantò itaque justiùs idem statuemus de vera omnium viuentium matre, damnorum ab Eua illatorum reparatrice, generatrice Dei Maria? Ita sensit Albertus, subscribitque S. Antoninus 3. p. tit. 15. c. 19. §. 2. Consentit Suares t. 2. 3. p. d. 19. sect. 5. inditam esse B. Virgini scientiam illorum naturalium & moralium obiectorum, quæ necessaria vel conueniens sit ad perfectam prudentiam, & ad scripturarum intelligentiam, ac etiam ad penetranda, suadenda, & explicanda fidei mysteria: Tantùm dubitat, an huiusmodi scientia sit B. Virgini indita ab initio.

2. Mihi hæc dubitatio non videtur rationabilis: nec dubito, quin si infusio per accidens, scientiæ obiectorum prædictis finibus deseruientium, aliquando erat facienda, debuerit ab initio fieri; quia nulla occurrit differendi ratio. Verius tamen videtur, infusionem per accidens naturalium scientiarum, etiam cum limitatione proposita, non habuisse locum circa B. Virginem, cum ne in Christo quidem sit facta, vt dictum est lib. 4. de Christo sect. 2. c. 1. quandoquidem circa Christum, ac etiam circa B. Virginem, cessat necessitas huius infusionis, quæ vrget pro primis parentibus, vt dictum est loco annotato. Æquè rejicio quod Salazarius l. de concept. c. 32. n. 41. secutus Albertum, concedit B. Virgini aliam rerum naturalium à sensibus remotarum scientiam per se infusam & euidentem, naturali capacitate intellectus humani superiorem, qualis in Angelis cernitur. Hæc rejicio vt fecit etiam Suares loco allegato. Tametsi enim modus ille infusionis, nullam inuoluit contradictionem, cum sit connaturalis Angelis; tamen nullum est fundamentum affirmandi, quod reipsa vsurpatus sit erga Deiparam.

De virtutibus moralibus suapte natura acquisitis, & humano labore parabilibus, controuersia est, sintne Virgini ab initio inditæ. Affirmat Suares t. 2. 3. p. d. 4. s. 2. argumento ducto ex prima sanctificatione Euæ, in qua probabilis sententia fert, has virtutes fuisse diuinitùs communicatas. At multò justius est idem pronunciare de Eua secunda, quæ cladem à prima Eua illatam instaurauit. Non repugno. Quia cum hæ virtutes faciant simpliciter

bonum habentem, & subiectum cui adueniunt perficiant in suo genere; non est cur Euæ initia, præstent hac ex parte initiis Deiparæ: quamuis aliter pronunciauerim de scientiis per se acquisitis, quæ habentem non faciunt simpliciter bonum; ac proinde tantùm partæ sunt, quando & quatenus parari humana Virginis industria & applicatione potuerunt, vt suo loco dictum itidem est de Christo, cum quo proportionem qualemcunque seruat B. Virgo, vt Eua cum Adamo.

Contrarium de augmento per actus Virginis proprios quoad vtramque partem, statuitur.

3. IAm quoad augmentum prædictorum ornamentorum, res caret difficultate. Nam siue agatur de incremento virtutum moralium per accidens infusarum per actus proprios; itémque de augmento scientiæ acquisitæ, eiusuè sapientiæ quæ nostræ Theologiæ respondet, (quanquam hæc in electo sunt effectus prædestinationis, possúntque non parum conferre ad salutem:) tamen non est quod diu nos sollicitos habeant: Cum vix quicquam in illis qualibuscunque animæ ornamentis circa Virginem occurrat, quod singulare in ea sit, & non æquè ad omnes pertineat. Itaque generatim tantùm dico, virtutes per accidens infusas, non videri magnum incrementum accepisse per actus, quia non crescant nisi per actus proprios. At verisimilius videtur, infrequenter, vel fortè nunquam, Virginem elicuisse actus purè morales philosophicos, quibus solis actibus augentur illi habitus proprio subiecti marte. Vt quid enim vile metallum, æs V.G. aut plumbum adhibeat, cui æquè commodum sit, aurum adhibere, quod sit ad manum? Virgo igitur cum posset æquè commodè & expeditè prodire in actus virtutum supernaturalium per se infusarum, raro videtur honestatem merè moralem ac philosophicam consectata; nec nisi ex despicato illo motiuo operata, tametsi acceperat ab initio, habitus ad illam honestatem ordinatos, ne vllum ornamenti genus Dei sanctuario deesset: Ac proinde non multum auxit habitus inditos initio, quos sola frequentatione actuum potuisset augere.

Scientiam verò acquisitam, quam supra diximus non esse ab initio inditam, parauit & auxit Virgo in dies, vt cæteri, ipséque Christus. Et vt dicebam, ea pars sapientiæ acquisitæ quæ respondet nostræ Theologiæ Christianæ, creuit in dies in B. Virgine, per jugem & accuratam mysteriorum fidei ruminationem, & collationem eorum in corde suo, vt Lucas notauit. Tamen vix est quod de ea siue prout primùm per Virginis studium comparata, siue prout subinde magis semper ac magis cumulata & aucta, disseramus: cum nihil peculiare contineat in Virgine, nisi quod læue & tersum eius ingenium, liberum planè à passionum fœculentia; diuina quoque assistentia peculiari, & variis extrinsecùs affulgentibus luminibus directum, multo maiore perfundebatur cognitione, quàm aliud adhibita simili opera & connisu non dispari. Quare his dimissis, hæreamus in gratiis gratis datis.

De gratiis gratis datis, controuersia.

4. MOuit de earum collatione & incremento in Virgine, dubitationem Petrus Cluniacensis lib. 3. epist. 7. propositione 1. Professus enim maiora charismata, hoc est virtutes infusas & gratiam, non creuisse in Virgine in Pentecoste, & multò magis in aliis minoribus post Christum conceptum occasionibus, subdit. [Sed sicut ei nihil additum in maioribus confirmo; ita ei aliquid in minoribus fortè adauctum, non nego. Quæ sint verò illa minora, & sæpè fatus Apostolus docet. *Alij*, ait, *datur per spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij gratia curationum, alij Prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum* & similia. Dicuntur verò minora, respectu maiorum supra scriptorum: quia maiora illa, sine minoribus istis, saluare possunt. Nam sine sermone sapientiæ vel scientiæ, (non dico sine sapientia & scientia:) sine gratia curationum, sine Prophetia, sine discretione spirituum, sine generibus linguarum, sine interpretatione sermonum, saluari possum: sine charitate & ei cohærentibus sacris virtutibus, non possum. Maiora ergo sunt, sine quibus salus non est: minora dicuntur, sine quibus salus integra esse potest. Vnde quantum ad illa maiora, nihil, vt jam dixi, die Pentecostes adauctum est Beatæ Virgini: quantum verò ad ista minora, Apostolis quidem omnia data sunt, sed nescio vtrum & Beatæ Virgini.]

Rem fusè agitat in consequentibus, & diu vrget difficultatem, vt ne in Pentecoste quidem gratias illas gratis datas, quibus Apostoli ab bonum aliorum ditati sunt, acceperit à Deo: non donum linguarum, non potestatem miraculorum, non alia munera ad Euangelizandum & prædicandum, quod officium procul à Deipara ablegat, attento sexu; Nominatimque negat, B. Virginem cum in Ægyptum secessit subducens rabiei Herodis Christum paruulum, accepisse gratiam idiomatis Ægyptiorum, vt affirmarat Gregorius ille cui respondet ea epistola. Post longam tamen difficultatis agitationem, & nonnullam propensionem insinuatam ad partem negantem, subdit. [Vt breuiter quod sentio exprimam, accepisse eam die Pentecostes gratiam illam linguarum omnium, nec affirmo, nec nego. Non affirmo, quia nullam necessariam vel probabilem causam, qua gratiam illam accipere debuerit, inuenio. Non nego, quia fortasse alius inuenire poterit, ad quod ego nondum sufficio. Hoc tantùm constanter adstruo, (quod tamen supra jam dixi,) Beatæ Virgini post conceptum Dei filium, nihil de illis excellentibus sancti Spiritus donis, aliquo tempore, dum mortalis vixit, adauctum: De inferioribus verò nihil superfluum aut indecens additum; sed si quid omnipotentis filij Dei matrem de talium numero habere decuit; absque dubitatione adiunctum.]

Neque tamen cessuram Apostolis Virginem, si his munerum diuinorum minutiis careat, contestatur Petrus Vener. Et prudenter profectò statuit de his gratiis, cum ait eas Virgini esse concessas, & in ea auctas, quas deceret illi concedi, & augeri. Sed non expleuit justum desiderium lectoris, qui illicò

interrogabit, quasnam ex eis decuerit concedi, quæ decenter prætermitti debuerint? Hoc vt expediamus, secernendæ sunt variæ classes harum gratiarum gratis datarum. Quædam enim ad intellectum, vel subiunctas intellectui functiones pertinent; aliæ ad potentiam exequentem, & operatiuam transeunter.

Expeditur quoad gratias ad intellectum per se primò aut indirectè pertinentes, breuiter præmissa earum notione.

5. IN primo ordine gratiarum gratis datarum, sunt sermones sapientiæ & scientiæ, prout consistunt in externa interpretatione & locutione vndecunque apta, & ornata; habéntque correspondentia in mente dona diuina quibus homo dirigitur in ordine ad sermonem quæ quamuis sint dona entitatiuè naturalia, ex S. Thoma 2. 2. q. 177. art. 1. ad 1. tamen per accidens & secundùm modum, sunt supernaturalia. Et idem est de illa discretione spirituum, quæ est gratia gratis data, consistitque in judicio materialiter certo & obscuro, quo homo in ordine ad aliorum vtilitatem, per specialem Dei instinctum motus, rectè ac verè pronunciat de vero Angelo, & de Satana transfigurante se in Angelum lucis: tametsi ipse homo certò non aduertat, se rectè procedere; nitatúrque motiuis ex se fallibilibus, quæ tamen in eo euentu sunt vera; alioqui enim spiritus sanctus non moueret ad huiusmodi judicium substantialiter quidem naturale, sed tamen ex speciali Dei instinctu profectum. Dona sapientiæ & scientiæ, aliter præterea sumuntur, & quidem magis propriè pro judiciis ex Spiritus sancti instinctu, de conuenientia mysteriorum fidei, per rationes haustas ex ipsa mysterij substantia, eiusuè effectibus. Sed hæc dona sic sumpta, non sunt gratiæ gratis datæ de quibus agimus, sed dona Spiritus sancti.

6. Est verò in eo propriè dictarum gratiarum gratis datarum ad intellectum spectantium ordine, donum linguarum, & fides miraculorum, ex 2. Cor. 12. & prophetia. Fidem miraculorum; quæ est gratia gratis data, varij variè interpretantur, vt videre est apud Suarem prolego. 3. de gratia c. 5. n. 11. sed maximè commoda fidei illius notio est, qua dicitur esse ipsammet fidem diuinam, prout ita applicatam ad aliquod particulare factum, vt possit ingenerare fiduciam obtinendi miraculum quod expetitur à Deo, vt rectè philosophantur Soto 2. de natura & gratia c. 6. & Suares d. 8. de fide s. 1. n. 6. & 7. malè refragante Turriano 2. 2. to. 1. disp. 41. dub. 3. & disp. 64. dub. 2. Nec est fidei catholicæ, quam dixi ad fidem miraculorum interuenire, adiungenda alia fides particularis, vt vult Vasq. 1. 2. d. 210. c. 4. Prophetiam, quæ occulta obiecta, siue futura, siue præsentia, aut præterita; & siue loco, siue suapte natura non patentia, vt sunt cogitationes cordium; (ad hæc enim omnia pertingere prophetiam, habetur ex S. Gregorio homil. 1. in Ezech. notauitque Sirenius l. 3. de fato c. 8.) constat interdum euidenter, plerumque ineuidenter procedere, percipiendo, prædicta obiecta occulta reuelante Deo;

ita vt & res reuelata, & Deus reuelans, possit à propheta, & euidenter & obscurè attingi. Ex quo liquet, aliquam prophetiam differre à fide; quamuis vt plurimum obscura sit. Obiter ista, nec nisi in transcursu attigi de his gratiis, vt appareret an & quomodò infundi B. Virgini potuerint, ac in ea crescere.

Gratiæ circa sermonem, quatenus immissæ, & auctæ in Virgine.

7. ACcepisse ergo Virginem prædictas gratias gratis datas, ad intellectum pertinentes quas proposui; aliquas quidem ab initio, quæ scilicet possunt habitualiter dari; alias verò pro occasione, quæ scilicet consistunt in actuali motione, non est difficile statuere. Nam quod attinet ad dona circa sermonem versantia, tametsi B. Virgo (quod vt est apud Petrum Cluniacensem l. 3. epist. 7. non ad prædicandum verbum Dei, sed ad illud generandum electa esset;) non est ad publicè prædicandum addicta; tamen quod priuatim cum variis, & variarum nationum personis ad eam vndecunque confluxuris, actura esset, eásque informare circa res fidei deberet; instructa est omnibus gratiis ad sermonem pertinentibus intellectui immissibilibus. Perpulchrè id docuit Gulielmus Paruus in c. 6. Cant. accommodans intellectui B. Virginis quod ibi de sponsæ dentibus dicitur, eos esse mundos ac nitentes vt gregem auium post tonsuram ablutarum atque fœtarum. Intellectus enim Deiparæ, tenens panem quotidianum, mysteria inquam cœlestia mandens, cum esset simplex & mundus, nec vllo animali sensu è terreno lanitio prægrauatus, aut vlla carnis fœculentia contaminatus; idoneus erat, qui aliis quoque, mansum cibum cœlestis doctrinæ porrigeret, & fœtus nouos Deo progigneret. Id verò tam concinna & amœna informatione adhibita præstabat, vt mirari quoque circa eam possent qui accedebant, in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius; ac si externi essent, agerent cum ea commodiùs, & tutiùs: vt sanè videtur Magis contigisse, cum ad Christum adorandum venerunt. Est enim mihi plusquam verisimile, Deiparam egisse cum illis vernacula ipsorum lingua; tantáque sermonis sapiditate vsam in eis de Christo informandis, vt secundùm Spiritus sancti vnctionem cui primæ partes conuersionis Magorum absque controuersia debentur, plurimùm ad eam contulerit. In Ægypto quoque peregrinantem, dono linguarum vsam, egisse cum Ægyptiis, rectè videtur censuisse Gregorius Monachus, vt refert Petrus Cluniac l. 3. epist. 7. qui tamen videtur potiùs refragari Gregorio; sed nihil profert, quo persuadeat: Disertè hoc donum linguarum Virgini tribuit Albertus c. 160. cui subscribit Pelbartus l. 7. Stellarij parte 3. art. 3. & Cartuf. l. 2. de laud. Deiparæ art. 19. ac Gerso serm. de Spiritu sancto q. 3. Habetur Tomo 2. operum. Et hoc donum cum possit esse habituale, videtur ab initio inditum Virgini, quamuis vsus eius non nisi in tempore, & pro occasione sit deprehensus. Non apparet tamen quod incrementum possit in his gratiis circa Virginem accidisse procedente tempore, cum species in quibus huiusmodi gratiæ consistunt,

non perficiantur pedetentim accessu nouorum graduum : augmentum autem extensiuum, si species omnes necessariæ sunt ab initio inditæ, (vt suppono) nullum potuerit contingere.

Quid de fide miraculorum, discretione spirituum, ac Prophetia.

8. DE aliis gratiis gratis datis ad intellectum directè & per se primò spectantibus; (nam quæ propositæ hactenus sunt, non nisi ratione locutionis quam intellectus dirigit, referuntur ad intellectum :) non dubito eas Virgini fuisse concessas, etiam habitualiter. Et quidem liquere videtur, habitualiter concessam esse gratiam gratis datam fidei miraculorum. Nec enim placet quod ait Suares Prolego. 3. de gratia c. 5. n. 14. nempe hanc gratiam, prout est gratis data, consistere in puro actu transeunte, elicito ex speciali motione Spiritus sancti in tempore opportuno. Quidni tamen ille ipse habitus fidei diuinæ, qui alios fidei actus principiat, ad istum quoque interueniat, cum supponatur adesse, & connaturalitas operationis, influxum habitus deposcat? Verè ergo correspondet ei fidei actuali, & quatenus gratiæ gratis datæ, habituale donum : quod tametsi sub alia consideratione pertinet ad gratiam sanctificantem, tamen quatenus est principium manifestandi spiritus ad vtilitatem proximi, habet rationem gratiæ gratis datæ habitualis, tunc tantùm exerendæ, cum placuerit Spiritui sancto mouere mentem ad eius exercitium. Hæc ergo gratia prout substantialiter est idem cum fide habituali, fuit Virgini indita ab initio; videtúrque exprompta fuisse, in obtinendo per insignem fiduciam primo Christi miraculo. Idem judicium esto de infusa ab initio gratia discernendi spiritus, cum occasio se datura esset. Agnoscit hoc donum B. Virgini concessum, S. Antoninus.

9. Magis anceps resolutio est de prophetia. Non quidem an sit B. Virgini collata, sed an habitualiter, atque adeò ab initio. Nam B. Virginem gratia prophetiæ fuisse donatam, scribit disertè S. Basil. in c. 8. Esaiæ ad illud *accessi ad prophetissam*; qui ait, neminem contradicturum, qui sit memor verborum quæ Prophetico spiritu afflata, elocuta est in suo cantico. Esséque id extra dubium, notat ibidem S. Hieronimus. Consentiunt in hoc decore Virgini adscribendo S. Epiphanius hær. 78. S. Aug. 17. Ciuit. c. vltimo, & S. Cyrillus l. 1. in Esaiam orat. 5. Pulchrè Rupertus in c. 1. Matth. ad illud *quod in ea natum est*. Præfatus enim B. Virginem accepisse operationem virtutum omnimodam, subdit [maximéque fidem & prophetiam, sic vt omnem haberet propheticam gratiam. Nam ipsa est Prophetissa illa, de qua dicebat Esaias *Et accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium.* Præmiserat autem, *Et dixit Dominus ad me : sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis, velociter spolia detrahe citò prædare. Et adhibui mihi testes fideles, Vriam sacerdotem, & Zachariam Filidem Barachiæ.* Quis erat ille liber grandis, quem vt sumeret, & stylo hominis in eo scriberet, dictum sibi asserit, & adhibitis testibus, accessi (inquit,) ad prophetissam, & concepit, & peperit ? Quis, inquam,

inquam, erat liber ille grandis, nisi vniuersa scriptura sancta, quanta vsque ad tempus illud conscripta fuerat à Moyse & Prophetis? Hunc librum sumere & in eo scribere stylo hominis, fuit illi propheticam accipere gratiam, & portionem suam scribere de aduentu Christi filij Dei, taliter vt ab homine posset legi & intelligi. Et quid erat illi hoc facto accedere ad prophetissam, quæ concepit, & peperit, nisi ab ista Beata Virgine illum cognosci, & sicut cæteras scripturas, ita & librum Esaiæ, mente eius comprehendi docente illam repentina illuminatione superuenientis in eam Spiritus sancti?] Breuiter Arnobius in Conflictu cum Serapione lib. 2. sub finem, his S. Cyrilli verbis rem conficit. [Prophetissam S. Virginem vocat. Christo enim prægnans, Prophetæ impleuit officium.] Multos alios in eam rem Patres profert, Rutilius Benzonius l. 2. in Cant. Deip. c. 22. dub. 10. Copiosè idipsum confirmat Cartusianus l. 2. de laud. Deip. artic. 18.

10. Fuisse igitur gratiam prophetiæ B. Virgini collatam, extra controuersiam est. Sed fuisse collatam habitualiter, videtur contra sententiam longè receptissimam, traditam à S. Thoma 2. 2. q. 171. art. 2. & ex plerisque à Delrio adductam 4. Mag. c. 1. q. 1. *in fine*, malè reclamante Sirenio l. 7. de fato c. 14. Nempe quod donum prophetiæ, non sit quid permanens & per modum habitus. Et ita eruitur ex S. Hieronimo epist. 125. q. 3. & ex S. Gregorio hom. 1. in Ezech. & 2. Dialo. c. 21.

Verùm ea sententia sic accipienda est, vt tantùm sensus sit, non conferri puris hominibus donum permanens, quo liberum sit prophetæ, quando & quomodò voluerit, perspicere quælibet omnino occulta; vel etiam certum genus occultorum, antequàm eum Deus per actualem inspirationem & locutionem docuerit. Non quod repugnet talem habitum dari, vt Caietanus ad articulum illum 2. frustra conatur monstrare, cum verum sit, Christum Dominum ex propria scientia infusa habituali ac permanente, potuisse prophetare, nulla exspectata diuina locutione, aut reuelatione. Ratio igitur negati puris creaturis habitus prophetici, petenda potiùs est, ex dignitate tanti doni; quod non decuit ita vilescere, vt esset puro homini ad manum, pro illius voluntate & arbitrio, etiamsi ad hominis bonum non spectet, sed conferatur tantùm ad aliorum vtilitatem. Quare par fuit, vt rarò & pro opportunitate juxta diuinæ sapientiæ dispositionem conferretur; nec esset permanens ad modum prædictum. Et hoc sensu B. Virgo non est adepta habitum prophetiæ.

11. Repudiandus verò erit sensus negantium dari habitum propheticum, si ferat, nullam produci à Deo in prophetæ intellectu qualitatem, qua propheta possit principare actum notitiæ propheticæ, cum accesserit reuelatio diuina, & locutio, manifestans quod prædicendum est: quamuis ante eam locutionem, habitus ille ex parte potentiæ se tenens, nequeat esse vsui. Quidni enim possit dari talis habitus propheticus? Habemus affine exemplum. Dabatur enim habitus fidei, quo fideles legis naturæ potuissent elicere assensum Trinitatis, si hoc mysterium fuisset illis reuelatum. Defectu autem diuinæ

locutionis de tali mysterio, non poterant fideles vti suo illo habituali lumine, circa huiusmodi obiectum. Similiter ergo habitus propheticus, ante diuinam locutionem, esset veluti gladius in vagina reconditus. Et hoc pacto dari potest habitus propheticus; & verò datur reipsa, substantialiter in omnibus fidelibus, si agatur de habitu prophetico obscuro, qui est idem cum habitu fidei: tametsi non est vsui ad prophetandum, donec obiectum materiale reueletur.

Hinc igitur liquet, quomodò non sit receptæ doctrinæ aduersans, quod B. Virgo habuerit donum prophetiæ habitualiter, ac permanenter. Liquet etiam, quid de augmento harum gratiarum gratis datarum sit statuendum. Cum enim substantialiter idem sint cum fide, augentur quoad id quod ex parte potentiæ important, crescente habitu qui fidei denominationem retinet; quamuis sub denominatione prophetiæ, insolens sit mentio incrementi intensiui; quia sub eo respectu, connotat locutionem Dei, per ordinem ad quam nullum datur tale augmentum.

Classis alia gratiarum gratis datarum, curationes & alia miracula spectantium, an, & quatenus in Virgine viatrice.

12. ALter ordo gratiarum gratis datarum, continet potentiam miraculorum, siue ad sanitates præstandas, quæ dicitur gratia curationum; siue ad alia mirabilia patranda: sub qua ratione, sortitur varias denominationes. Huius autem gratiæ gratis datæ, Virgini communicatæ, nulla est mentio in Canonicis scripturis. Et idcirco D. Thomas 3. p. q. 27. art. 5. ad 3. eam ademit B. Virgini, præsertim cum ad eam non spectaret docere fidem Christi, & illam miraculis obsignare; qui est legitimus miraculorum vsus. Idem apertè censuit Petrus Vener. l. 3. epist. 7. propositione 2. qui addit, non idcirco B. Virginem, tametsi in carne mortali posita, non patrauit miracula, minorem fuisse quibusuis Thaumaturgis. Sicut neque Christus, minor est iis fidelibus, qui maiora ediderunt miracula, quàm ipse Christus ediderit, vt habetur Ioan. 14.

13. Nihilominus contraria sententia, pro tempore opportuno, (hoc est pro tempore post Christi ascensionem,) verisimilior est, & tradita ab Alberto & S. Antonino: subscribitque Suares t. 2. 3. p. d. 20. s. 3. Neque enim dedecuit B. Virginem, post Christi digressum, fidem quomodolibet docere; nempe priuatim, eamque miraculis tanquam diuino suffragio communire. Non ausim tamen affirmare, quod ad tempus vitæ mortalis Deiparæ pertineant, quæ indistinctè his verbis tradit Basilius Seleuciæ orat. 39. [Quis ingentem Deiparæ potentiam non miretur? quis non miretur, quantoperè superenunciat, quotquot honoramus sanctos? Nam si Deus seruis tantum impartitus est gratiæ, vt non tactu solùm ægros persanarent, sed & vmbræ

proiectu idem præstarent: (proponebant enim in foro medio ægros, vt Actorum liber edocet, & vmbra Petri morbos depellebat; Pauli verò nescio quis, apprehenso linteo manuali,& corporis ipsius extersо sudore, dæmones vltores abigebat;) qualem matri virtutem inesse cogitabimus? An non maiorem multo, quàm ei subiectis? Cuiuis notum. Ecquid mirum si viuentes virtute miraculorum pollebant sancti, quando eorum potestatem non vnâ cum ipsis demortuis humus consepeliuit? lapides enim qui horum occulunt corpora, iis qui malè aguntur, (si modò pro dignitate accesserint,) salutem dare possunt. Quod si his tam rara perpetrare concessit, quale nutricationis pretium Matri dederit? Aut quibus etiam gratiis illustrauerit? Tametsi nihil habet Basilius, quo orationem restringat, ad tempus abiectæ iam per Virginem mortalis vitæ; possentque facilè quæ retulimus aptari ad tempus vitæ post Christi ascensionem: Tamen videntur potiùs accipienda de miraculis per Deiparam iam beatam editis, quæ innumera semper fuerunt, & eximia plus quàm vllius cuiuscunque è cœlestibus: quod monstrant Vincentius in speculo histor. l. 7. à c. 81. ad 120. Brendebachius l. 2. collationum sacrarum. Spinellus in Throno Dei cap. 20. *fusiss.* & ad finem operis tract. de miraculis Deip. Bonifacius l. 3. & 4. & 5. histor. Virgin. & alij absque numero. Agnoscendum igitur est, concessam fuisse Virgini, etiam per aliquod tempus vitæ mortalis, gratiam gratis datam miraculorum.

14. Neque tamen sollicitі esse debemus, siue de collatione in primo initio, siue de incremento huius gratiæ. Hæc enim gratia, non est numeranda inter collatas B. Virgini in primo momento sui esse; nec postea aucta dicenda est, quia non est habitus aliquis intrinsecus supernaturaliter immissus supra naturam: sed est entitas naturalis, quæ per extrinsecam diuinæ omnipotentiæ coniunctionem, assumitur ad patrandum opus supra vires naturæ, cum Dei gloria ita fert. Itaque cum diuina potentia, à principio vitæ B. Virginis, non se coniunxerit ei ad operandum supra naturalem suam exigentiam; (neque enim tunc operandi tempus appetiuerat;) meritò negamus hanc gratiam gratis datam, concessam fuisse B. Virgini, eodem tempore quo concessa est gratia sanctificans. Cum autem venit plenitudo temporis, quo ad fidelium confirmationem & manifestationem dignitatis Deiparæ, consentaneum fuit edi per eam miracula; affuit Virgini diuina assistentia, eodem proportionaliter modo (intra gradum tamen debitum,) quo astitisse Christi humanitati, monstratum est suo loco.

Furfur doctrinæ.

15. HIc aliqui indecorè magnificant Virginem, zelum eius habentes, sed non secundùm scientiam. Innumera, & omnis generis miracula, Virginis superstitis memorant, ab ea patrata etiamnum viuente Christo; imo in ipsamet Virginis adolescentia. Congessit in eam rem multa eruditus recentior lib. 1. Elucid. Deip. tract. 13. cap. 11. Et multa quoque ex S. Ger-

mano descripsit Pelbartus l. 7. Stellarij parte 3. art. 3. sed quis ille sit S. Germanus, hæreo dubius. Nam quæ ex eo describit, non redolent grauitatem S. Germani Constantinopolitani, à quo varia in Virginis laudationem habemus. Scio non esse indocili & peruicaci ingenio expendenda, quæcumque de sanctorum miraculis, prodita scriptis habentur. At memini tamen, de consilio Apostoli probanda omnia. Nec illud me latet, Virginem his minimè solidis (forsitan falsis,) dubiorum miraculorum præconiis non egere: de qua quæcunque referantur & celebrentur miracula, illud tamen verissimè dici, fatendum est, quod de S. Malachia pronunciauit S. Bernardus, Maximum miraculum quod fecit, ipsa fuit. Quam ergo prudentem seueritatem, in scriptoribus qui res gestas & miracula sanctorum describenda suscipiunt, deposcebat meritissimò Melchior Canus l. 11. de locis c. 6. in secunda præsertim regula probati historici, questus à quibusdam monstra miraculorum vulgata, dum sanctis impiè potius quàm ridiculè lenocinantur, & plebeculam muliere in animo habent; eam ego præsertim, circa Deiparæ siue superstitis, siue iam cœlis illatæ, & cum filio sursum regnantis, miracula exigere, omni iure videor: vt quo grauior & sublimior est persona, eo omnes circa eam leuis ingenij maculæ, & figmentorum suspiciones caueantur.

PVNCTVM IX.

GRATIÆ OBICES, ET QVÆCVNQVE interni hominis dedecora, procul à Virgine ablegata.

1. BEATÆ Virginis perfectiones internas, hactenus prosecuti sumus; siue quæ in primo momento collatæ sunt, siue quæ postea accesserunt in vitæ progressu. Nunc attingendum est genus aliud perfectionis quasi negatiuæ, quod situm est in exclusione defectuum ac dedecorum interioris hominis. Eiusmodi sunt quæ substantiam animæ, eiusuè potentias; intellectum, voluntatem, & appetitum inferiorem dehonestant. Quanquam de substantia, nihil hîc dicendum occurrit. Nam defectus gratiæ sanctificantis qui in substantiam animæ cadit; pro primo momento exclusus est propugnando sanctam & immaculatam B. Virginis conceptionem. Pro reliqua autem vita, idem de eo substantiæ animæ probro statuendum erit, quod de peccato læthali inficiente voluntatem. Neque enim animæ substantia spoliatur gratia sanctificante, nisi interuentu voluntatis, à Deo se auertentis & conuertentis ad bonum falsum. Itaque si nullum peccatum læthale volun-

tatem Virginis infecit vnquam; (de quo postea,) nulla item substantiæ animæ, à defectu gratiæ sanctificantis dehonestatio accesserit. Quare in animæ potentiis hærendum est; omniáque ab eis probra ableganda: ab intellectu ignorantia, à voluntate peccatum actuale, ab appetitu fomes solutus, siue inordinatio & rebellio contra præscriptum rationis superioris.

Error procul à Virgine.

2. IGnorantia, vel est prauæ dispositionis, quæ etiam *error* dicitur, vel puræ negationis. Priorem Medina 3. p. q. 30. art. 1. & Suares t. 2. 3. p. d. 19. f. 6. meritò à Virgine remouent. Est enim in eo defectu magna indecentia, nec minor spiritualis imperfectio, quàm in appetitus deordinatione non libera, quæ tamen à Virgine abesse debuit. Accedit quod error, vt tradit D. Augustinus l. 3. de lib. arbitrio c. 18. est pœna per peccatum inducta. Vnde à beatis prorsus exulabit, ex D. Thoma opusc. 71. *initio*, & 1. 2. q. 5. art. 4. & contra Malonium ea in parte singularem, Suares l. 2. de Angel. c. 33. num. 25. A primis item parentibus quamdiu innocentes vixerunt, abfuit error, ob perfectionem status illius, & debitam mali cuiuscunque ab eo exclusionem, vt philosophatur D. Thomas q. 18. de verit. art. 6. Fateor primos parentes, quamdiu in statu innocentiæ fuerunt velut in probatione ac tyrocinio, obnoxios fuisse erroribus illis quorum permissio spectabat ad probationem fidelitatis eorum; quosque liberum arbitrium vitare poterat. Aliis tamen erroribus caruerunt ex peculiari ordinatione ac custodia ipsius Dei, vt benè statuit Suares in Cosmop. l. 3. c. 10. & l. 7. de Angel. c. 4. num. 9. Cum ergo res ita se habuerint in statu innocentiæ circa primos parentes, fatendum est B. Virginem, quæ sicut illi non probabatur, omnis erroris expertem vixisse. Sortita enim est omnes perfectiones statui innocentiæ consentaneas, præter eas quæ corpori mortali, & eius passionibus adiunguntur.

Quod si interdum incidebant occasiones in quibus homo præceps intellectum suum erroneo judicio contaminaret, B. Virgo abstinebat erroneo judicio absoluto, nec nisi modale judicium ferebat de rei verisimilitudine & probabilitate: quod judicium errore vacat, estque scientificum, & in Deum ipsum cadit, vt dictum est in Natur. Theol. d. 8. n. 46. Et sic accipio cum Molina in Cosmop. d. 26. *in fine*, quod Lucæ 2. habetur, Virginem existimasse puerum duodennem esse in comitatu. Non enim absolutè judicabat ita esse; quod fuisset errore labi: Sed ex adiunctis judicabat verisimile & probabile esse, vel etiam probabilius & verisimilius, Christum esse in comitatu; quod modale judicium verum erat, tametsi reipsa Christus in comitatu non esset, sed se subduxisset. Quare non egemus multis quæ in hanc rem congerit Maior in 2. d. 30. q. 4. *sub finem*, quamquam satis inclinat vt fateatur B. Virginem errasse in ea existimatione.

Ignorantia negatiua, quatenus locum in Deipara habuit.

3. QVod attinet ad posteriorem ignorantiam, quæ non est positiua; distinguendum est. Alia quippe est ignorantia negatiua, quæ est mera carentia scientiæ, absque debito vel decentia sciendi; alia priuatiua, quæ est rerum quas deceret vel oporteret scire. Illam ignorantiam cuius depellendæ nulla est necessitas vel decentia, cogimur planè B. Virgini adscribere. Neque enim si Christo Domino omnimoda scientiæ plenitudo debebatur, quippe homini Deo, idem de B. Virgine pronunciandum est, cuius status & dignitas longè minùs postulat quàm dignitas & status Christi. Varias congruentias ad hanc ignorantiam B. Virgini concedendam, conglobat Toletus Lucæ 2. annotat. 83. Ea tamen ignorantia, quam dixi vocari posse priuatiuam, in B. Virginem non cecidit. Nihil enim vnquam ignorauit eorum quæ decebat ipsam scire. Quod videtur notum ex terminis. Quomodò namque Deus Verbum in tollenda tali indecentia matri amantissimæ defuisset? Insigniter id confirmant illa Richardi Victorini l. 2 de Emman. c. 27. cum duos Reges derelicturos terram Deiparæ, interpretatus ignorantiam & concupiscentiam, addit. [Terra vtique mortalitatis & passibilitatis nostræ, à facie duorum regum suorum derelinquitur, quando natura mortalis, atque passibilis, tam à vitio concupiscentiæ, quàm à vitio ignorantiæ penitùs emundatur. Hoc est vtique quod Beatæ Mariæ promittitur, cum ei ab Angelo dicitur; *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Legitur de discipulis Saluatoris, & testibus transfigurationis, *Quia nubes lucida obumbrauit eos.* Si lucida fuit quæ obumbrauit discipulos Christi, quàm lucida rectè creditur, quæ obumbrauit matrem Christi? Sed si eius vmbraculum lucidum erat, ergo & lucem & vmbram exhibebat: Lucem ad depellendam ignorantiam, vmbram ad extinguendam concupiscentiam.] Hoc adeò certum habuit Rupertus lib. 1. in Cant. ad illud *indica mihi quem diligit anima mea vbi pascas*, vt etiam quando Virgo cum Iosepho dolens quærebat amissum filium, neget eam ignorasse quod agebatur: sed dicat, eam tanquam Prophetissam magnam, omnium probè consciam, tamen dolendo quæsiuisse, & dolentibus condoluisse, tacentem quæ nouerat; vt dispensationi diuinæ suo silentio seruiret, tempus tacendi custodiens. Non subscribo tamen hac in parte Ruperto, ne dum ignorantiam quamcunque studiosiùs à Virgine depellimus, mendacium ei, sin minùs verbale, at saltem reale, & per facta, affricetur. Ignorauit ergo aliquid ea in parte. Sed illa ignorantia erat tantùm negatiua, non autem priuatiua, pro qua sola à Virgine eliminanda solliciti esse debemus.

4. Itaque quia planè decebat B. Virginem Christum concipientem & vtero gestantem, ac deinceps, penetrare arcanum mysterij Incarnationis, eo optimo modo quem leges diuinæ sapientiæ ferrent viatrici congruere; non dubito quin illud mysterium à tempore Incarnationis cognouerit, vt perelеganter tradit supra Richardus: mirórque S. Chrysostomum in psal. 49. ad illud

manifestè veniet, non modò B. Iosepho, sed etiam B. Virgini aluo gerenti, ignotum pronunciasse Incarnationis mysterium: ita vt nesciret B. Virgo, quod nasciturum erat ex ea sanctum, vocatum iri, hoc est iuxta phrasim scripturæ, reipsa fore filium Dei. Ea itaque D. Chrysostomi sententia, crudè accepta, ferri non potest. Cum execratione autem repellendus est Erasmus, in quem meritò concitantur Canisius l. 4. de Deip. c. 2. & Suares t. 2. 3. p. d. 21. s. 1. Affirmauit enim Erasmus, B. Virginem cum Christum genuit, nequaquam illum confestim adorasse: eo quod non constet, eam tunc cognouisse Christum esse Deum. Hoc blasphemiam sapit. Quomodò enim B. Virgo post partum ignorare poterat Christum esse Deum, quod ante Virginis partum non ignorabat Elizabeth, vt docent verba illa Lucæ 1. *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Vbi de domino absolutè dicto, atque adeò de vero Deo est sermo, vt omnes Patres interpretantur. Præclare in hanc rem, & Virginis de tanto mysterio notitiam, disserit S. Bernardus cum Hugone à S. Victore epist. 77.

5. Quod si B. Virgo mirata refertur, super his quæ de Christo dicebantur, non est ea admiratio indicium ignorantiæ quod Christus esset prædicabatur, hoc est Deus homo: nam & Christus miratus est absque ignorantia. Vide Toletum Lucæ 2. annotatione 51. Illa denique B. Paulini sententia epist. 43. placere non potest, qua pronunciauit B. Virginem tempore passionis ignorasse filij resurrectionem. Proponam verba, vt lector dispiciat, possitnè alicundè lux affulgere ad tantum Patrem ab eo de Virgine judicio vindicandum. [Mariam ad crucem domini, in quo tunc sui tantùm corporis filium cogitabat, materna mens duxerat, vt cùm eum vidisset mortuum, humana infirmitate lugeret, sepeliendúmque colligeret; nihil sibi de ipsius resurrectione præsumens, quia subsecuturæ resurrectionis fidem, in oculis posita passionis pœna cæcabat.] Quæcunque tandem B. Paulini in his verbis mens fuerit, persto in sententia. Nam non ignorauit B. Virgo resurrecturum Christum, quem toties id contestatum probè nouerat. Quare næui omnes & defectus à viatore detrectabiles B. Virginis intellectu absque vlla dubitatione ablegantor.

Sordes peccatorum actualium in Virginis voluntate, juxta Sectarios

6. VEnio ad peccatum à voluntate Virginis remouendum; atque adeò non ago de peccato originali quod insidet substantiæ ipsius animæ, sed de solo actuali, siue graui, siue leui. Sorduisse graui peccato B. Virginem effutiuerunt nuperi sectarij benè multi, quos adducit Feuard. ad 3. Irenæi c. 33. & Canisius l. 1. de Deip. c. 10. Allegant autem malignam (proh loquentis scelus, quo chartam inuitissimus polluo!) malignam inquam restrictionem diuinæ potentiæ inter respondendum Angelo salutanti, & Incarnationem nuncianti. Item absurditatem, imo perfidiam graui reprehensione

dignam, emittendi votum Virginitatis perpetuæ. Ad hæc sui ipsius prælationem, etiam ipsimet Deo, cui cum imperio jubere auderet; quo torquent præproperam petitionem miraculi in Cana. Nec aliter sonare videntur illa Hugonis à S. Victore l. de modo orandi c.3. descripta & approbata à Richardo de S. Laurentio l. 1. c. 5. *sub finem* [*deficiente vino, dicit Mater Iesu ad eum, vinum non habent.* Non dixit, peto vt defectum poculi, vinum creando aut commutando suppleas, sed hoc Maternæ reuerentiæ priuilegium deberi existimauit, vt quidquid vel innuendo se velle significaret, pati à filio repulsam non debuisset. Et hoc quidem justum fuerat, si tale aliquid ab eo petiisset, quod ille facere posset secundùm naturam, quam ab ea acceperat. Nunc autem quodammodò justè reprehenditur; quia ab ea natura, quam non dederat, obedientiam in miraculo exigebat. Et dicitur ei. *Quid mihi & tibi est mulier?* Miraculum enim facere, Dei est virtus, non hominis; & ideò cum à matre Christus homo de miraculo requiritur, idem non quasi homo, sed quasi Deus, mulierem non matrem de præsumptione causatur, Maria enim à Christo, non quasi mater exigere à filio, sed quasi mulier (si necesse fuisset,) miraculum humiliter postulare debebat.] Vrgent denique amissionem Christi pueri, & interpellationem Christi prædicantis, in quibus graues culpas agnoscunt.

7. Hæc quidem, & alia probrosiora quæ proferre religio vetat, de Virgine sanctissima impij sectarij quibus miser solo nomine Beatus Rhenanus ad librum Tertulliani de Carne Christi, in argumento libri, suffragator accessit, captato contra recentiorum (vt ait) Theologorum placitum, de B. Virginis impeccantia, patrocinio antiquorum; Origenis, Augustini, atque Chrysostomi in psal. 13. ad illud *vsque ad vnum.* Vt taceam homiliam de Simeonis occursu quæ idem habet, sed dubius Chrysostomi fœtus est. Huius autoritas, Philippũ Abbatem videtur abstraxisse, vt videre est l. 6. in Cant. c. 13. Origenem liquet homil. 1. in Genes. incredulitatem ad vocem primam Gabrielis objicere B. Virgini: Et hom. 17. in Lucam, in explicatione gladij quem transfixurum Virginis animam prædixerat Simeon, tribuisse Virgini hæsitationem de Christi resurrectione tempore passionis. Constátque eandem opinionem placuisse quibusdam Græcis eum secutis, vt Amphilochio hom. de occursu domini, & Tito Bostremo, & Theophilacto in c. 2. Lucæ. Nec non inter latinos, Autori qq. vet. & noui Testam. q. 73. quem Rhenanus nomine D. Augustini allegat, cum tamen sit Hilarius ille Diaconus orbis Deucalion, vt alio loco monstrandum est. Chronicon Alexandrinum in eandem sententiam adducit S. Basilium, cum deuenit ad Christi ætatem, & tempus infantiæ eius decurrit. Alios plerosque collegit Poza l. 4. Elucid. tract. 2. c. 4. nec omittendus Rupertus in c. 1. Matth. ad illud, *quod nascetur ex te sanctum.*

Repelluntur

Repelluntur autoritate, & ratione.

8. NIhilominus B. Virginem nunquam actualiter peccasse, certissimum est, vt ex sensu Ecclesiæ docet Trident. sess. 6. can. 23. Et idem definitum olim fuisse in Concilio Claremontano, refert Vega l. 14. in Trid. cap. 18. Esse de fide, censet Corduba l. 1. q. 17. §. 1. & q. 44. propositione 1. Exclusioni cuiuscunque peccati à Virgine, annuunt passim Patres ex quibus multa in hanc rem colligunt Spinellus in Throno Dei c. 7. Coccius t. 1. lib. 3. art. 1. Valent. 3. p. d. 2. q. 1. p. 3. Iustinianus latè in epistolam Iudæ vers. 25. à n. 7. Paucos signare selectiores, operæ pretium videtur, dimissis innumeris, qui B. Virginem vndecunque incontaminatam, & super quàm cogitare possimus, puriorem, ac nitentiorem prædicant.

S. Epiphanius orat. de laud. Deip. [formosior (Deipara) & ipsis Cherubin, & Seraphin, & omni exercitu angelico.] Hoc non diceret S. Epiphanius, nisi perspicuè supponeret Virginem nunquam peccasse. Constat enim Angelos Sanctos, semper caruisse peccato. Si igitur B. Virgo illos superauit spirituali pulchritudine quæ peccatum remouet, omnino fatendum est, eam nunquam peccasse.

9. S. Augustinus l. de natura & gratia c. 36. [Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.] Quamuis eo loci D. Augustinus, præsertim agit de peccato Originali, vt superiùs aduerti puncto 2. Tamen eius assertio generalis est, & eius ratio æquè militat aduersus omne peccatum. Et ita S. Augustinum accepit Richardus à. S. Laurentio, vt mox referam & Magnus Albertus in proœmio operis de laudibus B. Virginis.

S. Hildefonsus serm. 1. de Assumpt. B. Virginis, perpulchrè confert illam cum Arca testimonij, quia & in se habuit manna, panem inquam illum qui de cœlo descendit, & legem seu tabulas, à quibus nunquam deflexit; supra eam verò fuit propitiatorium & Cherubin hinc inde obumbrantia, quia nullum ei extrinsecùs obrepsit peccati contagium, protegente cœlesti fauore. Itaque & intùs & extra à peccato immunis fuit juxta S. Isidorum, qui paulo ante eodem retulerat arcæ inaurationem auro mundissimo apposito intus & foris, juxta edictum Domini Exodi 25.

10. Petrus Damiani serm. 3. de Natiu. Virg. [Quid sanctitatis, quid justitiæ, quid religionis, quid perfectionis, singulari huic Virginis deesse potuit, quæ totius diuinæ gratiæ, charismate plena fuit? sic namque ab Angelo, dum salutaretur, audiuit; *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Quod, rogo, vitium in eius mente, vel corpore vindicare sibi potuit locum, quæ ad instar cœli, plenitudinis totius diuinitatis, meruit esse sacrarium?]

Et serm. 40. tractans illud *quæ ascendit de deserto.* [*Quæ ascendit* (inquit,)

per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij. Ista est speciosa inter filias Ierusalem. Desertum est vastitas huius mundi, in quo bestiæ agri frequentiùs ludunt, vbi Princeps ille nequissimus, omni fortitudine principatur. Desertum autem dicitur, quasi derelictum à virtutum administratione, cum earum conuentus, abundante iniquitate, ad proprios reuolauerit. *Quæ ascendit*, inquit. In huius sæculi vanitates, omnes vel descendere, vel cadere cognoscuntur, rarúsque qui non vel descendat, vel cadat in huius turbulentissimæ profunditatis oceanum. Sola illa Mater, & Filia Creatoris, nec descendit, nec cecidit; sed de virtute in virtutem ascendens, consummatione virtutum vestita est.]

11. S. Damascenus Orat. 1. de Natiu. B.V. omnes in ea ad peccatum aditus obseratos, sic obseruat, alloquens ipsam. Sanctam omnem, & cum animæ vtilitate coniunctam cogitationem habes: contrà, superuacaneam omnem & animis exitiosam, antequàm gustes, ejicis. Oculi tui semper ad Dominum, perenne atque inaccessum lumen intuentes. Aures diuinum sermonem audiunt, ac Spiritus cythara oblectantur: per quas Verbum carnem assumpturum, ingressum est. Nares vnguentorum sponsi odore deliniuntur, quod quidem diuinum vnguentum est sponsi exhaustum, atque humanitatem suam vngens. *Vnguentum enim effusum nomen tuum*, inquit Scriptura. Porrò labia tibi sunt, Dominum laudantia, ipsiúsque labris adhærentia. Lingua & fauces, Dei verba discernentes, ac diuina suauitate ad satietatem vsque fruentes. Cor purum ac labis expers, Deum spurcitiæ omne carentem cernens, ipsiúsque cupiditate flagrans. Venter in quo habitauit is, qui nullo loco capi potest. Lactis vbera, quæ Deum puerum Iesum aluerunt. Porta Dei, perpetua virginitate prædita. Manus Deum gestantes, & genua (thronus Cherubinis sublimior,) quorum ope atque adiumento manus languentes, ac genua dissoluta, robur contraxerunt. Pedes, Dei legi tanquam lucerna deducti, ac post eam irretorto cursu properantes, quoad vsque amatum ad amantem pertraxerunt. Tota spiritus thalamus es, gratiarum pelagus, tota pulchra, Tota Deo propinqua.]

Fulbertus Carnotensis homil. 1. de Nat. Deip. quam nomine homiliæ approbatæ consuetudinis apud Richardum à S. Laur. l. 5. de laud. Deip. *fere initio*, allegatam inuenio, quia initium ab illis verbis habet. [Hoc imprimis astruere fas est, quod anima ipsius & caro quam elegit & habitaculũ sibi fecit Sapientia Dei Patris, ab omni malitia & immunditia, purissima fuerunt, affirmante scriptura, *quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

12. Philippus abbas tametsi alicubi incommodiùs loquitur vt vidimus, tamen aliàs explicatissimè astipulatur huic veritati; vt lib. 2. in Cant. c. 5. sic inducens Deum affantem Virginem ab Originali labe purgatam. [Te potens eques, auriga doctus per medium maris duco, & hinc inde remotis fluctibus ad terram viuentium solidam te perduco. Stat à dextris & sinistris, aquarum imminens altitudo, quas in modum maceriæ fixas tenet inuisibilis fortitudo: Obstupescunt & mirantur nouo & insueto genere se teneri, quadrigæ datur

viam, & vndas labiles non timeri. Sic enim versans & conuersans inter medium peccatorum, hinc gentium stultitiam, illhinc attendens scandala Iudæorum, ex eorum malitia non culpam tibi contrahis non peccatum; non frangeris opprobriis, non iter deseris præmonstratum. Nec solùm caput tuum non premit, vel opprimit vndæ congeries imminentis, sed nec riuus præteriens, pedes attaminat incedentis, imo pede sicco, puro vestigio, munda vita, viam præteris huius mundi, nullo vitiorum attactu lacessita.] Rursus lib. 4. eiusdem Operis c. 1. [Viuens in corpore, mortis necessitatibus obuoluto, vitam vitiis obnoxiam, cursu peragit impolluto.]

S. Bernardus ser. 2. de assumpt. [Virginalem domum intelligi volens Spiritus, siluit non incongruè pœnitentiam, quæ malum vtique comitatur. Absit enim vt proprij quicquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, vt in ea proinde scopa Lazari quæreretur.] Et mox. [Proprium Maria delictum non habuit; nihilominus ab innocentissimo corde etiam pœnitentia longè fuit. Sit ergo Lazarus apud eos quorum necesse est ab operibus mortuis conscientias emundari, secedat inter vulneratos dormientes in sepulchris, vt in thalamo Virginali, inueniatur Martha & Maria tantùm.] *Proprium peccatum* quod à Virgine remouet disertè contraponit peccato originali, quod quamuis inest vnicuique proprium juxta Tridentini definitionem tamen spectato principio vocatur peccatum commune. Itaque S. Bernardus perspicuè B. Virginem omni actuali peccato eximit. Idem Epist. 174. [Ego puto quod & copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit quæ ipsius non solùm sanctificaret ortum, sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem; quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum, reginam virginum singularis priuilegio sanctitatis, absque omni peccato ducere vitam, quæ dum peccati mortisque pareret peremptorem, munus vitæ & justitiæ, omnibus obtineret.]

13. Guerricus Abbas serm. 2. de Assumpt. sic inducit loquentem Virginem. [Ne judices temeraria, quod maiora me quærere videar, *Osculetur me osculo oris sui.* Si quid mihi conscia essem, contenta essem cum Maria Magdalena, osculo pedum, vbi indulgentia sumitur delictorum. Sed quia in omni vita mea, non me reprehendit cor meum, non puto me arroganter flagitare, de osculo oris, gratiam gaudiorum.] Idem serm. 2. de Annunc. exponens quomodo Virgo dicta sit *Petra deserti*, Isaiæ 16. non modò puram vsquequaque & nitentem à peccato exhibet Virginem sed addit, [sensu quoque ipso, aduersùs illecebram peccati, tota insensibilis erat & lapidea.]

Petrus Cluniac. lib. 3. epist. 7. nitentem semper, ac puram ab omni actualis culpæ labe, S. Virginem profitetur.

Ekebertus Abbas in deprecatione ad Virginem, sic eam affatur. [Hortus conclusus tu es Dei Genitrix, ad quem deflorandum, manus peccatoris nunquam introiuit. Tu sanctorum areola aromatum, à cœlesti consita pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernas.] Subdit paulo post, quàm fortiter B. Virgo aduersus omnes vitiorum & peccatorum

duce Satana acies, & bellauerit & vicerit. Sub initium item deprecationis dixerat eidem; [Tu mundum hunc immundum & lubricum impolluto calle transiisti, & adhuc inter peccatores degens, tanta ante Deum sanctitate fœcundabaris, vt sola solio Regis æterni, immediatè approximare merueris.]

14. Richardus Victorinus l. 2. de Emmun. à. c. 25. ad 31. multus est in Beatissimæ Virginis exquisitissima puritate celebranda. Sed concinnè cap. 29. bella vsque ad terræ finem contrita, interpretatus securitatem à tentationibus; scuta autem de quibus eodem psalmo 45. interpretatus excusationes in peccatis; addit, hæc scuta in Virgine esse combusta igni. [Quia vbi non est locus accusationi, nullus procul dubio relinquitur excusationi. Quem sua namque conscientia in nullo accusat, non est vnde excusare se oporteat. Virginalis itaque illa puerpera cui nihil de plena virtutum consummatione defuit, in nullo omnino excusatione aliqua eguit. Nam si vel impossibilitas ipsa aliquid in ea de aliqua virtutum perfectione minuit, profectò pro ea parte, eadem ipsa impossibilitas ei ad excusationem fuit. In eo ipso itaque supereminentis, & supra modum æstuantis amoris datus cœlitus ignis, designata excusationum omnium scuta exussit, quia plenitudo gratiæ, charitatisque consummatio nihil spiritualis infirmitatis, nihil imperfectionis reliquit, quod vel per impossibilitatem excusari oportuerit. Ex his itaque aduertere licet, quod Emanuelis nostri puerpera in omni fuerit virtutum cōsummatione perfecta. Quis illud primum & maximum mandatum sic vnquam impleuit? Quis sic vnquam implere potuit? *Diliges dominum Deum tuum ex tote corde tuo, & ex tota anima tua*? Ex hac vtique exæstuantis amoris flamma, exusta sunt scuta illa jam dicta.] Non potuit Richardus, explicatiùs à Virgine remouere omne peccatum actuale. Sed non minus perspicuè aut validè in Opusculo de differentia sacrificij Abrahæ & Mariæ, vbi assumens, B. Virginem nec metu patiendi, nec metu cadendi experiisse abitum è vita, probat eam non posse vrgeri desiderio mortis, metu cadendi, [quia in carne qua Christi carnem genuit, atque nutriuit, nihil contradictionis portauit. Ad momentaneum contactum dextræ salutaris, leprosus mundatur, ad tactum fimbriæ mundata est & illa, quæ fluxum sanguinis patiebatur, quantò magis illam ab omni contagio mentis & corporis mundari oportuit, quæ tamdiu totum in vtero, quæ toties totum in gremio circumplexa fuit? quæ illius, vt sic dicam, medelæ quæ tollendis omnibus omnium morbidorum morbis, satis supérque sufficere possit?] Argumentum ei geminum quod Basilius Seleuciæ orat. 39. petit ex lapidibus quibus constant tumbæ sanctorum, & ex vmbra ac semicinctiis B. Petri, per quæ Deus tot & tanta operatus est, indubio argumento quod longè acceptiorem habeat matrem sanctissimam. Nisi quod Basilius inde eruit potestatem Deiparæ, Richardus verò elongationem à culpa. Et quanquam agere duntaxat videtur de tempore quod intercessit post Christi conceptionem, tamen idem insinuat de anteriori quoque Virginis ætate; cum eo tamen discrimine, quod ante conceptionem Christi, posset in Virginem cadere peccatum, non item post Christi productionem; quod discrimen nunc non

moramur, contenti nitentissima juxta Richardum vniuersa Virginis vita.
15. Confirmatur insigni loco ex eodem Richardo, suo capite 26. in Cant. vbi exponit illud *tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* [Beata (inquit,) Maria Virgo, tota pulchra fuit, quia sanctificata in vtero. Ab vtero quoque egressa, nec mortale vnquam nec veniale commisit. Et ante conceptionem quidem filij Dei, priùs per gratiam custodita est à peccatis. Post hanc verò ita confirmata est ex virtute altissimi, obumbrata & roborata, vt peccatum omnino committere non potuerit. Ex quo templum Dei facta est, ita priuilegiata est, vt nullatenus aliqua macula potuerit deturpari. Tota item pulchra fuit, quia plena gratia, vt nec vllum vel minimum veniale in ea fuerit, quo minùs in ea locum gratia habere potuerit. Cum enim aliquis aliquod veniale committit, tunc non meretur, nec augetur in eo gratia. Tota ergo fuit pulchra, quam totam possedit gratia, quia nullum in ea locum habuit peccatum.] Addit inferiùs, dæmones quoque, obstupuisse, videntes immunitatem eius à peccatis. Cum nemo vnquam Sanctorum fuerit, qui alicui maculæ peccati actualis non subiacuerit præter ipsam. [Luna enim quæ nocte splendet, & stellæ non sunt mundæ in eius comparatione; Idest hi vitæ sanctitate lucent vt Luna, vel stellæ, in nocte huius vitæ, obtenebrantur in eius comparatione. Obtenebrantur enim stellæ, idest Sancti, caligine humanæ culpæ, sed B. Virgo, tota pulchra fuit, quam totam illustrauit & perfudit Sol justitiæ, vt nec maculam habuerit, nec tenebras culpæ.]

Diuinissimè quoque in hanc rem disserit suo c. 39. in Cant. tractans illud, *species eius vt Libani*, quod ad Virgines aptat, & concludit. [Species itaque Christi, sunt virgines, sed beata Virgo specialis eius species, quæ speciem suam nunquam per aliquod peccatum mortale vel veniale maculauit. Vnde speciem eius Rex cœlestis concupiuit, in ea carnem sumens, amplius hanc speciem decorauit, quia ampliori eam gratia repleuit. Mundo itaque tenebris obuoluto & deformato, adeò Solem justitiæ speciosum forma præ filiis hominum edidit, & ita lumen cæcitatis, & speciem deformitatis speciosam restituit. Ipsa igitur singulariter species Christi præ omnibus speciosa, Christóque simillima, non solùm speciem Christi ipsa habens, sed etiam aliis hanc restituens. Maria itaque supra homines est, in eo quod nunquam peccatum commisit, sicut homines inter quos nullus inuentus est, qui faciat bonum & non peccet. Supra Angelos quoque est, quia eos puritate supergreditur, dum diuinitatem clariùs illis contemplatur. Nec tantum peccatum non commisit, sed etiam aliorum peccata deleuit. Nec solùm in se lucida fuit, sed etiam lucis radios ex se emisit, quia per eam mundus lumen gratiæ accepit. Inter diuina itaque & humana, media & mediatrix est Maria, vt humana supergrediatur, dum tam sublimia per filium operatur.]
16. S. Birgitta in celebranda immunitate B. Virginis, à quocunque etiamsi minutissimo peccato, frequens est. Sed luculenter id expressit lib. 1. reuelat. c. 31. ex S. Ioannis Baptistæ reuelatione. [Ista Regina cœli sic pura fuit, quod vna macula peccati, inueniri nũquam potuit in ea, à principio ingressus

eius in mundum, vſque ad vltimam diem mortis ipſius. Nec omnes Diaboli, tantam impuritatem reperire poterant in ea, vbi cuſpis acus poni poſſet. Ipſa verè erat puriſſima. Nam non decuit Regem gloriæ jacere niſi in vaſe puriſſimo, & mundiſſimo, & electiſſimo præ omnibus Angelis & hominibus.] Et lib. 3. c. 8. ipſa Virgo de ſe loquens inducitur. [Ego ſum illa quæ ab æterno in charitate Dei ſum, & ab infantia mea Spiritus ſanctus perfectè erat mecum. Et ſicut de nuce exemplum habere poteris, quæ cum creſcit, dilatante ſe teſta, quæ extrinſecùs eſt, dilatatur, & creſcit etiam nucleus qui intrinſecus eſt: ita vt nux ſemper ſit plena, & nihil in ea vacuum quod capax ſit alicuius rei exterioris: Similiter & ego ab infantia mea, plena eram Spiritu ſancto, & juxta corporis & ætatis meæ accreſcentiam, tam affluenter me totam repleuit Spiritus ſanctus, quod nihil in me vacuum reliquit ad peccati alicuius introitum. Et ideò illa ego ſum, quæ nunquam peccatum commiſi veniale nec mortale. Ego quippe in charitate Dei tam ardens eram, quod nihil mihi placuit, niſi perfectio voluntatis Dei.]

S. Anſelmus frequenter agnoſcit ſummum per vniuerſam vitam Deiparæ nitorem à peccatis actualibus, ſed pulchrè eo loco quem deſcripſit Albertus Magnus in calce procœmij, Operis de laudibus B. Virginis. [Ego puto quod copioſior ſanctificationis benedictio in eam deſcendit, quæ ipſius non ſolùm ſanctificauit ortum, ſed etiam vitam ab omni deinceps peccato cuſtodiret immunem, quod alteri nemini in natis mulierum creditur eſſe donatum. Decuit nimirum Reginam Virginum, ſingulari priuilegio abſque omni peccato ducere vitam, quæ dum peccati mortiſque pareret Redemptorem, munus vitæ & juſtitiæ omnibus obtineret.]

Laurent. Iuſtin. ſerm. de Annunc. [Quis huius Virginis gratiam ſufficit enarrare? Ab ipſa namque ſui conceptione, in benedictionibus eſt præuenta dulcedinis, atque à damnationis aliena chirographo, priùs eſt ſanctificata, quàm nata. In ipſo enim vtero materno, iam poſita ſuper illam gratia ſanctificationis effulſit, vt potè ei quæ electa erat, vt pareret Deum. Nouerat opus ſuum ille, qui fecerat, & quale futurum erat, certiſſimè agnoſcebat. Hinc eſt, quod Virginem ipſam tam largo imbre Spiritus irrorauit. Erat planè ſicut à carnis colluuione immunis, ita & ab omni peccati labe extranea.]

17. Richardus à S. Laurentio l. 1. c. 1. *in fine*, poſt multa in hanc rem. [Fuit immunis ab omni peccato. Sed numquid in ſummo? Vtique in ſummo creaturæ; vnde Auguſtinus; Quotieſcumque loquimur de peccatis, nullam de Beata Virgine facimus mentionem. Anſelmus etiam dicit, quod ea puritate nitebat, qua ſub Deo maior nequit intelligi.] Locus Auguſtini quem profert, allegatus jam eſt ex libro de Natu. & gratia c. 36. Locus verò S. Anſelmi habetur l. de Conceptu Virgin. cap. 18. eſtquè apud S. Thomam & omnes Scholaſticos velut axioma, omnibus probatum & indubitatum. At liquet B. Virginem falsò aſſertum iri nitentem ea puritate qua maior ſub Deo nequit intelligi, ſi peccato aliquo actuali, quantumuis minuto ſorduiſſet,

vt rectè inde argumentatus est Richardus: qui eiusdem libri cap. 3. tractans cur B. Virgo dicatur *stella maris*, idcirco eam denominatam ait *stellam maris*, quia per vitæ puritatem clara semper & lucida fuit, non habens in se maculam, & tota pulchra. Item quia cum aliæ stellæ circumuoluantur & gyrent perpetuò, sola stella nostra polaris Maria, immobile punctum quod est cœli principium, inseparabiliter adhærens, tenuit immutata per peccatum; persistens immobilis in jugi & irrequieta cœterorum hîc sanctorum, modò ad occasum deflexione, modò reuersione ad ortum. Ne verò quis eam nominis *Mariæ* notationem, qua juxta quosdam *mare amarum* sonat, traheret ad aliquam peccati actualis amaritudinem Virgini inspergendam, disertè admonet, eam amaritudinem minimè pertinere ad peccatum vel pœnitentiæ gemitum, quæ in Virginem cecidisse negat, sed ad dolorem pro filij perpessionibus, & excœcatione populi Iudaici, quam fuisse sibi jugis amaritudinis materiam, Paulus tanto Virgine inferior, Rom. 9. contestatur. Idem Rich. lib. 2. particula 2. [Credamus insuper, quod immaculata & sine peccato vitam duxit in mundo, præseruata à Sapientia Dei, quæ *non intrat in animam maleuolam, nec habitat in corpore subdito vitiis, & peccatis.* Sapientiæ 1. Ipsam enim velut pupillam oculi, semper ab omni nociuo Deus Trinitas conseruauit. Vnde dicit de ea, *nocte & die seruo eam, indignatio non est mihi* Isaiæ 27.] Et lib. 3. non multum ab initio, laudato in hanc rem loco S. Bernardi supra adducto ex eius Epistola 174. huc accommodat quod Deipara Cant. 6. dicitur *electa vt sol*, quem nec ignis comburit, nec aqua emollit, nec gladius scindit, nec fœtor corrumpit, nec vitrum impedit. Hoc item esse ait, quod sub imagine ciuitatis sanctæ Hierusalem dictum est, Apocal. 21. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, & faciens abominationem, & mendacium,* qua triplici labe exclusa, peccatum cogitationis, oris, & operis, à Virgine remotum affirmat.

18. Sed quid sanctos & pios doctores adduco, qui præseruationi Deiparæ à quouis veniali peccato attestentur, cum etiam externi idem senserint? Antiquos Rabbinos ita pronunciasse, legere est apud Galatinum l. 7. c. 2. & 11. Et idem visum Masumeti cuius verba adscripsit Mendoça l. 2. florum problem. 3.

Ratio huius veritatis non est quærenda alia quàm beneplacitum Dei, qui summè complacuit sibi in anima B. Virginis: quam cum destinasset ad summum munus quod puræ creaturæ possit committi, congruum fuit sic decorari, vt nihil in ea esset matre Creatoris indignum: cuiusmodi profectò esset quodcunque peccatum, non graue tantùm, sed etiam leue. Vt propterea sensus Ecclesiæ, teste Concilio Tridentino sess. 6. can. 23. ferat, non obstantibus variis vniuersalibus scripturarum & Conciliorum locutionibus, quibus traditur non esse qui non peccet; tamen B. Virginem nunquam peccasse, atque adeò illis vniuersalibus sententiis non comprehendi sicut ab eadem Synodo, non comprehenditur iis locis quibus natiua omnium inquinatio asseritur. Et consentaneè ad hoc, addunt D D. B. Virginem cum orationem dominicam recitaret, ex præscripta à Christo orandi formula; petitionem illam: *dimitte nobis debita nostra,* non nisi in persona Ecclesiæ pronunciasse, vt rectè statuit

Toletus in c. 11. Lucæ annot. 13. & Aug. de Ancona ad 5. petitionem orationis dominicæ q. 3. qui ponderat proprietatem vocum *dimitte nobis*, non *dimitte mihi*. Præstiterunt Deiparæ hanc impeccantiam, singularia auxilia quibus à Deo præuenta est, & firmata in bono: ita vt nunquam conciderit, vel etiam leuiter titubarit.

Fundamenta contraria, euertuntur.

19. QVæ in contrarium sunt adducta, nullius planè sunt momenti. Scripturæ enim quas aduersarij ad peccatum Deiparæ affricandum consarcinant, nihil minùs ferunt, vt Vasques plenè prosequitur 3. p. d. 120. c. 3. & 4. Imo furor aduersariorum, & mania in Dei sanctuarium apertissimè proditur, iis blasphemiis fundendis, quibus illud conspurcare satagunt. Quid enim sceleratius, quàm malignè restrictæ diuinæ potentiæ arguere Virginem, sonantissimam diuinæ potentiæ præconem, toto propè suo Cantico? Quid spurcius, quàm eidem dicam impingere ob deuotam numini Virginitatem? Prætulisse se Deo Deiparam, immanis calumnia est, nullo ex capite probanda. Filio jussisse cum imperio & arroganter, falsissimum est. Vel si vspiam apud pios, aliquid illud imperium matris in filium redolens legitur, glossandum est, vti factum à Richardo de S. Laur. l. 3. priuilegio 9. [Cum omnes alij (inquit,) sancti & Angeli, possint Christo supplicare, & à Deo exaudiri. Vnde & dicit eis, *Petite & accipietis*. Matth. 7. Ipsa sola, materna autoritate potest ei vt filio imperari. Quod signatum est 3. Regum. 2. vbi legitur, Salomon, qui signat Christum, respondisse matri suæ. *Pete mater mea, neque enim fas est, vt auertam faciem tuam, &c.* Ad hoc etiam figurandum 3. Regum 10. dicitur, quod Rex Salomon, *Dedit Reginæ Saba omnia quæ voluit, & petiit ab eo, &c.* Quæ videlicet Regina significabat Mariam. Ideò sic oramus eam, *Monstra te esse matrem*, quasi diceretur ei, imperiosè & materna autoritate supplica pro nobis filio tuo. Item illud, *Ora patrem, jube natum.* Dicunt autem quidam, hoc non benè fuisse dictum. Sed mentita est iniquitas sibi. Nonne legitur Lucæ 2. de Iesu, *quod erat subditus illis*, scilicet Mariæ, & Ioseph propter Mariam? & ibidem, quod ipsa materna fungens autoritate corripuerit filium, dicens, *Fili quid fecisti nobis sic?* & paulo post subiungitur, quod audita correctione materna, patienter & absque murmure *descendit cum illis Nazareth; & erat subditus illis.* Non enim euacuabitur præceptũ in patria illud Dominicum. *Honora patrem & matrem.* Exodi 20. sed perfectissimè adimplebitur. Nihilominùs hæc omnia intellige de reuerentia quam Dei filius exhibet matri suæ, & in subiectione, qua Christus fuit subditus parentibus, formam humilitatis nobis & obedientiæ commendauit: nec fuit illa subiectio necessitatis, sed pietatis, sicut dicit ibidem Glossa, & quid parentibus debeamus ostendit.]

20. Habemus hinc, idoneam glossam illius imperij Virginis in Filium, quod interdum insinuatur à piis cœteroqui viris, quorum quædam dicta attigit Richardus. Et addere poterat illud Petri Damiani serm. 44. *sub finem*, vbi sic affatur

affatur Virginem. [Nihil tibi impossibile, cui possibile est, desperatos in spem beatitudinis releuare. Quomodò enim illa potestas tuæ potentiæ poterit obuiare, quæ de carne tua, carnis suscepit originem? Accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solùm rogans sed imperans; Domina, non ancilla. Moueat te natura, potentia moneat, quia quantò potentior, tantò misericordior esse debebis.] Hugo Victorinus non dissimiliter lib. 3. Miscell. c. 44. [Quomodò illa potestas tuæ potentiæ poterit obsistere, quæ de carne tua carnis suæ suscepit originem? Accedis ad illud reconciliationis altare, non solùm rogans, sed & imperans.] Æmulatus quoque istos est Cantipratanus l. 2. Apum c. 29. num. 28. his verbis. [Quis non videat & plenè collaudet, illam misericordiæ patronam & matrem, quæ speciali priuilegio, Christo potest imperare vt Filio, & reconciliare miseros quos noxa proscripserat?] Hæc omnia, eo quo Richardus modo, sunt accipienda; eáque temperatione adhibita subducuntur sannis Nouatorum, qui perpetui sunt in exaggeranda atrocitate huius (vt blaterant) erga Christum iniuriæ, per speciem honorandi Deiparam.

21. Porrò longè alio, hoc est Dei Spiritu, postulationem matris pro vino in nuptiis Cana, (cui postulationi hanc calumniam inædificarunt aduersarij) accepit) S. Bernardus l. de gradibus humilit. *ferè in fine.* [Disce (inquit,) & in matre Domini magnam in mirabilibus fidem habere, in magna fide verecundiam retinere. Disce verecundia decorare fidem, reprimere præsumptionem. *Vinum*, inquit, *non habent*. Quàm breuiter, quàm reuerenter suggessit, vndè piè fuit sollicita. Et vt discas in huiusmodi magis piè gemere, quàm petere presumptuosè, pietatis æstum pudoris temperans vmbra; conceptam precis fiduciam verecundè suppressit. Non frontosè accessit, non palam locuta est, vt audacter coram omnibus diceret: Obsecro fili, deficit vinum, contristantur conuiuæ, confunditur sponsus, ostende quid possis. Sed licet hæc aut multo plura pectus æstuans, feruens loqueretur affectus; priuatim tamen potentem pia filium mater adiit, non potentiam tentans, sed voluntatem explorans. *Vinum*, inquit, *non habent*. Quid modestius? Quid fidelius? Non defuit pietati fides, voci grauitas, efficacia voto. Si ergo illa cum mater sit, se matrem oblita non audet petere miraculum vini, Ergo vile mancipium cui permagnum est filij simul ac matris esse vernaculum, qua fronte præsumo petere?] En quàm abest ab arrogantia, & imperio inuerecundo, matri respectu Christi tribuendis, S. Bernardus.

22. Amissio Christi duodennis, fuit planè innoxia, vt liquet ex iis quæ habet Toletus in c. 2. Lucæ annot. 70. Denique interpellatio Christi concionantis, conficta est. Et quamuis vera esset, potuisset esse honestissima, quippe facta ad Christum à nimio labore refocillandum, vt ex Euthymio obseruat Castro in histor. c. 15. *in fine.* Accipe longè aliter in hac parte, de B. Virgine statuentem, quàm impij Sectarij faciant, S. Bernardum serm. in illud *signum magnum*. [Gratissima sanè (inquit,) gemma in diademate, micans in capite stella, rubor in facie hominis verecundi. An verò quis putat quod

hac caruerit gratia, quæ gratia plena fuit? Pudibunda fuit Maria: Ex Euangelio id probamus. Vbi enim aliquando loquax, vbi præsumptuosa fuisse videtur? Foris stabat quærens loqui filio: nec materna autoritate aut sermonem interrupit, aut inhabitationem irruit in qua filius loquebatur.] Apage igitur nugas aduersus Dei matris innocentiam ex Scripturis.

Molliti, vel modestè reiecti quidam Patres circa Virginis impeccantiam.

23. NEc firmiora sunt quæ adducebantur ex Patribus. Inprimis quia cespitatio paucorum illorum qui adducebantur, non posset officere sensui explicatissimo tot aliorum Patrum in contrarium. Deinde illos ipsos qui proferebantur, alibi alia sensisse constat. Sanè Origenis egregium locum, planè contrarium ei qui adductus est ex hom. 17. in Lucam, legere licet in Catena Corderij Lucæ 2. vers. 35. vbi conceptis verbis infidelitatem remouet à B. Virgine, & omnem vitiosam affectionem tempore patientis Christi nominatímque gladium pertransẽütem animam, quem de infidelitate alibi accipit, rectè hic exponere. [Beatissimæ (inquit) ac semper Virginis Mariæ animam, gladius pertransiuit, sub ipsam salutarem Christi passionem; illa nusquam diffidentibus cogitationibus concussa, non infidelitatis iaculis vulnerata, nec pro iis quibus gauisa fuerat in dolorem mutata, sed permittente viscera materna crucifixo filio agere, quæ propria sunt insitæ compassioni. Quid enim mater non passa sit, videns suum Filium, eúmque maximè qui humana erat natura sublimior, maleficorum supplicia sustinentem? Hæc vtique passio Verbi, immaculatissimæ Matri, quouis gladio acutior acerbiórque accidit. Tametsi enim multa habuerit argumenta, vt sciret Filium suum esse Deum incarnatum; attamen non in omnibus soluit naturæ leges, sed intra honestatis limites, naturæ quæ illi propria sunt, indulsit. Quocirca passionem horribilem cernens, maternis oculis propositam spectaculo, quasi plaga gladij, eius anima concidebatur atque diuidebatur.]

24. Locum Chrysostomi adductum in contrarium, ex commentario in psal. 13. Suares t. 2. 3. p. d. 4. s. 3. *in fine* diluit negando eum commentarium extare. Sed hoc malè negatur. Itaque præstat Chrysostomum exponere de admiratione quadam & stupore, quo visa re noua, animus ita defixus hæret, vt quasi dubitare videatur. Quod si ea responsio minùs quadret, dicendum erit cum S. Thoma 3. p. q. 27. art. 4. ad 3. S. Chrysostomum excessisse. Sic enim diluit S. Thomas quod D. Chrysostomus dixerat, B. Virginem miraculum à Christo expetiisse ex vanitate, & inanis gloriæ captatione. Quid si verò interpolatrices, & adulteratrices manus, textum corrupisse quis dixerit, cum Poza de variis Patrum locis circa hanc materiam ita pronunciante lib. 4. Elucid. tract. 2. cap. 4. Certè homil. de Purificat. S. Chrysostomus disertè habet, Deiparam nunquam peccasse. Quod è diametro pugnat cum illis aliis Chrysostomi locis, in quibus Deiparæ peccata agnoscit. Multus est in

Chrysostomo hac in parte emaculando, Sixtus Senensis lib. 5. bibl. annot. 104. & lib. 6. annot. 58. & 138. 139. 140.

25. De Ruperto, hæreo anceps. Nam tametsi quod sæpè admonui, eius autoritas in dogmatibus non est tanti: tamen ea tradit loco citato, quæ ferri nulla ratione queant, si cortex verborum spectetur. Ait ergo aliud esse Spiritum sanctum dari ad remissionem peccatorum, aliud verò dari ad diuersas operationes de quibus Apostolus 1. Cor. 12. Hoc secundò modo, fatetur Spiritum sanctum esse datum B. Virgini omnium primæ, nec ante punctum conceptionis Christi. Nam vt omnino sanctum esset quod ex ea nascebatur, oportebat ipsam sanctificari, idest emundari ab omni peccato, tam actuali, quàm originali. Sic ibi Rupertus tractans illud *quod nascetur ex te sanctum*. Vbi dissimulo, quod ait, vt Christus omnino sanctus esset, oportuisse matrem sanctificari. Reuera enim quantumuis mater Christi sorduisset peccato, Christus ex ea nasci potuisset, neque tamen minus sanctus fuisset, quàm nunc sit: quia sanctificatio orta ex vnione ad Verbum, & fons totius secundariæ sanctitatis Christo communicatæ, fuit independens à sanctitate matris, vt dictum est l. 4. de Christo s. 1. c. 5. sed hoc (vt dixi,) dissimulo.

Illud verò quomodò ferri potest, quod B. Virgo prima omnium mortalium, acceperit remissionem peccatorum? Videtur sanè id esse, quod S. Thomas opusc. 1. c. 16. damnat hæreseos. Nec lenietur difficultas, si dicamus, nomine *remissionis peccatorum* intelligi gratiam peccatorum remissiuam. Nam ne hoc quidem verum est: cum anteriores quoque justi, sint donati eo beneficio. Et quanquam hoc exponi posset per ea quæ apud ipsum Rupertum leguntur l. 4. de process. Spir. sancti c. 12. tamen quæ glossa commodè exponet, quod dicit Rupertus, B. Virginem primùm accepisse remissionem peccatorum & actualium, & originalis, in momento conceptionis Christi? An non saltem sanctificata est in vtero ante natiuitatem? Quare quid in mentem venerit Ruperto, vt ista tam multipliciter erronea effutiret, planè non assequor, nisi vel codex vitiatus est, vel quid aliud subest verbis, quàm eorum cortex præferat.

26. Cœteroqui sunt apud Rupertum loca ipsis solis radiis scripta, pro nitentissima ab omni actuali labe Virginis anima. Libro enim 8. in Cant. sic habet alloquens Virginem. [Nunquam aduentus spiritualis accipitris, tibi esse improuisus: aut te consequi, imo nec tibi appropinquare potuit.] Ibid. lib. 4. [mens tua nulli vitio, nulli spirituali nequitiæ, fuit vnquam penetrabilis.] Item lib. 6. [Tu ô libera Sunamitis, ô dilecta singularis, libera es ab omni jugo peccati.] Denique quicquid Rupertus, aliusuè quispiam aduersùs summum Deiparæ nitorem voluerit, B. Virgo nullo vnquam vel minimo peccato sorduit. Laudat S. Paulinus carm. 5. Baptistam, semideum (vt ait) virum qui labe immunis ab omni, cum sua tam sæuis cruciarit corpora pœnis, præscripsit quid nos vel post peccata deceret; Estque non inuerisimilis sententia quam nulli censuræ obnoxiam statuunt Suares t. 2. 3. p. disp. 24. sect. 4. & Driedo l. 1. de grat. & lib. arbit. cap. 5. parte 2. tuentúrque absolutè

Catharinus l. de eximia Christi prædestinatione,& Galatinus lib. 7. de Arcanis cap. 9. nempe S. Ioannem Baptistam, nunquam ac ne tenuissimè quidem peccasse. Quantò justius ergo idem de Virgine statuendum?

Inordinationes nostrates, à Virginis appetitu ablegatæ.

27. PErgo ad appetitum sensitiuum Virginis, omni dedecente inordinatione & effrœnatione liberandum. Fuisse in Virgine affectus nostros, debet esse extra dubium, cum fuerint etiam in Christo. Idque in particulari, & singillatim quoad Deiparam, de variis affectibus & passionibus appetitus monstrat Canisius l. 4. de Virg. c. 13. Difficultas tantùm est,de defectibus quibus in nobis actus illi grauantur anteoccupando & præueniendo rationem, eámque vt gemit Apostolus, captiuando sub lege peccati. Hos enim nostrates defectus & depopulatricis flammæ vagum ardorem, & vniuersa perlustrans incendium, (vt loquitur Autor sermonis de Circumc. apud Cyprianum,) & Apostoli sunt experti mœrentes. Ibidémque elegantissimè sub aliis variis metaphoris, eam appetitus rebellantis aduersus spiritus ferocitatem, eodem sermone describit.Idem verò optimè,& concinnissimè de more serm.de Natiu. Christi;quanta esset Deiparæ hac in parte pax, his verbis exprimit. [Spiritus sanctus possidebat domum suam, & templum quod sibi consecrauerat, adornabat. Seruabat sacrarium suum, & sanctimoniæ thalamum honorabat: lætificabant consolationes huiusmodi animam benedictam, & tanti habitatoris reuerentia, concupiscentiarum ludibria abigebat, legem mentis, lex carnis non infestabat, rebellio nulla quietem spiritus affligebat.] Non potuit aptiùs & venustiùs, omnem rubiginem defectuum nostratium, à B. Virginis appetitu detergere. Idem ferunt illa Aretæ in c. 12. Apocal. quibus B. Virginem appellat [puram, à terrenis rebus liberam, & alienam; & in terris æqualem Angelis.] Adderem & illud Hesichij orat. 2. de Deip. [Mariam concupiscentiæ fumus non attigit.] Sed video responderi posse, peculiarem esse rationem motuum carnalium; ita vt illi ipsi qui motus aliquos inordinatos peccati expertes in Virgine non refugiunt, id tamen renuant admittere de motibus carnis, vt videre est apud Philippum Abbatem lib. 2. in Cant. c. 7. móxque referam ex Petro Cellensi. Et insigniter idem de motibus carnalibus tradit Guliel. Paruus in c. 7. Cant. ad illud *junctura fœminum*; & ad illud *vmbilicus tuus crater* ad quem locum egregiè quoque idem habet Rupertus lib. 6. in Cant. ac optimè etiam Richardus Victorinus in psal. 71. monstrans B. Virginem dictam idcirco esse *vellus* quia vellus est lana recisa à carne.

28. Vniuersaliter, & quidem optimè & fusissimè purgat appetitū Virginis, Nicolaus Monachus S. Albani Epist. ad Petrum Cellensem: (est nona inter epist. Cellensis) vbi hæc præter cœtera. [Sed modis omnibus constare nobis debet, quòd Virgo singularis, nunquam in carne, in qua & de qua Christus homo factus est, motum illicitum sensit, nunquam legem membrorum sensit, nunquam quod non voluit egit, nunquam sensit quod sentire non decuit.]

Et hoc voluit Georg. Nicomed. orat. de oblatione Deip. cum dixit, eam esse speciosam naturâ. Nec non Epiphanius Constantinop. cum similiter dixit, eam ex natura fuisse pudicam. Locum infra dabo agens de aureolis. Itaque communis inter Catholicos Doctores sensus ferre videtur, eum quem dixi nitorem appetitus B. Virginis.

Abacti Sectarij aduersantes. Quidam Patres explicati.

29. SEd reclamant impij Nouatores, quorum propudiosa in hanc rem dicta, malo pressa. Et vtinam cum suis autoribus, extra infernum exaudiantur nunquam. Prostant verò scriptis commissa apud Canisium l. 4. de Deip. c. 14. Nonnulli item Patres visi sunt interdum minùs retinentes hac in parte, adscriptis Deiparæ indecoris & vitiosis motibus. Collegit varia eorum loca Baptista Poza l. 3. Elucid. tract. 16. c. 2. quibus videri potest addendus Petrus Cellensis l. 9. epist. 10. vbi ex instituto ac fusè confirmat B. Virginem sensisse motus rebelles appetitus sensitiui, sed absque consensu vllo. Ea epistola est apologia anterioris epistolæ, quæ habetur l. 6. epist. 23. & impugnationum Nicolai prædicti, quæ habentur ea epist. 9. Igitur in ea epistola 23. distinguit Cellensis duplicem B. Virginis statum, nempe ante & post conceptionem Christi, & varios appetitus motus. [Concedo (inquit,) & credo siquidem, quod sæua libidinis incentiua, Deo præoperante nunquam senserit, vel ad modicum: cætera verò impedimenta humanæ fragilitatis, quæ naturali origine, siue scaturigine, de natura procedant, ante diuinam conceptionem sentire potuit, sed nullatenùs consensit. Et præueniente siquidem gratia, & in Virgine sua præludia habente, fomes peccati anhelando extremum spiritum trahebat, solum sepulchrum ei supererat, donec veniens Spiritus sanctus defunctum perpetuæ sepulturæ mandauit, & serpentem antiquum suo gladio jugulauit. Dictum namque fuerat. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius.* Vnde Hieronymus: Et si cæteræ Virgines imitantur illam vsque ad conceptum partus, & Gabrielis nouæ salutationis obsequium, deinceps totum diuinum est, quod operatur in ea, quia teste Angelo, Spiritu sancto & virtute altissimi obumbratur. Ante hoc ipsum sanè vterus virginis quamuis mundus, quamuis impollutus, & alienus à contagione peccati, quamuis sanctus, tamen adhuc vilitate humanitatis induitur, (vt ita dicam,) ac si lana candidissima, suique coloris dealbata. Ad quam sanè cùm accessit Spiritus sanctus, quasi ipsa eadémque lana, cùm inficitur sanguine conchylij, vel muricis, vertitur in purpuram, versa est & ipsa sine coitu in matrem; vt non sit jam admodùm quod fuerat, sed purpura veracissima ad indumentum & gloriam summi regis diuinitùs aptissimè dedicata. Vt nulli deinceps ea vti vsu fœmineo licuerit, nisi Deo. Post conceptum itaque suum meruit crystallinam soliditatem, quæ ante gratiæ plenitudinem non exuerat tenuitudinem, sed puram, sed sanctam, sed immaculatam, quæ consensu vti nullatenus potuit, & si aliquatenus admota tentatione percelli potuit, non ad læsionem,

ſed ad probationem, non ad mortificationem conſcientiæ, ſed ad confirmationem gratiæ, & oſtenſionem conſtantiæ.]

30. Verùm de illis Patribus qui objiciebantur,dicendum eſt,mentem eorum duntaxat fuiſſe, B. Virginem paſſiones noſtras eſſe expertam, quod verum eſt: ſed ita tamen, vt propaſſionum non paſſionum rationem habuerint, & ad nutum aduocatæ; non autem nolenti ingeſtæ ad nutum item repreſſæ fuerint, non autem pertinaciter infixæ, colluctanti rationi ſuperiori ægrè ceſſerint. Aduerſus hoc ſecundum, nihil è Patribus profertur vel ſi ex vno quopiam proferretur deſerendus modeſtè eſſet & pro Virgine hac in parte purganda certandum. De Petro Cellenſi multò minus curandum eſt ſi verè voluit quod aliqua eius verba præferunt. Tametſi enim antiquus eſt(quippe æqualis S. Bernardi (& verè eruditus ac comptus ſcriptor;tamen non eſt eius autoritas tanta, vt cogat nos depreciare B. Virginem. Reuera tamen ſignificat non ſemel ea epiſt. 10. Cellenſis ne ante conceptionem quidem Chriſti domini aliter ſe habuiſſe appetitum Deiparæ ad motus illicitos & tentationes quàm ſe habuerit appetitus Chriſti viatoris, cui ſuggeri extrinſecus tentatio potuit, obrepere verò aut irrepere introrſum nullo modo potuit. Idem ferunt illa verba epiſtolæ 23. libri ſexti. [Multiformiter peccatum ſentitur. Aliquando cum peccato, aliquando ſine peccato. Quod in præſenti occurrit, ſentio peccatum aliquando tanquam ignem, aliquando tanquam picem, aliquando tanquam lapidem, aliquando tanquam ærem. Ignem generat delectatio, picem conſenſus vel ipſa perpetratio: lapidem conſuetudo, vel obſtinatio, ærem ſerpentis ſibilatio, quæ virginis noſtræ fores potuit pulſare, ſed non penetrare. Hortus enim erat concluſus. An non eadem Domina potuit calcare ſuper ſerpentes & ſcorpiones, ita quod nihil illam noceret? Re itaque integra potuit hoc modo ſentire peccatum, non autem conſentire peccato. Potuit debellare omne peccatum,ſine vulnere,ſine pudore, ſine ſilentij ſui concuſſione, ſine futuri partus violatione.]

An præuentio motuum appetitus, fuerit penes Virginem; atque adeò habuerítne fomitem?

31. Ratum igitur eſto, nullam fuiſſe in appetitu Deiparæ deordinationem, nullum indecorum motum: tantum abeſt, vt eis ſuccubuerit. Idque certum eſſe, exiſtimat Toletus in c. 1. Lucæ annot. 74. quamuis addat, non eſſe planè certum, an omnes motus appetitus, etiam qui rectæ rationi non aduerſantur, fuerint in B. Virginis poteſtate, ita vt poſſet eos aduocare: nec eius vlli affectus exurgerent, niſi quando ipſa vellet,& quantum, ac quomodò vellet, vt in Chriſto accidiſſe certum eſt; & contigiſſe quoque Deiparæ, (etiamſi negant S. Thomas 3. p. q. 27. art. 4. ad 1. & Val. 3. p. d. 2. q. 1. p. 3. *ſub finem*, Carthag. l. 14. de Deip. hom. 7.) tamen vt probabile, & rationi conſentaneum, affirmet idem Toletus: cum præuentio illa hominis per affectus indeliberatos, deriuetur ex originali peccato, cuius B. Virgo

expers fuit. Itaque motus appetitus sensitiui, in B. Virgine, non sunt denominandi *passiones*, vt in nobis, ob inuoluntarium exortum quo eas pati cogimur: sed debent vocari *propassiones* : sicut in Christo, ob plenam appetitus subiectionem sunt denominandi. Id quod latissimè confirmat Poza l. 3. Elucid. tract. 16.

32. Hoc si restringatur ad motus appetitus rectæ rationi aduersantes, aliis verbis dicitur ; B. Virginem caruisse semper fomite in actu secundo : vel absolutè caruisse fomite peccati. Quod damnat quidem Caietanus ; sed astruit aduersus eum Palacius in 3. dist. 3. disp. 3. disp. 1. & Vasq. 3. p. d. 118. cap. vltimo. Alij diuersis vocibus, reipsa eodem sensu, dixerunt in B. Virgine fomitem peccati fuisse in actu primo duntaxat ; quippe ligatum ; vel vt alij loqui maluerunt, extinctum ac mortuum, saltem post Verbi Dei conceptionem. Quæ limitatio necessaria non videtur. Nam etiam ante peractam conceptionem Christi, B. Virgo ob secuturam aliquando conceptionem, erat Spiritus sancti sacrarium : quod esse planè nitens ac mundum, non à peccato tantùm, sed etiam à peccati pronitatibus & illicibus, consentaneum fuit. Itaque extinctum fomitem in Deipara, potiùs quàm ligatum, meritò statuunt Suares t. 2. 3. p. d. 4. f. 5. Salaz. c. 28. de concept. §. 2. Catharinus l. 2. de concept. *ad 3. prima aciei*, Vega 14. in Conc. c. 18. Tol. in c. 1. Lucæ annot. 67. Val. 3. p. d. 1. q. 15. p. 3. & d. 2. quæst. 1. puncto 4. Vasq. 3. p. d. 118. c. 4. Canisius l. 1. de Deip. c. 10. aliique recentiores passim. Est tamen (vt dixi,) horum ab aliis dissidium, merè de nomine, quod optimè attigit Raym. Iord. parte 2. c. 1. siue enim ligatum, siue extinctum fomitem peccati dicamus, perinde est ad eam Virginalis appetitus perfectionem exprimendam, quam proposuimus: nempe quod appetitus eius, nihil spinarum ac tribulorum nostratium in ea germinauerit, ex speciali priuilegio diuino, quale hominibus innocentibus fuisset concessum, si ea terrena beatitate per Adami culpam non excidissent. Estque Virgini jure tributum, quia diuino decreto, hac in parte sortita est restitutionem in integrum.

Furfur doctrinæ. Ac primùm cujusuis ignorantiæ, à Virgine, etiámnum viatrice, remotio.

33. NOn defuerunt qui circa proposita puncta, heteroclises inueherent. Quoad perfectiones intellectus, nonnulli ne ignorantiam quidem puræ negationis, etiam quæ est mera carentia scientiæ absque debito aut decentia sciendi, ademerunt Deiparæ ; saltem à tempore concepti Verbi Dei. Ita refert Petrus Cluniac. l. 3. epist. 7. propositione 2. ex datis ad se literis à Gregorio Monacho : qui argumentabatur ex eo quod in B. Virgine, essent omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, ex quo Christum habuit. Quomodò ergo aliquid ignorare potuisset ? Addebat item argumentum ex vniuersali omnium rerum notitia, communicata S. Benedicto in raptu quodam, descripto à S. Gregorio. Decuit autem vt nihil minus acciperet Dei mater; nec raptim

tantùm & in transitu, sed permanenter, quantò sublimior est matris quàm famuli quantumuis benedicti, eminentia.

Hanc illius Monachi, ex Virginis nimio studio exerrationem, redarguit Petrus Vener. Inprimis ex Lucæ 2. vbi refertur, Deiparam existimasse, puerum IESVM esse in comitatu. Ignorabat ergo, eum ibi non esse. Quinetiam per triduum quandoquidem illum dolens quærebat, necesse est vt ignoraret vbi esset. Postea quoque reperto jam puero, cum de eius recessu benignè mater expostulasset, respondissetque Christus, an nesciret se in his quæ æterni Patris erant esse oportere; subdit Lucas, *& ipsi* Maria & Ioseph *non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos*; Quæ verba non possunt cum Cartusiano l. 2. de Deip. art. 13. ad solum Iosephum restringi per tropum: manifestissimè enim ferunt, B. Virginem etiam post Verbi Dei conceptionem, non omnia prorsus perspexisse, ac ne omnia quidem ad Christum attinentia: vt Canisius etiam fatetur l. 4. de Deip. c. 19. Quantò magis alia pleraque, quæ cognoscere nihil intererat Virginis? Argumentum ex thesauris diuinæ sapientiæ in Virgine reconditis, est planè friuolum. Neque enim B. Virgo, per thesauros diuinæ scientiæ & sapientiæ quos localiter in Christo continebat, reddebatur sciens formaliter, sed Christus solus. Quod addebatur de S. Benedicto, æquè ineptum est: quia neque D. Benedictus omnia sciuit, etiam in raptu illo qui adducebatur: neque si ex singulari priuilegio ad maiorem sanctitatem formaliter non pertinente, id obtigisset S. Benedicto, existimandum est idem esse tribuendum B. Virgini, præsertim stabiliter, & plusquàm in transcursu.

Item impeccabilitas Virginis viatricis.

34. SVnt qui Virginem quoad voluntatem magnificent, non modò remouendo ab ea peccatum, sed etiam peccandi potestatem: quod putant affirmari ab iis qui agnoscunt B. Virginem etiam durante via, fuisse in gratia confirmatam. Confirmationem quippe in gratia, putant excludere concursum ad peccandum, atque adeò conferre impeccabilitatem per peccatum commissionis, cui jungenda est adactio ad bonum cum eius prætermissio esset vitiosa. Ita de B. Virginis confirmatione in gratia, Valentinus Herice. 1. p. d. 24. à num. 28. Suares l. 3. de prædest. c. 10. n. 11. Castro in histo. Deip. c. 2. num. 6. Disertè quoque Rich. à S. Laurentio l. 3. de Deip. tit. de 12. priuilegiis B. Mariæ in 7. & l. 7. aptans Virgini nomen *firmamenti pag.* 446. tradit, B. Virginem post Christum conceptum, ita confirmatam esse in bono, vt peccare vltrà non potuerit. Id quod confirmat l. 4. tit. *de domino tenente dexteram*, vbi latè (tacito licèt eius nomine,) exscribit Richardum Victorinum qui l. 2. de Emman. c. 28. 29. 30. & 31. agnoscit B. Virginis impeccabilitatem post Christi conceptionem: cui item disertè attestatur suo c. 26. in Cant.

35. Hæc tamen laus Virginis non est solida. Nam quandiu B. Virgo fuit in hac vita mortali, non debuit locari extra conditiones status illius, inter quas est flexibilitas arbitrij in vtramque partem, atque adeò potestas peccandi.

Nec

Nec confirmatio in gratia quæ B. Virgini adhuc viatrici negari non potest, continetur carentia potestatis peccandi. An non enim Apostoli erant in gratia confirmati, qui tamen & peccare poterant, & Ioanne Apostolo teste reipsa peccabant? Et quamuis non nisi leuia peccarent, tamen non destituebantur potestate peccandi grauiter, vt S. Macarius hom. 27. agnoscit. Igitur confirmatio in gratia, consistit in vbertate auxiliorum congruorum, quibus voluntas efficaciter illicitur ad bonum, tametsi eluctabiliter atque adeò cum potestate peccandi. Ea enim vbertas auxiliorum congruorum juncta diuinæ protectioni externæ, sufficientissima est, vt intelligamus hominem in gratia sanctificante firmari: Idest ita in ea stabiliri, vt certò ea non excidat, quamuis posset excidere si luberet.

Scio esse qui ad explicandam confirmationem alicuius in gratia, aduocanda necessariò putent auxilia efficaciter prædeterminantia, quibus voluntas nequeat refragari; vnde sequitur impeccabilitas, si agatur de peccatis omissionis. Ita Val. 1. p. d. 1. q. 23. p. 4. §. 2. *in fine*. Et 1. 2. d. 8. q. 3. p. 3. §. 12. propositione 6. Nec esse improbabile quoad B. Virginem, latè prosequitur Suares l. 10. de grat. c. 8. à num. 13. contra Vasquem id negantem 3. p. d. 120. c. 2. Sed quicquid sit de possibilitate spectata diuina omnipotentia, non est tamen admittendum, ita factum esse reipsa. Nam præterquàm quod ea impeccabilitas non est nisi inadæquata; (neque enim spectat confirmationem in gratia respectu habito ad peccata commissionis;) constat ægrè retentum iri meritum: quia ea adactio ad operandum, futura est cum determinatione ad certum & determinatum motiuum, & ad circunstantias quascunque singulares. Vnde excindetur libertas operis, simúlque meritum: cui conseruando Dur. in 3. d. 3. q. 4. n. 7. negat B. Virginem esse confirmatam in bono per donum inhærens, tollens potestatem peccandi. Et quamuis mox num. 8. admittat probabile esse, ereptam fuisse Virgini potestatem peccandi, per assistentiam extrinsecam: tamen vniuersus eius discursus, tantùm fert, quod collata eo modo sit Virgini impeccantia, non impeccabilitas.

36. Quare confirmationem Deiparæ in gratia, quæ supra communem aliis quibusdam sanctis confirmationem, continet exclusionem omnium næuorum & labecularum infuscantium gratiam, præstat exponere per extrinsecam Dei protectionem, junctam subtractioni concursus ad peccandum, & moralibus auxiliis congruis potentissimè (quamuis suauiter & eluctabiliter) pellicientibus ad operandum quæ Deus mandat. Et ita quoad Virginem philosophantur Suares parum sibi constans t. 2. 3. p. d. 4. s. 4. & l. 10. de grat. c. 8. n. 19. Salaz. in c. 31. Prouerb. à num. 132. Palac. in 3. d. 3. disp. 4. Mol. 1. p. q. 14. art. 13. d. 18. memb. 4. ad 7. & ex parte Ocham in 3. q. 2. *litera C. & D.*

Videsis an non etiam idem voluerit his verbis S. Ephrem serm. de margarita pretiosa, quanquam agit tantùm de tempore post conceptum Christum. [Ad ortum solis, cuncta redduntur splendida: apparénsque foris sol; illuminat vniuersa: quid agat in cubiculo, totus ad vnum admotus? Accedit Paulum Christus, ex cœlo eum illuminans, & ad pietatem transferens: fecitque lupum

ouem, & persecutorem Apostolum; crudelem misericordem, & obedientem atque tractabilem, eum, qui olim inobediens atque intractabilis fuerat: & cur non multo magis intus in Maria Virgine cum esset Deus Verbum, ipsam ab omni corruptione atque mutatione alienam effecit? Pro arrhabone fidem accepit puellæ; & non ampliùs propendens erat gratia: sed dum jure optimo incorruptionis vim illi præbet, fides naturam adduxit: & hanc excipiens gratia, non ampliùs esse corruptibilem passa est: verùm sibi ipsam adjunxit, sicut Rex vas priuati alicuius hominis proprium faciens; atque ita facta est sancta Maria, non jam mulier, sed virgo & gratiæ plena: sicut cibus jumentorum regius efficeretur, si rex illum participaret, ex eóque vesceretur. Non dico immortalem illam fuisse, sed quòd ab appetitu seducta euersáque non fuerit: cúmque gratiæ efficacia illustrata esset, rubiginem quam natura habebat, adhærentem ferro, gratia mundauit, & illustrauit conseruauítque.]

Missam hoc loco facio sententiam Ioannis Zamori qui l. 2. de Eminentiss. Deip. perfect. c. 48. inde stabilit Deiparæ impeccabilitatem pro qua certat, quod iis robustissimis & fortissimis gratiæ afflatibus præueniretur quibus ad operandum inferretur necessitas, exclusa tantùm coactione. Id enim ad veram libertatem qualem contra Caluinum tuemur Catholici, satis esse affirmat Autor prædictus: proindéque ait, B. Virginem mansisse liberam, quamuis ad modum prædictum necessitaretur, & statueretur impeccabilis. Discussio huius doctrinæ, dimittenda (vt dixi) hoc loco est, quod & in Morali distinct. 2. accuratè ac plenè sit instituta, & quod alienum ab hoc negotio videatur in eas tricas descendere. Suppono tamen, omnem illam doctrinam esse respuendam, tanquam malè omnino materiatam, & fundamentis planè ruinosis subnixam.

Ac denique fœcunditas juxta quosdam, juxta alios sterilitas motuum dedecentium in appetitu.

37. QVoad appetitum Virginis, professus est Petrus Cellensis l. 6. epist. 23. se ad maiorem Virginis gloriam, motus illicitos ex eius appetitu progerminantes admittere, vt esset locus merito, ex compressione & victoria illorum motuum. Sed hoc indecorum decus, jam reieci supra. Nunc aliud non magis fundatum adduco, quo dicitur appetitum Virginis ex indiuiduali perfectione hoc habuisse, vt non nisi sanctos motus, & ad bonum ferentes excuderet. In quam rem adducitur similitudo gustatus, qui cum idem specie sit in omnibus hominibus; tot tamen discrimina sortitur, vt in vno amara velit, in altero dulcia, hîc legumina adamet, ibi alia longè diuersa esculenta. Similiter enim quamuis appetitus sensitiuus nobis implantatus sit *radix peccati*, vt loquitur S. August. 22. Ciuit. c. 22. & epistola 29. vel *mater peccati*, vt idem ait hom. 42. ex 50. vulgo dicitur *fomes peccati*; tamen in Virgine, idem specie appetitus sensitiuus, per suam indiuidualem differentiam non erat nisi fomes, & radix, & mater virtutum, quatenus non ferebatur nisi ad

ſanctos & optimos motus ; & quod in juſtis longa exercitatione & habituum facilitantium comparatione aſſequitur ; vt ſcilicet condocefiat ac cicuretur, nec ad ductum ſeſſoris recalcitret ; hoc in Deipara à prima implantatione in corpus eius, ſit aſſecutus ex vi ſuæ indiuidualis differentiæ, quam excogitaſſe non poteſt monſtrari Deo impoſſibile : ac proinde cenſendum eſt, talem de facto eſſe productam in Deipara, vt ad omne bonum facta à natura appareret. Ita eruditus quidam recentior, in opere de B. Virgine l. 3. tract. 15. c. 2. Fauet quantum poteſt, tametſi non vult apertè ſuffragari, Didacus de Celada; Tractatu de Iuditha Figurata à num. 7.

28. Hæc Virginis gloria, eſt apertè inanis : quia talis appetitus ſenſitiuus qui ſuapte natura bona ſenſibilia non proſequatur, niſi quæ rationi conſonant, impoſſibilis eſt. Nam appetitus ſenſitiuus, ex ſua natura proſequitur bonum ſenſibile, ſuppoſito quod affuit quatenus ſenſitiuo, & natura ſentiente prædito, accommodatum. Tale autem bonum, ex ſua natura tale eſt, vt poſſit eſſe inhoneſtum, accedente prohibitione ſuperioris, quantumuis alioqui purum & labe vacans. Quid enim vitij erat in pomo pulchro viſu ac ſuaui, poſtquàm acceſſit diuinum de eius guſtatione interdictum, quod vitium non æquè in pomo fuiſſet ante latam à Deo prohibitoriam legem ? Et tamen quicunque appetitus humanus benè diſpoſitus, eodem modo in illud obiectum ferri potuiſſet, poſt latam à Deo legem, atque priùs. Vel ſi ferri non potuiſſet, differret ſpecie ab aliis appetitibus humanis : quia minima variatio in obiecto adæquato alicuius facultatis, mutat ſpeciem. Vnde ſi appetitus B. Virginis fuiſſet talis qualem hæc opinio eum ſtatuit, fatendum eſſet illum fuiſſe diuerſæ ſpeciei à noſtro, quod nemo admiſerit. Nec licet dicere, hanc eſſe tantùm diſcrepantiam indiuidualem. Hoc ſi quis dicat facilè refelletur. Nam diſcrepantia indiuidualis, tantùm aſſignatur penes meliorem conditionem actionum alicunde prodeuntium, non autem penes obiecti adæquati varietatem. Sic anima Chriſti, ex probabili ſententia, eſt indiuidualiter perfectior aliis animabus, profunditque operationes intra eandem ſpeciem perfectiores. V. G. intellectiones liquidiores & luculentiores : non tamen dicitur habere obiecta potentiarum diuerſa, alioqui cum potentiæ ſpecificentur ab obiectis, dicenda eſſet differre ſpecie, quod nemo dixerit. Similiter ergo appetitus Virginis, ſi haberet pro obiecto natiuo adæquato ſola bona ſenſibilia præſcripto rationis conſentanea, differret ſpecie ab appetitu noſtro & conſequenter fons illius, ideſt anima Virginis, differret ſpecie ab animabus noſtris ; quod nemo quantumuis Virginem magnificè laudare ambiat, auſit fingere.

PVNCTVM X.

VIRGINIS MORTALITATEM transgressæ, gloria, & honores, in cælo, & in terra.

1. DECVRRIMVS ordinem gratiæ, expositis eius initiis, progressu, & consummatione, ac immunitate ab omni labe, & defectu indecoro Deiparæ. Nunc restat exponenda gloria, cuius gratia est semen. Potest autem distingui multiplex gloria; nempe corporis & animæ. Hæc rursus subdistinguitur in essentialem, & accidentariam stabilem; præter gloriam aliam accidentalem, fluxam & mobilem. Attingamus singulas.

Virgo mox ab obitu, rediuiua.

GLoriam corporis adhuc obtigisse Deiparæ, fuerunt qui negarent, aut reuocarent in dubium, non nisi ob negatam vel in dubium reuocatam Deiparæ post mortem resurrectionem jam factam. Dubitauit de ea obiter Petrus Cluniac. l. 3. epist. 7. probatione 2. *sub finem.* Item creditus Hieronimus, siue Sophronius serm. de assumpt. S. Hildefonsus serm. 6. de eodem festo. Beda de locis sanctis c. 6. Ado in Martyrol. ad 15. Augusti in plenioribus editionibus, & ibidem Vsuardus. Fulbertus serm. perperam adscripto D. August. qui est. 35. inter sermones de sanctis (non enim Autorem habere Augustinum potest, vt patet ex memorato ibi Isidoro, qui tanto posterior fuit Augustino:) Contrarium tamen certum habuit Cantipratanus l. 2. de Apibus c. 29. n. 11. & Catharinus l. de consummata Christi & Deiparæ gloria *ferè per totum*, disputans contra nonnullos qui eo tempore hoc reuocarant in dubium. Temperatiùs Baronius, ad Martyr. Rom. 15. Aug. tantùm ait, Ecclesiam Dei in hanc partem videri propensiorem. Tanta tamen est propensio, vt non censeam absque errore explorato, aliud dici posse.

Triduo igitur post sepulturam (reuelatio facta S. Elisabethæ Vngaricæ quam Baron. ad 15. Aug. ex Ioanne Beletho S. Elisabethæ æquali, l. de offic. c. 141. & ex S. Antonino commemorat, quadragesimo post die id factum habet) surrexisse B. Virginem, & corpore animæ suæ denuò conserto assumptam esse in cœlum, latissimè confirmat Autor libri de Assumptione B. Mariæ Tomo 9. Augustini. Et idem habet certa fidelium. persuasio, cui obsistere quoad assumptionem corporis, (dimissa certa temporis designatione) ingenti temeritate non vacaret, vt benè statuunt Canisius l. 5. Marial. c. 5. Suares

t. 2. 3. p. d. 21. s. 2. Castro in Histor. Deipa. c. 21. *in fine*, **Baron. anno Christi 48. num. 12. Non esse tamen de fide affirmant Canus l. 12. de locis c. 11.** Soto in 4. d. 43. q. 2. art. 1. & Gabriel serm. 2. de Assumpt. Sed esse de fide contendit Catharinus suprà, & valdè inclinat Corduba l. 1. q. 17. §. 1. & significat etiam Cantipratanus loco allegato.

2. Mihi satis est dicere, non esse de ea corporis Deiparæ resurrectione, & in cœlestem gloriam assumptione, dubitandum. Vnde nullæ vspiam reliquiæ corporis B. Virginis inueniuntur, præter nonnullos capillos quos Olyssipone seruari, testatur Fernandius in c. 31. Genes. sect. 9. num. 14. itémque præter vestes, & Zonam de qua ex variis Radenus 2. p. virid. 29. Augustini & nonnulla alia extrinseca de quibus latè Spinellus in Throno Dei c. 29. num. 48. & Ferreolus Locrius lib. 5. Mariæ Augustæ à c. 19. ad 46. Lachrymas B. Virginis asseruari, ait Malonius ad Palæotum de sacra Syndone c. 13. num. 10. Lactis item Virginei reliquias alicubi monstrari non diffiteor, vt Mirabelli in Apulia, vbi ingens miraculum ad lactis Virginei phialam factum, scribit Balinghen in Deiparæ Calendario 20. Aug. Quod lac fortassis ex eo generè est, quod miraculo expressum ex quibusdam Deiparæ imaginibus interdum legimus. Et ita censuit Henricus Institor Tract. de Sacramento Miraculoso parte 3. q. 1. Confirmatúrque, quia Chrysostomus Henriques in Menologio Cisterciēsi 13. Maij narrat ex imagine Castellionensi, lac copiosum profluxisse multoties. Qui verò panes vulgo donantur nomine *Lactis B. Virginis*, eos ex rupe per paucas guttas matris lac Christo immulgentis in eam delapsas, emollita, in puluerem candidissimum, planéque colore lacteum, paruulis panibus immisceri solitum, scribit Castro c. 10. histor. num. 2. Non aliæ vspiam orbe toto visuntur B. Virginis reliquiæ quàm quales nunc memorauimus, & ad aliquod horum capitum referendæ omnino sunt illæ B. Virginis reliquiæ, quarum mentio est apud Gregorium Turonensem l. 1. de glor. Martyr. cap. 9. At quis credat, Deum corpus in quo habitauit ita abiectum, vt si in terris superesset, non honestaretur veneratione condigna, quæ aliis plerísque sanctis corporibus, diuino munere obtigit? Argumentum est morale duntaxat, sed ineluctabile si perpendatur accuratè. Cum enim certum sit, corpus Deiparæ quod Deum intra se habuit & formauit, non vidisse corruptionem, vt planè statuit creditus Augustinus serm. de Assumpt. & Amed. hom. 7. nullæque vspiam (vt dixi) extent vel minimæ è B. Virginis corpore reliquiæ; quas adeo altè latere si superessent, vt nullibi colerentur, nemo verisimile duxerit, & dignum filij Dei in matrem prouidentia: colligitur planè efficaciter, B. Virginem, rediuiuam, corpore æquè ac anima in cœlos illatam esse. Nec verò par fuit corpus quod animæ nunquam negotium facesserat, ab anima gloriosa diu seiungi; beatum denique Christi portitorem, Deiparæ ventrem, ac vbera quæ Christum lactarant, irremunerata manere, ad generalem vsque anastasim.

De gloria Corporis Virginei, coniectura.

3. SIc constituta resurrectione corporis Deiparæ, non licet de gloria eius ambigere, quæ animæ gloriam inseparabiliter consequitur. De eius verò corporeæ gloriæ perfectione & quantitate, non est longa disquisitione adhibita statuendum. Quis enim non videt, benedictum illud corpus nulla vnquam labis fuligine maculatum, quod tantis sibi officiis Christum demeruit, cuius portio Deo ipsi coniungitur, insigni & præter communem morem cumulata gloria, exornari debuisse? Nisi fortè non creditur Dei filius honorare matrem, aut ei cui soli obstringitur (vt S. Methodius scitè dixit homil. de hypap.) nolle impensas curas & beneficia rependere. Quis ergo illius corporis splendorem nullis nostratibus comparationibus adæquandum; quis dotes illius armarij vitæ; quis prærogatiuas & ornamenta nullis aliorum Sanctorum corporibus vel concessa priùs, vel deinceps concedenda, fando explicet? Processionem solemnissimam, (sic enim appellat,) in huius arcæ deductione ad locum suum, per Christum & cœlites omnes obuiam effusos peractam, describit copiosè Richardus à S. Laurentio l. 6. de Deip. *pag.* 430. & Dyonisius Cartus. l. 4. de laud. Deip. artic. 11. & 12. Addit verò Dyonisius art. 17. dotes corporum beatorum, eo illustriùs viguisse in rediuiuo Deiparæ corpore præ corporibus omnium sanctorum, quò gloria animæ ad quam hæ prærogatiuæ progerminant, est in Virgine supra omnem comparationem perfectior.

Visio Dei, primaria, beatitudo animæ statim ab obitu concessa Virgini, non priùs.

4. PRincipiauit gloriam corporis (de qua hactenus,) gloria animæ, quæ in puncto mortis collata est Deiparæ. Cum enim nihil prorsus haberet purgandum, nullis eguit moris in Purgatorio. Itaque confestim à morte vidit Deum, eúmque vultum domini quem requisierat per totam vitam, clarè sicuti est, contueri cæpit tunc primùm. Non enim placent, qui claram Dei visionem quæ prœmium comprehensorum est, Deiparæ in via concessam dicunt, præsertim frequenter. Multóque seueriùs repellendum est, quod B. Virginem, à tempore concepti Verbi Dei fuisse simul viatricem & beatam, pro certo habet Auendanius in Mariali serm. de Annunciat. discursu 7. *sub finem*. Sed est placitum apertè temerarium, & contra omnes Patres ac Doctores, qui id tanquam peculiare Christo tribuunt, quod simul fuerit viator & comprehensor. Vnde ergo hæc nouitas visionem Dei perennandi in Deipara, à momento concepti Verbi? Præter quàm quod consequenter ad hanc doctrinam, admittenda esset in B. Virgine fixa gratiæ quantitas, à momento Incarnationis, juxta ea quæ supra p. 3. sunt adducta: Cum tamen certum sit, gratiam Virginis, per totam eius vitam augeri potuisse, & verò auctam esse. Quare valeat

hoc figmentum, de concessa permanenter B. Virgini, visione Dei, à puncto concepti Verbi.

5. Concessam tamen aliquando, affirmant Albertus, Gerso, Antoninus, & alij quos piè & probabiliter locutos, statuunt Vasques 1. p. d. 55. & 56. & Suares t. 2. 3. p. d. 19. s. 4. Et affirmat quoque Brulefer serm. in illud *Verbum caro factum est* initio. Cartusianus l. 2. de laud. Deip. art. 12. Spinellus in Throno Dei c. 6. n. 10. De tempore commorantis in eius vtero Christi, affirmat Pelbartus l. 1. stellar. p. 6. art. 3. c. 3. *gaudio* 8. & lib. 2. parte 2. art. 3. *gaudio tertio*, vbi ex Linconiense l. 4. Angel. hierar. c. 6. frequentissimè contigisse Virgini in vita mortali Deum videre, intrepidè asseritur. Pro ea visione concessa Virgini in primo vitæ momento, pugnat latè Zamorus l. 2. de emin. Deip. perfect. c. 36. signant præterea in particulari varia tempora, quibus contendunt Deiparam in vita mortali Deum vidisse, Mendoça l. 2. florum sacrorum problem. 10. & Salazarius l. de concept. c. 32. §. 4. Marcon disp. 1. de visione Dei c. 4. n. 7. Fernand. in c. 27. Genes. s. 3. n. 11. & Benzonius in psal. 86. cap. 40. traditione 13. qui contrariam sententiam, negantem quod B. Virgo Deum clarè in vita mortali viderit, pronunciat minùs probabilem.

6. Est tamen ea sententia, omnino vera. Docet eam disertè S. Athanas. serm. de SS. Deipara & Autor. q. 12. ad Antiochum, ac Philippus Abbas l. 3. in Cant. cap. 19. & l. 6. capite 5. Nec argumentum quod petitur ex visione Dei, concessa Moysi & Paulo viatoribus, proindéque non neganda Deiparæ viatrici, validum est. Tum quia visio secundùm multorum sententiam, non est beneficium spectans formaliter ad sanctitatem animæ, quod solum priuilegium cuiuscunque puræ creaturæ extendendum est ad Deiparam: Tum quia falsum est, siue Moysem, siue Eliam, siue quemcunque alium infra Deiparam, vidisse aliquando clarè Deum in vita morali, vt benè supra monstrat Vasques. Nec enim ea visio qua status comprehensorum constituitur, consentanea est statui viatoris. Certè infert amandi Deum necessitatem, & meriti inse reclusionem: vnde cedit potiùs in viatoris dispendium, cui hæc vita conceditur ad negotiandum, & copiosam meritorum messem colligendam. Itaque ne vlla ratione viam cum termino miscérem, adhærendum censui sententiæ quæ negat visum vnquam Deum à B. Virgine, in vita mortali. Quod si aliquando vberior lux ad perspiciendam maternitatis dignitatem, aliamuè similem causam fuit ei consentanea in hac vita; facile fuit Deo, per scientiam infusam quæ meritum non excludit, affundere Virgini copiosos cælestis luminis radios, absque visione clara Dei; quam reseruatam dixi, ad primum è corpore digressum, & instans mortis; quo verum fuit dicere, tunc primùm Virginem non viuere vitam mortalem.

Fornax amoris in beata Deipara anima, eique commensum gaudium.

7. VIsionem claram, excepit amor exinde necessarius, & longè perfectior quàm in via. Quanquam amorem Virginis inadæquatè eundem numero, continuatum esse in via & in patria, probabilissimum censet Suares Disp. 3. de charit. sect. 3. num. 2. Et t. 2. 3. p. disp. 21. s. 2. Sanè vel pro nullo beato, vera est sententia S. Bonauenturæ in Theologia mystica c. 2. parte 2. cum explicat quartam petitionem orationis Dominicæ; vel vera est pro B. Virgine. Affirmat eo loco S. Doctor, amorem quo Deus in altera vita diligitur non specie tantùm (quod euincit identitas obiecti formalis,) sed etiam numero, eundem esse cum amore viæ. Hoc quoad communes justos, ægerrimè intelligitur. Nam vix reperitur qui modico aliquo ante mortem spatio, dispositus consentaneé sit ad profundendum actum amoris; præsertim tam perfectum qualem habiturus est in cœlo; sed ob indispositionem corporis justitium est operationum rationalium. Si tamen aliquando contigit, vt aliquis in raro quodam euentu, roboratus sit ad eundem numero actum inadæquatè spectatum continuandum, non est dubium, quin id maximè de Deipara sit affirmandum; quæ sub mortem, heroicum & admodùm intensum actum amoris eliciens, eundem in altera vita continuarit quoad gradus illos remissos quos hîc præhabuit, cumularítque noua intensione post mortem. Ea verò incrementi accessio, faciet quidem vt actus totus sit numero diuersus, non tamen illa eius portio quæ præhabebatur in via.

8. Quominùs dicam actum amoris qui extra viam elicitus est à B. Virgine, fuisse adæquatè & simpliciter eundem, cum eo qui eliciebatur sub viæ terminum, quando Deipara operata videtur secundùm totam latitudinem suæ charitatis habitualis; obstat quod videatur incredibile, visionem claram Dei non procreare auctiorem sui amorem, quàm cum non conspiceretur Deus intuitiuè. Itaque tametsi charitas habitualis Deiparæ, quæ commensuratur gratiæ sanctificanti, cum qua proportionem seruant visio & amor patriæ; operabatur in Virgine sub vitæ metam secundùm totam latitudinem habitus, nullo planè eius gradu otiante: non tamen operabatur secundùm totam latitudinem ei in patria debitam, ex longè fortiori præuentione diuina, meritoriæ latitudini habitus charitatis commensuranda; quæ eodem habitu pleniùs ac meliùs vti potest, cum libet, & par est; vt sanè contingit in re præsenti. Hæc igitur erit fornax charitatis Deiparæ in altera vita,præ minore incendio viæ. Gulielmus quidem Paris. l. de retribut. Sanctorum,charitatem quamcunque viæ, præ charitate patriæ, ait esse vt modicam scintillam ad fornacem. Hoc verissimè de Virgine dixerim, quam cum fornace incensissima Babylonica, in quam coniectus est quartus similis filio Dei pulchrè componit Damasc. orat. 1. de Assumpt.

Gaudium quo beatitudo Deiparæ completa est, visionem & amorem veluti fontes

fontes suos consequetur Christo in sinum optimæ parentis, pro diebus quibus viderat mala, dies bonos, & meram lætitiam rependente. Quantum verò sit futurum hoc gaudium, æstimandum est ex quantitate gloriæ essentialis hactenus propositæ. Seruat enim gaudium proportionem cum gloria essentiali; huius autem quantitas, pendenda est penes gratiam sanctificantem, cuius quanta fuerit copia in B. Virgine, plenè supra monstratum est.

Sublimitas essentialis gloriæ Virginis, infertur; & ratione ac autoritate firmatur.

9. EX ibi ergo dictis, inferendum est, tantam esse Deiparæ gloriam essentialem, vt infra Christum, supra omnes hominum & Angelorum choros, specialem chorum constituat. Sicut in ordine gratiæ quæ gloriæ semen est, omnibus planè justis Christo inferioribus, supereminet. Ita rectè Sybillanus decade 2. c. 10. q. 2. Hoc voluerunt Patres, tam magnificè támque sublimiter de gloria B. Virginis pronunciantes. Petrus Damiani optimè serm. 40. tractans illud, *pulchra vt luna, electa vt sol*, quod Virgini accommodat. [Quid (inquit) luna pulchrius, cum stellis coruscantibus in signifero limite, reliquorum siderum splendorem excedit? Considera quàm stellaris, & serena vibratio, quàm luminosus fulgor circularem orbem tanti syderis superfundat, vt aliorum luminum claritatem, non mediocriter offuscet. Sic & Virgo inter animas Sanctorum, & Angelorum choros supereminens, & euecta, merita singulorum, & omnium titulos antecedit. Quantumlibet aliæ stellæ reluceant, luna tamen & magnitudine præeminet, & splendore. Sic vtramque naturam, Virgo singularis exuperat, & immensitate gratiæ, & fulgore virtutum. *Electa vt sol.* Hanc attende similitudinem, qua nulla in rebus mundi potest esse sublimior. Nihil enim habuit Spiritus in visibilibus creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet. Multò enim altius aliquid habet claritas Solis, quàm Lunæ: quia & si illa minores stellas obscurat, non tamen penitus occultat: hic verò lucidiùs incandescens, ita sibi siderum, & Lunæ rapit positionem, vt sint quasi non sint, & videri non possint. Similiter & virga Iesse, veri præuia luminis, in illa inaccessibili luce perlucens, sic vtrorumque spirituum habeat dignitatem, vt in comparatione Virginis, nec possint, nec debeant apparere.]

Idem serm. 45. qui est primus de Natiuit. Virginis, tractans illud de throno Salomonis, *rotundus erat in posterioribus*, quod æquè ac alia de eo throno, aptat ad Virginem. [Posteriora (inquit) Virginis, Assumptionem eius intellige, in qua finem vitæ mortalis accepit, quæ vitam reddidit orbi. Et nota cum quanto Sacramento transitum Virginis, scriptura comparet rotunditati. In rotundo nec principium, nec finem poteris inuenire: ita & gloria, quæ eam de hoc mundo transeuntem excepit, principium ignorat, nescit finem, de qua nil aliud possumus dicere, nisi quia *gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.* Similiter eum locum accepit Rich. à S. Laur. l. 10. de Deip. *pag.* 560.

10. Richardus Victor. suo cap. 39. in Cant. multa præfatus de B. Virginis in terris sublimitate, & luce gratiæ terris per eam affusa, addit. [Nec solùm per eam lux gratiæ in terris, sed etiam visio Dei animabus data est in cœlis. Hæc beata, est illud signum magnum in cœlo, mulier amicta sole, quia sol diuinitatis infulget ei, & circumfulget eam, & totam occupat, & post eam maximè illustratam, cœli ciues illuminat. Ipsa Solis huius splendorem primò, & præ omnibus suscepit. Ipsa amicta est hoc sole, & perfectè & præcipuè diuinitatis fruitione perfunditur. Et quasi hanc induit, dum tantam eius plenitudinem accepit. Ideò verò hoc Sole amicta est in cœlo, quia in terra perfectè Christum induerat, sicut dicit Apostolus. Et gratia plena fuit. Est autem Luna sub pedibus eius, idest, Ecclesia triumphans, quia inferior est, & post eam. Hoc Sole illustrata luna defectum patitur, & ideò quia omnis homo præter eam, defectum aliquem habuit; illustrari ab hoc potest, non æqualiter vestiri.]

11. Quamuis autem perfectio beatitudinis essentialis, non petatur ex obiectis secundariis, sed ex solo obiecto primario, nempe Deo vt in se est; multíque alio quopiam inferiores beati, plura secundaria obiecta in Verbo videant, quàm superiores; quia scilicet ea obiecta secundaria pertinent ad statum inferiorum illorum beatorum, non item ad statum superiorum: tamen quia B. Virgo sub Christo est aliquatenus causa vniuersalis in genere gratiæ, tenétque veluti locum Euæ matris viuentium, cuius vel curæ, vel tutelæ ac protectioni, commissa sunt omnia ad aliorum beatorum statum pertinentia: propterea admittendum est B. Virginem plura in Verbo videre, quàm videat vllus singularis beatus infra Christum. Imo tam multa solam videre, quàm videant illi omnes; & præterea alia quædam quæ ipsi non vident, quia ad specialem ipsius Virginis statum pertinent. Nempe ita decuit glorificari Dei matrem, & sic honorari ac extolli, adiutorium simile sibi Verbo homini datum, vnde beatis omnia bona velut ex fonte vberrimo dimanarunt.

Exposita Deiparæ accidentalis gloria, transiens.

12. PErgo ad gloriam accidentalem Deiparæ, quæ multiplex distinguenda est. Quædam enim est intrinseca, vel quasi intrinseca transeunter tantùm; quædam est intrinseca stabiliter vt aureolæ, quas multi volunt esse formas intrinsecas. Item quædam est extrinseca in cœlo repensa, siue consistat in veneratione cœlitum omnium Deiparæ exhibita, siue in morali potestate in cœlo & in terra: quædam verò gloria accidentalis extrinseca, rependitur Virgini in terris, vt cultus omnigenus eidem à mortalibus exhibitus. Sed illa quidem intrinseca gloria, quæ instabilis est, consistítque in gaudiis accidentalibus, ex bonis quæ à viatoribus, in bona beati exempla contuentibus fiunt, itémque in reuelationibus extra Verbum, aut in impetrationibus, aliísque huiusmodi, non est quod nos diu remoretur, cum sit ferè omnibus beatis magis aut minùs communis. Quanquam dubitare non licet, quin hæc omnia in

B. Virgine, superent similia dona aliorum beatorum, cum fundamenta huius multiplicis gloriæ accidentalis, sint & plura, & illustriora in Deipara, quàm in aliis beatis. Quam verò latet, quanta in dies cuiuis hominum generi impetret Deipara? Siue corporea bona aut temporalia, siue spiritualia, aut æterna spectemus, nullus est beatorum infra Christum, per quem plura & certiùs impetranda sperare liceat.

13. Imò sunt, qui omne planè bonum, per eam nobis actualiter impetrari, & conferri contendunt. Ita Salazar. in c. 8. prouerb. à num. 167. & in c. 31. n. 118. & tract. de concep. c. 21. & Benzo in psal. 86. c. 28. & 43. fauétque S. Germanus orat. de assumpt. verbis illis. [Nemo donum vllum consecutus, nisi per te dilecta Deo.] Et orat. de Zona & fasciis Deip. [Nullus est qui saluus fiat, nisi per te, ô sanctissima! Nullus est qui liberetur à malis, nisi per te, ô purissima! Nemo est, cui donum concedatur, nisi per te, ô castissima! Nemo est, cuius misereatur gratia, nisi per te, ô honestissima! Fusè S. Bernardus serm. de aquæ ductu, vbi contestatur sic esse voluntatem Dei, qui totum nos habere voluit per Mariam, ídque esse collum Ecclesiæ, per quod omnis à capite influxus dimanat. Et serm. 3. in Vigil. Natiu. Dom. *in fine.* [Quia indignus eras cui donaretur, datum est Mariæ, vt per illam acciperes quicquid haberes, quæ per hoc quod Mater est, genuit tibi Deum: per hoc quòd virgo est, exaudita est pro reuerentia sua, in causa tua & totius generis humani. Si sola mater esset, sufficeret ei vt saluaretur per filiorum generationem, si sola virgo, sufficeret sibi, nec benedictus fructus ventris eius mundi precium esset. Cùm ergo in prima sit remedium, in secunda adiutorium est: quia nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non transiret.] Idiota in contempl. de Deip. in prologo, & Richardus à S. Laurentio l. 2. de Deip. part. 1. causa 22. imitati Petrum Damiani serm. 1. de Natiu. B. Virginis *in fine*, hoc sensu videntur nominasse Deiparam, *Thesaurariam Dei, ac Christi.* A Rabbinis ex antiquo oraculo dictam *Mitraton* idest *principem faciertum*, quod quotquot ad Deum accedunt, per eam admittantur, notat Franc. Georgius cant. 1. tono 5. c. 6. Hincque vlterius infert Alarcon tract. de prædest. c. 6. n. 3. B. Virginem meruisse de congruo prædestinationem omnium hominum, sicut Christus illam meruit de condigno. Nam si in tempore omnis gratia, atque adeò omnis prædestinationis effectus, datur per impetrationem & merita congrua Virginis; necesse est ad æternam eiusdem doni prædestinationem, qua decretum est de conferendo eo dono, impetrationem & merita Virginis interuenisse.

14. Hæc sententia est satis pia. Ab ea tamen dissentit Ruis. disp. 58. de prædestin. s. 2. Nec sanè video, vbi illud actuale meritum congruum Deiparæ, vel impetratio, respectu omnium donorum quæ nobis à Deo obtingunt, fundari satis possit. Nam quod Patres interdum videntur id dicere, cum docent omnia nobis bona per B. Virginem obtingere, facilè exponitur de causalitate mediata; nempe ratione Christi quem produxit. Apertè ita se exponit Adam de Perse in Allego. Tilm. ad c. 24. Ecclesiastici. [Oliua (inquit)

fructifera, mater misericordiæ Virgo Maria. De oliua profluit pinguedo olei. Fundit gratiæ plenitudinem, misericordiæ vnctionem profert mater Christi. Quàm jucundum, quàm suaue est illi cohærere? Quàm salutiferum intra puerperæ diuersorium demorari. Si infirmus es, de diuersorio illo abundanter profluit oleum infirmorum. Si sanus es, & de testimonio conscientiæ arridet tibi justitiæ sanitas, oleum lætitiæ suscipis ex Maria. Species morum, operum decor, meritorum gloria, totum de gratia Mariæ suscipitur, cum amatur. Cum enim plena sit gratiæ, & tota misericordiæ deliciis affluens, nihil gratiæ omnino accipimus, quod non nobis conferat partus eius.] En cur dixerat, ex B. Virgine profluere omnem gratiam. Similiter creditus Bernardus serm. 1. in *Salue Regina*, B. Virginem esse nobis vitam, docet; quia vitam Christum nobis peperit, & precibus infundit.

15. Quæ item causa est, cur interdum B. Virgo vocetur *auctrix meriti*, vt apud Augustinum serm. 17. de Natiu. Dom. & apud Hieronimum epist. de Assumpt. Aliàs autem vocatur *mediatrix nostra*. Loca varia signaui l. 5. de Christo tractando titulum Mediatoris. Fusus in eam rem est Salazarius l. de conceptione capite 21. Eandem ob causam apud aliquos æquè audit *redemptrix generis humani*, saltem partialis: dicitúrque dedisse animam suam in redemptionem pro multis, vt loquitur Gulielmus Paruus ad c. 1. Cant. in Catena Delrij, circa illud, *Vineam meam non custodiui*. Ab aliis dicitur cooperata nostræ redemptioni, nempe partim ratione Christi, partim ob consensum voluntarium cum eo patiente. Qua ratione apud S. Birgittam l. 1. reuelat. c. 35. leguntur hæc verba. [Dolor Christi, erat dolor meus; quia cor eius erat cor meum. Sicut enim Adam & Eua, vendiderunt mundum pro vno pomo, sic filius meus & ego, redemimus mundum quasi vno corde.] Lanspergius hom. 48. de pass. dom. Virginem vocat *participem & comparticipem redemptionis nostræ:* nempe quia suppeditauit Christo pretium redemptionis, & magno affectu impendit se ac superimpendit Christo redemptori nostro juuando, ministrando, ei dum opus redemptionis nostræ perficeretur, eíque ad calcem perducto præsto fuit: ac quantum ad ipsam attinuit, illud omnium seculorum negotium promouit. Abest hinc non multùm Rich. à S. Laur. l. 2. part. 2. *sub initium*, quod prædixerat Isaias c. 63. in persona Christi, *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum*, sic intelligendum est, & securè potest sic exponi. Verum est Domine, quod non est vir tecum, sed vna mulier astat tibi crucifixo, quæ, quascunque plagas, quæcumque vulnera, quoscumque dolores sentis, & suscipis in tuo corpore; compatiendo suscipit in visceribus cordis sui. Et sicut dira lancea perforat latus tuum, sic eius animam pertranseunt dolorum tuorum gladij vniuersi. Sic igitur pater, quemadmodùm hæc mulier cooperata sit ad salutem mundi.]

16. Non sunt tamen ista vel passim promenda, vel absque conuenienti interpretatione. Nam certum est, Christum caruisse socio redemptionis nostræ. Nominatímque B. Virginem nihil contulisse ad complédum pretium nostrum, pulchrè his verbis tradit S. Ambrosius episto. 25. agens de ea ad Crucem

filij stante. [Fortassè quia cognouerat per filij mortem mundi redemptionem aula regalis, etiam sua morte putabat se aliquid publico addituram muneri. Sed IESVS non egebat adiutore ad redemptionem omnium, qui omnes sine adiutore seruauit. Vnde & dicit, *factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber*. Suscepit quidem affectum parentis, sed non quæsiuit alterius auxilium.] Hæc S. Ambrosius quæ verbatim descripsit Arnoldus Abbas in Deiparæ laudatione *sub finem*. Neuter verò existimasse censendus est, B. Virginem ignorasse redemptionem mundi esse opus Christi solius. Absit enim vt tanti viri, tam crassam ignorantiam B. Virgini tribuerint. Sed sensus eorum est, B. Virginem existimare fortassis potuisse, moriendum sibi esse cum Filio redimente mundum, idque Deo acceptum fore, si se offerret ad concomitantem mortis perpessionem, qua erga Filium morientem, testaretur affectum suum. Idque faciens, aut potiùs subiens, aliquid publico muneri addere visa esset, non quo munus illud alioqui mancum expleretur, sed quod concomitanter illi adiungeretur, & aliquatenus, extensiuè cumularet atque perficeret. Cæterùm nemo ausit reuocare in dubium, quin planè certum sit totam redemptionem nostram, formaliter & præcisè loquendo, à solo Christo dependisse, vt benè circa hæc Virginis Epitheta monuit Malonius ad c. 4. Palæoti de sacra syndone nu. 20. & ante eum Cartus. l. 2. de laud. Deip. art. 23. Itaque (vt dixi,) hæc Patrum dicta, mollienda sunt, & accipienda in sensu proposito. Qua de re denuò, obseruatione 4. ad Nomenclatorem.

Deiparæ accidentalis gloria, stabilis. Aureola Virginitatis ei vindicata.

17. IAm accidentaria Deiparæ gloria stabilis, est ea quæ continetur aureolis: illis inquam specialibus præmiis quorundam heroicorum actuum; nēpe Virginitatis, doctrinæ Euangelicæ, & martyrij, quorum ratio exponitur in tractatione de beatitudine. Et aureolam quidem Virginitatis, constat Deiparæ competere: cum fuerit Virgo Virginum. Et ita rectè Pelbartus lib. 10. p. 2. quæsito 3. post S. Thomam in 4. d. 49. Item Sibyllanus decade 1. c. 3. q. 9. Nec refert, quod Virginitatis obseruatio in Deipara ob extinctum fomitem, vacauerit difficultate, vt tradit Epiphanius Constantinopol. interpretando ea verba *virum non cognosco*. Locum eius adducit Castro c. 2. Histor. Deiparæ num. 5. Idem videri potest voluisse Guerricus Abbas serm. 2. de Annunc. qui rationem reddens cur B. Virgo ab Isaia sit denominata, *petra deserti*, præter cætera ait idcirco dictam esse petram, [quia sensu quoque ipso, aduersùs illecebram peccati, tota insensibilis erat & lapidea.] Quæ tametsi ab eo vniuersaliter prolata, & æquè valentia de quocunque peccato, præsertim tamen valere debent de peccato maximè illecebroso, cuiusmodi est quod Virginitati infestum imminet, & tanti ornamenti possessionem nobis difficilem reddit. Vacauit igitur difficultate in Deipara, Virginitatis custodia. Neque tamen idcirco negandum ei est speciale decus, quod Virginitatem

operosè, & inter magnas difficultates retinentibus, diuinitùs est constitutum supra præmium essentiale beatitudinis. Quantumlibet enim Virginitatis custodia supponatur mollis & expers spinarum ; nihilominus tamen obseruationi suapte natura arduæ, debetur aureola ; Est quippe per accidens, quod difficultas ob vberem affluxum gratiæ, exulauerit ab ea obseruatione.

18. Aureolàm quoque doctrinæ siue Magisterij fidei & virtutum, adepta est B. Virgo quæ ad iustitiam erudiit tam multos, ipsósque inprimis fontes Israel, aquis disciplinæ compleuit : Apostolos inquam & Euangelistas erudiuit, vt egregiè planè prosequitur. S. Anselmus supra adductus s. 1. p. 9. & Amædeus Lausan. hom. 7. ac Rupertus in c. 2. Matth. Et quanquam publicè non prædicauit per sexum prohibita, tamen priuatim erudiuit innumeros. Qua distinctione, discrepantes circa hoc D D. sententias componit Cartus. l. 2. de Deip. art. 5. Aliter quoque Virgini hanc aureolam vendicant, Albertus super *Missus est* c. 117. & Pelbartus l. 10. p. 2. art. 2. quæsito 1. Dicunt enim B. Virginem prædicasse factis, & mundo Christum procreasse, qui fuit summus sapientiæ & veritatis Magister. Sed ratio quam dedimus, est expeditior & planior.

An aureola Martyrij, tribuenda Virgini. Pars affirmans.

19. DE aureola martyrij, variè varij. Dimissis autem iis qui fabulosè commenti sunt B. Virginem cruenta morte defunctam, & communi martyrio decoratam fuisse ; inter eos qui B. Virginem sicca morte obiisse consentiunt, quidam B. Virgini aureolam martyrij formaliter & propriè concedunt, vt Spinellus c. 11. operis de Deipara num. 2. Cartus. l. 4. de Deip. c. 18. Carthag. l. 12. de Deip. homil 6. Pelbartus l. 10. Stellarij p. 2. art. 2. quæsito 2. & pleniùs l. 3. p. 2. art. 3. Catharinus l. 3. de concept. immac. persuasione 7. Fauent Patres qui B. Virginem vocant martyrem, vt Sophron. hom. de assumptione Philippus Abbas epist. 14. Rich. à S. Laurentio l. 3. de Deip. priuilegio 10. *pag.* 192. Amed. Lausan. latè ac pulchrè homil. 5. Alij vocant plusquàm martyrem, vt S. Bernardus sermone in illud, *Signum magnum.* [Verè tuam (inquit) ô beata Mater, animam gladius pertransiuit. Alioquin non nisi eam pertransiens, carnem filij tui penetraret. Et quidem postea quàm emisit spiritum tuus ille Iesus (omnium quidem, sed specialiter tuus,) ipsius planè non attigit animam crudelis lancea, quæ ipsius (nec mortuo parcens, cui nocere non posset,) aperuit latus. Sed vtique, tuam vtique animam pertransiuit. Ipsius nimirum anima jam ibi non erat, sed tua planè inde nequibat auelli, Tuam ergo pertransiuit animam vis doloris, vt plus quàm martyrem non immeritò prædicemus ; in qua nimirum corporeæ sensum passionis excesserit compassionis affectus. An non tibi plus quàm gladius fuit, sermo ille reuera pertransiens animam, & pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus ? *Mulier, ecce filius tuus* ? O commutationem ! Ioannes tibi pro Iesu traditus, seruus pro domino, discipulus pro Magistro,

filius Zebedæi pro filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodò non tuam effectuosissimam animam pertransiret hæc auditio, quando & nostra licet saxea, licet ferrea pectora, sola recordatio, scindit? Non miremini fratres quod Maria martyr in anima fuisse dicatur. Miretur qui non meminerit, se audisse Paulum inter maxima gentium crimina memorantem, quod sine affectione fuissent. Longè id fuit à Mariæ visceribus, longè sit à seruulis eius. Sed fortè quis dicat; Numquid non eum præsciebat moriturum? Et indubitanter. Nunquid non sperabat continuò resurrecturum? Et fidenter: super hæc doluit crucifixum? Et vehementer: Alioquin quis nam tu frater, aut vnde tibi hæc sapientia, vt mireris plus Mariam compatientem, quàm Mariæ filium patientem? Ille etiam mori corpore potuit, ista commori corde non potuit? Fecit illud charitas, qua maiorem nemo habuit: fecit & hoc charitas, cui post illam similis altera non fuit.]

20. Eodem modo plusquàm martyrem, Virginem pronunciant Hildeph. ser. 2. de assumpt. Rich. à S. Laurentio *supra*, S. Ansel. de excell. Virg. c. 4. Laur. Iustin. de triumph. Christi agone c. 18. S. Birgitta l. 1. reuelat. c. 52. Iacobus de Valentia latè in Cantic. Deiparæ vers. 4. dignitate 9. & alij quos appendunt Malonius ad c. 4. Palæoti de sacra sind. *in fine*, Henriques l. de fine hom. c. 10. num. 8. & Mendoça l. 2. florum sacrorum problem. 7. *in fine:* qui singulari quodam dicendi modo ait, B. Virginem adeptam esse aureolam martyrij ex opere operato; idest, non vi perpessionis mortis, sed ex mero Dei beneplacito vltra meritum Virginis. Idem decus martyrij supereminentis à Virgine tolerati, ferunt illa Richardi Victorini suo c. 26. in Cant. [Super hæc martyrio decorata fuit. Ipsius enim animam pertransiuit gladius, non materialis, sed doloris. Quo martyrio, grauiùs passa fuit quàm ferro. Quantò enim incomparabiliter amauit, tantò vehementiùs doluit. Vnde sicut non fuit amor sicut amor eius, ita nec fuit dolor similis dolori eius. In martyribus magnitudo amoris dolorem leniuit passionis: sed beata Virgo, quantò plus amauit, tantò plus doluit, tantóque ipsius martyrium grauius fuit. Vnde quia plus omnibus dilexit, & juxta magnitudinem amoris, erat vis doloris; grauiùs passa fuit mente, quàm martyres carne.]

Sic etiam Rupertus in illud Cant. 3. *ascensum purpureum.* [Cum pia mater dicit, ascensum suum esse purpureum, se Martyrem profitetur, & sibi mori lucrum. Illustre eius martyrium à prophetante Simeone euidenter insinuatum fuit, cum loquens de filio diceret, *Tuam ipsius animam, doloris gladius pertransibit.* Planè gladius acutissimus, dolor dominicæ passionis, animam piæ matris penetrans, atque transuerberans, eam spiritualiter commori filio fecit. Martyres alij fuere moriendo pro Christo: hæc commoriendo Christo martyr fuit, & commartyr Christi. Illorum corporale, matris spirituale, & proinde præstantius, martyrium fuit. Plus est esse commartyrem Christi, quàm martyrem Christi. Martyres suo, hoc est, hominum, foris sanguine: sed Maria filij, hoc est Dei, sanguine intùs rubebat.

21. Ferunt præterea Martyrij Deiparæ præcellentiam quæ pro Martyrij

illius veritate, etiamsi B. V. sicca morte obierit, addensauit Philippus Abbas epist. illa 14. [Mariam Virginem (inquit) martyrem esse dicit, quæ non contentiosè autoritate Euangelicæ contradicit : cum prædicta & scripta sit illa sententia Simeonis, quod illius animam pertransiret gladius passionis: *Et tuam*, (inquit) *ipsius animam pertransibit gladius.* Si Martyr est cuius carnem transit gladius corporalis, quis neget esse martyrem, cuius animum vexat, & quasi exanimat tribulatio temporalis? cùm multò sit acerbior passio, qua vexatur animus naturaliter immortalis, illâ, quam sustinet caro citò deficiens & mortalis. Plerique etenim tam inconsolabiliter contristantur, tanto dolore, tanta miseria cruciantur; vt cùm suo cruciatui non possint remedium adhibere, magis diligant mortem carnis, quàm præsentem angariam sustinere. Cum Maria videret suum & Deum & filium iniustè judicari; opprobriis, irrisionibus, sputis, colaphis flagellari, manus & pedes clauis, latus lancea perforari, extensum in patibulo morte turpissima condemnari; quis pinset mater affectuosa, quantam in animo tulerit læsionem, quo affectu ad cor suum retulerit filij passionem. Adeò inuenta est mater pro filio doluisse, vt quod in carne filius, credenda sit mater in animo pertulisse: eique non clauorum, sed dolorum spicula sunt infixa, & ipsa cum filio viuens cum mortuo crucifixa. Æstimo quia cum in conspectu matris, filius in patibulo moreretur, si eidem matri optio donaretur; mallet citò moritura corpore crucifigi, quàm victura diutiùs in animo sic affligi. Quis ergo dubitet eam martyrem extitisse, quam sic inuenitur dolor intimus afflixisse: quam secuit & pertransiit tribulatio districtior omni serra vel gladio bis acuto, filio moriente, & ab omni velut ope miserabiliter destituto? Quod attendens Simeon; *Tuam* (inquit,) *ipsius animam pertransibit gladius.* Ille etiam qui per Spiritum sanctum Missæ canonem ordinauit, & Mariam & Ioannem esse martyres latenter affirmauit: dum in catalogo Sanctorum, vbi non nisi Martyres, memorauit, & Mariam præ cæteris, & Ioannem cum cæteris nominauit.]

Ad extremum S. Hildefonsus serm. 2. de Assumpt. sic scribit de Virginis Martyrio.[Post Christũ qui caput est & Deus totius Ecclesiæ, hæc Virgo gloriosa refulget, etiam super choros vt cantatur, exaltata Angelicos, clarissima inter Virgines, candidior inter Martyres: quia etsi illi Martyrio coronati dealbarunt stolas suas in sanguine Agni, nihilominùs hæc beata & venerabilis Virgo, candidior dignè prædicatur; eo quod etsi corpora Martyrum pro Domino supplicia pertulerunt, nihilominùs hæc admirabilis Virgo, in anima, passa teste Domino comprobatur. Ait enim Simeon, vel Dominus ad eam; *Et tuam ipsius animam, pertransibit gladius.* Quod si gladius vsque ad animam peruênit, quando ad crucem stetit fugientibus Apostolis cum videret Dominum pendentem, etiam plusquàm martyr fuit, quia in animo non minùs amoris, quàm mœroris est intùs gladio vulnerata. Parata enim stetit, si non deesset manus percussoris. Beata Dei genitrix, jure plusquàm martyr mater est, quæ nimio amore vulnerata, testis extitit Saluatoris, & præ mœrore, in animo, cruciatum sustinuit passionis.] Hæc omnia suadere videntur, non esse negandam

B. Virgini,

B. Virgini, præstantissimam aureolam martyrij, cum de tot Patrum sententia, fuerit verè martyr, & plusquàm martyr.

Eligitur cum temperatione, pars negans.

22. Contraria tamen sententia, quæ negat Virginem habuisse formaliter aureolam martyrij, perspicua videtur. Tradunt eam Suar. t. 2. 3. p. d. 21. s. 4. Salas. 1. 2. tract. 2. d. 8. n. 75. Corduba l. 1. q. 49. §. *alio modo*, Sotus in 4. d. 49. q. 5. art. 2. Abul. Matth. 13. q. 20. & alij quos adduco in opere de Martyrio p. 2. c. 1. n. 4. vbi ex iis quæ ad verum martyrium & consequenter ad martyrij aureolam præsupponenda sunt, perspicuè euici Deiparam verè & formaliter martyrem non fuisse, ac proinde non esse adeptam martyrij aureolam. Ludicrum verò est existimare, Deum hoc præmium & decus singulare, constitutum pro victoria arduæ actionis vel perpessionis, tribuere ei qui neque egerit, neque perpessus sit. Sic enim suam ipse constitutionem pessundaret. Quamuis autem si aureola esset qualitas quam Deus victori imprimeret, facilè intelligi posset, Deum illam conferre ei qui nihil egisset aut passus esset: tamen si aureola sita est in æstimatione morali honorifica, & clara cum laude notitia, absque vllius physicæ qualitatis impressione, vt admodùm probabiliter statuit Lessius l. 2. de summo bono num. 169. perspicuum est, aureolam martyrij, non posse sine figmento à quo Deus abest longissimè, concedi illi qui fundamento idoneo talis claræ notitiæ perennis, caruerit. Fundamentum autem illud est mors reapse obita pro veritate reuelata; non item condolentia de Christi doloribus; vel perpessiones quæcunque pro Deo citra mortem toleratam, saltem in causa sua naturali, nisi miraculo fuisset impedita. Fuerit igitur B. Virgo eminenter martyr, quatenus plura pro Christo subiit, quàm multi martyres: & gladio doloris, anima eius transfixa est, patiente Christo; non tamen idcirco dicenda est fuisse propriè & formaliter martyr, atque adeò neque donata est aureola illa peculiari, quæ formaliter martyribus rependitur ex diuina lege.

Potestas Virginis in cœlo & in terra.

23. Ad aureolas si decora sunt extrinseca, vt nonnullis videtur, accedunt decora illa extrinseca, quæ potestate morali vel cultu & veneratione, cum cœlitum, tum mortalium continentur. Potestas moralis hoc loco ea est, penes quam Deipara denominatur orbis regina, & domina cœli & terræ. Quod vsque adeò mortalium mentibus altè in fixum est, vt passim non aliter Virginem denominent, quàm *dominam & reginam nostram*, antonomasticè & absque addito: fremente licet Caluino, qui spurcissimè queritur, dici à nobis *Reginam*, quæ se vocauit *ancillam*. Quasi verò eam vocemus *reginam domini*, cuius se ipsa meritò *ancillam* dixit. Est ergo Regina mundi, seu cœli & terræ, non Domini. [Maria (ait Arnoldus Bonæ vallis in Encomio) lingua

Syriaca *Domina* dicitur: Christus Dominus, Maria Domina, & licet ipsa se Christi profiteatur ancillam; hoc seruitutis genus omni regno sublimius esse intelligitur. Constituta quippe est super omnem Creaturam: & quicumque Iesu curuat genu, Mariæ quoque pronus supplicat & accliuis. In supernis & inferis admirationi est virgo puerpera: stupent dæmones, gaudent homines, in cœlo gloriam Deo concinunt principatus & potestates.] Vides quomodò ancilla domini, quomodò simul mundi regina. Eam porrò denominationem, sortita est Deipara, quatenus omnia apud filium summum omnium Regem potest; tam ob coniunctionem cum eo, fundatam in maternitate, quàm ob insignia merita, quæ cum in gloria fuerint consummata, meritò dicimus Virginem in gloriæ aditu, donatam esse summa morali potestate in omnia subtus eam iacentia.

24. Testantur hoc infinita bona, quæ mortalibus quâ apud Deum valet gratia, exorat & confert indies. [Per matrem (inquit Amedeus Laus. hom. 8.) filio, per Virginem reconciliantur Deo, vitæ dati, morti penitùs subtracti. Desiderium peccatorum peribit, desiderium verò Beatæ Mariæ perficitur, quando educuntur quotidie vinculati de lacu miseriæ, & luto fæcis, vt de peccati ergastulo, & profundo iniquitatis, indulgentiæ dono respirent in auras perennis libertatis. Sic illa colligit dispersos, reuocat auersos, eruens eos qui ducuntur ad mortem, quósque trahi cernit ad supplicia, liberare non cessat. Non solùm autem animarum saluti, verùm etiam humanorum corporum sanitati, atque necessitati pia diligentia prouidet, & medetur. In locis quippe memoriæ sanctitatis eius dicatis, claudis gressum, cæcis visum, surdis auditum, mutis impetrat eloquium, curans omne genus languorum, præbénsque innumera beneficia sanitatum. Accedunt ad eius limina rei tundentes pectora, confitentes delicta; & accepta venia, læti ad propria reuertuntur. Accedunt etiam mente capti, capite languidi, phrenetici, maniaci, arrepticij, nocturno timore aliquó-ve phantasmate, seu certa maligni incursione delusi, qui recepta sospitate, diuini muneris largitatem assequuntur. Accedunt nihilominùs ad eius vestigia, qui amaro sunt animo, mœsti, egeni, afflicti, desolati, ære alieno obligati, quodque grauissimum est, viuentes cum dedecoris nota respersi. Horum & omnium de quacunque tribulatione clamantium, illa libens præces suscipit, & Nato supplicans, omne malum ab eis miseratrix auertit.] Et mox. [Extant harum assertionum exempla plurima, quæ vt notissima, & peruulgata, compendiosè prætérimus. Sciendum verò certissimè, quòd creberrima miracula, innumera beneficia, spiritales visiones, cœlestes reuelationes, sublimes consolationes almæ Parentis Domini, orbi terrarum assiduè coruscabunt, donec finem mundus iste senescens inueniat, inclarescente regno, cuius non est finis.] Idem locis propè innumeris prosequitur Richardus à S. Laurentio in Opere de Deipara, sed nominatim libro 11. *ferè initio* exponens portas ciuitatis Dei, de quibus accipit illud Isaiæ 60. *Aperientur portæ tuæ jugiter, die & nocte non claudentur.* Hoc autem perinde esse ait, ac dicere B. Virginem, omnibus ad eam beneficij exposcendi gratia accurrentibus

ſemper patere, nec portas miſerationum eius, vlli vnquam occludi, qui ſupplex ad eam confugerit. Quinetiam addit portam oris eius ſemper patere ad Deum, in gratiam peccatorum vt reſipiſcant, & reuertantur ad cor. Nec minùs ſollicita eſt pro iis quos flabra tentationum agitant, vt firmentur in bono, nec Satanæ pellaciis & fraudibus capiantur. Specialiter verò cenſetur conferre ad hæreſeon extirpationem juxta illud *cunctas hæreſes ſola interemiſti*, de qua prærogatiua rurſus infra.

Habemus poteſtatem in cœlo & in terra conceſſam Deiparæ. Sunt qui eam quoque ad Purgatorium protendant, qua de re pronunciauimus in Tract. de Purgatorio ſ. 3. puncto 1. quæſ. Illud etiam veriſſimilè proditur, B. Virginem, aliquos præueniſſe ne ſubirent Purgatorium, ſuis eos precibus muniendo. Quod de Alexandro tertio narrat Menologium Ciſtercienſe 27. Auguſti, & de aliis alij. S. Hildefonſus ſerm. 5. de Aſſumpt. fideli (vt ait) præſumptione, pia temeritate, etiam ad Infernum extendit Virginis potentiam remedium aliquod & refrigerium ac immunitatem à vexatione dæmonum concedens, damnatis in die Aſſumptionis B. Virginis. Hanc nos indulgentiam alibi expunximus.

Vtriuſque Hieruſalem erga B. Virginem honores vniuersè.

25. IAm cultus & honor, Deiparæ jam glorioſæ per cœlites exhibitus, inde æſtimari & conjici poteſt, quod Chriſtus ipſe in cœlo honorat & collaudat matrem ſuam, vt Amed. Lauſan. hom. 7. pulchrè proſequitur. Beati igitur cœlites, qua ſunt viſus mentalis perſpicacia, & voluntatis nullo affectu diſtortæ rectitudine, aduertentes plenitudinem bonorum à Deo in Deiparam jam glorioſam magnificentiſſimè profuſam, non poſſunt non honorare eximio cultu, arcam ſanctificationis domini, & vt Hierem. c. 17. vocauit, *locum ſanctificationis noſtræ*. Vident hanc eſſe petram, de qua omnes filij adoptionis, per Chriſtum ex ea progenitum, ſunt exciſi. Agnoſcunt quanta inibi miracula Deus ſit operatus, & venerationem à Moyſe terræ inanimatæ delatam ob perceptos ibi diuinos affatus, exhibent terræ viuentium quæ præ illa dicenda eſt ſancta ſanctorum, vt Damaſc. rectè pronunciauit orat. 2. de imag. *in fine.* Multus eſt in his cœlitum erga Deiparam jam glorioſam honoribus exponendis, Cartuſ. l. 4. de laud. Deip. art. 15. Æmulata fœliciter cœleſtem Eccleſiam, ea quæ adhuc in terris militat, B. Virginem cœlo illatam, omni cultu & veneratione proſequitur meritiſſimò, vt contra rabiem Sectariorum diligenter monſtrauit Caniſius l. 5. de Deip. à c. 8. & Coccius tomo 1. l. 5. art. 13. Suppetunt autem tantæ venerationis tituli complures, de quibus ſigillatim Raguſa 3. p. tomo 2. diſp. 44. nempe contactus Chriſti, maternitas, ſanctitas maxima. Et titulo quidem ſanctitatis tametſi eximiæ, non debetur Virgini, ſpecificè diuerſa adoratio, ſed tantùm qualis exhibetur aliis juſtis; cum idem ſpecificum adorationis fundamentum commune illis ſit cum Deipara,

cui tamen intra eandem speciem adorationis & cultus, altius quippiam & sublimius debetur.

26. Titulo maternitatis, (juxta S. Thomam 2. 2. q. 103. art. 4. ad 2.) exhibetur Virgini cultus hyperduliæ: quem, quod Vasques l. 1. de adorat. disp. 8. c. 2. negat esse nobiliorem cultu qui ob sanctitatem rependitur, audiendus non est. Verè quidem ille assumit, eò nobiliorem esse cultum, quò dignitas eum fundans est altior atque sublimior. Sed non benè subsumit, sanctitatis dignitatem, sublimiorem esse maternitate. Nam tametsi sanctitas plus prodest habenti, quàm prodesset maternitas, si sejungeretur à sanctitate; & ad conciliandum Dei fauorem prior sit sanctitas, quàm maternitas, vt Christus ipse Lucæ 11. significauit. Tamen dignitas maternitatis, cum spectet ad ordinem vnionis hypostaticæ, est multò eminentior, ideóque nobiliorem cultum deposcit. Habemus exemplum in Magistratu improbissimo, qui præ homine priuato vitæ innocentissimæ, colendus & honorandus est; eo quod munus quo fungitur, quamuis eum sibi (vt ita dicam,) meliorem non reddat; tamen sublimius sit, & illum aliis venerabiliorem efficiat. Est igitur hyperdulia quæ titulo maternitatis exhibetur, multò nobilior, quàm dulia exhibita ratione sanctitatis, quantumcunque intra duliæ speciem emineat. Et ita Suares t. 2. 3. p. d. 22. sect. 3. ac Mendoça l. 2. florum sacrorum problem. 4. Quibus tamen non subscribo, quatenus existimant. B. Virginem ratione maternitatis posse coli adoratione latriæ, profecta à virtute religionis qua Deus colitur. Hoc non admitto. Nam quamuis maternitas, indirectè inuoluat Verbum; tamen directè & formaliter, (qua ratione est fundamentum cultus,) est dignitas creata & finita, ac proinde non nisi cultum inferiorem eo qui Deo præstatur, fundare potest.

27. At si spectetur tertius titulus penes quem dicebam B. Virginem esse cultu dignam, nempe Christi contactus; præsertim non qualiscunque, sed maternus, & cum continentia & locatione causali, sic facilè darem secluso scandalo & probè seiunctis cultus fundamentis, B. Virginem esse adorabilem adoratione latriæ, multo magis quàm crux & claui, quibus latriæ cultus impenditur ob Christi contactum, & moralem cum eo vnitatem. Nec refert, quod crux & alia passionis Christi instrumenta, non sint secundùm se capacia adorationis, sicut est B. Virgo; quæ est causa cur D. Thomas 3. p. q. 25. art. 5. neget B. Virginem posse adorari suprema latriæ adoratione. Hoc inquam non refert. Nam inde tantùm habetur, rectè diuidendum esse; & spectandos ac secernendos prudenter esse titulos colendi, ne sub despicatiore titulo qui concomitanter cum isto nectitur, exhibeatur cultus supremus: Non tamen habetur, quin omnibus ritè aptatis, fas sit deferre supremam adorationem Virgini, æquè ac cruci: quatenus ob contactum, est moraliter vna cum Christo.

Tacta sigillatim officia militantis Ecclesiæ erga Deiparam.

HActenus generatim de cultu Virginis in Ecclesia militante, & accidentali per eum Virginis gloria. Sigillatim verò exhibet cultum illum Ecclesia, partim fœstis diebus Virgini colendæ addictis, partim dedicatione templorum, aut imaginum, & religiosa ad eas luminum incensione; partim denique officij recitatione, ac inuocatione, & interpellatione crebra in necessitatibus; quæ & cum honore eximio coniuncta est in actu exercito, (vt sic dicam,) & eum quoque in actu signato inferre & adiunctum habere solet. Fusissimi in his omnibus religiosæ circa Virginem venerationis officiis illustrandis, fuere varij.

Quoad festa & templa, justum tractatum habet Spinellus in opere de Deipara, de festis verò sigillatim Azor. tomo 2. l. 1. c. 17. ad 23. Suares lib. de festis c. 8. & tomo 2. 3. p. d. 22. s. 1. Bonifac. lib. 2. histor. Virg. cap. 5. Quod frequentius recurrit inter Deiparæ festa, est festum Sabathi, de cuius in honorem Virginis consecrati initiis satis incertis, multa Spinellus c. 29. operis de Deip. à num. 14. Eum latè stabilit Coccius tomo 1. l. 3. art. 6. Iam sigillatim de templis Virgini dicatis, extant lucubrationes integræ. Celebriora signarunt Canisius l. 5. Mar. à c. 23. & Bonifacius l. 2. histor. c. 1. 2. 3. & 4. Ferreolus Locrius libro 4. Mariæ Augustæ, toto. Cum templis nexæ sunt imagines. De cultu imaginum Virgini sacratarum multa Canisius l. 5. Mar. c. 22. Officium peculiare à Monachis recitandum, instituit Petrus Damiani vt videre est apud Baronium anno 1056. qui anno 1095. addit Vrbanum 2. in Concilio Claremontano vsum illum approbasse, & vt per quosuis Clericos ac fideles vsurparetur, sategisse.

28. Inuocationem Virginis, cum religioso cultu & formaliter & consequenter coniunctam, tuetur Coccius t. 1. l. 3. art. 4. & 5. & Canisius l. 3. de Deip. cap. 10. & 11. & benè contra Galassium Feuard. ad l. 5. sancti Iren. c. 19. Proditur autem oratione trina per dies singulos, signo ad id publicè dato. Quam tamen orationem ad Virginem, per se loquendo liberam esse, monstrat Suares l. 3. de orat. c. 6. n. 11. Impugnauit eam Deiparæ inuocationem Spurcus Hæreticus Hospinianus è Caluini hara. Sed eum repulit & argumenta eius esse planè inania, benè monstrauit Gretserus lib. 2. de benedictionibus c. 46. Item proditur ea inuocatio, solemni in precibus Litaneuticis appellatione, tam in communibus sanctorum omnium, quàm in peculiaribus ipsius Virginis: nec non recitatione Rosarij de quo Nauarrus miscell. 19. de orat. Canisius l. 5. c. 26. & Suares l. 3. de orat. c. 9. à n. 10. Insupérque nominatim, initio concionum ex pio vsu quem tuetur Castro V. *oratio* hæc 4. & nos in heterocl. Spirit. diatr. de tractatione verbi Dei *sub finem.*

Nolo piam praxim quotidianam, Virginem religiosè inuocandi & venerandi, missam facere, quam proponit Rich. à S. Laur. l. 2. de Deip. partic. 5. [Voluntas (inquit) filij est, vt matrem illius, & dominam nostram, benedi-

camus in omni tempore; ſcilicet nocte & die, in proſperis & aduerſis, & vt laus eius ſemper verſetur in corde & ore noſtro, de ipſa meditando, ipſam laudando, orando, benedicendo, illi gratias agendo, eius magnalia prædicando,& vt laus eius ſit quaſi frenum in maxillis noſtris,nos refrenans à vitiis linguæ. Vnde & ipſa promittit cum filio laudatori ſuo. Iſaiæ 48. *Laude mea infrenabo te, ne intereas.* Item vt impleas illud Pſalmo 102. *Omnia quæ intra me ſunt, benedicant ſanctum nomen eius.* Et benedicenda ſunt quotidie ſingula membra eius, vt in ſingulis membris noſtris benedictionem reportemus ab ea. Item benedicendi ſunt pedes, quibus Dominum portauit; Venter, in quo portauit; cor, vnde in eum fortiter credidit, & feruenter eum dilexit; vbera, quibus lactauit; manus, quibus nutriuit; os & lingua, quibus ei dedit felicia oſcula noſtræ redemptionis; nares, quibus ſenſit ſuaueolentem fragrantiam humanitatis eius; aures quibus dulcia eius eloquia delectabiliter auſcultauit; oculi, quibus ipſum deuotè reſpexit; corpus & anima, quæ Chriſtus in ea omni benedictione conſecrauit. Et ſalutanda, & benedicenda ſunt cum omni deuotione, hæc ſacratiſſima membra, ita vt ſingulis dicantur ſingulæ ſalutationes, ſcilicet, *Aue Maria*; duæ ad pedes, vna ad vterum, vna ad cor, duæ ad vbera, duæ ad manus, duæ ad os & linguam, duæ ad labia, duæ ad nares, duæ ad aures, duæ ad oculos, duæ ad animam & corpus. Et ſic in vniuerſo ſunt viginti ſalutationes, quem in modum penſionis quotidianæ, cum ſingulis & totidem genuflexionibus, ſi fieri poteſt, coram imagine ſua, vel altari, perſoluendæ ſunt Virgini glorioſæ, juxta illud Pſalm.144. *Per ſingulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in ſeculum*, &c. Et ſicut dicunt qui experti ſunt, & teſtantur qui à viris ſanctis audierunt, vix poſſet adinueniri modus alius ſeruitij, qui tantum Virgini complaceret, vel ex quo tanta deuotio redundaret diligentibus eam. Item, per ſingula eius membra, poſt genuflexionem, adorationem, & ſalutationem, ſic dicendum. Dulcis Domina, adoro & benedico beatiſſimos illos pedes, quibus Dominum ſuper terram portaſti, benedico & adoro beatiſſimum vterum illum, in quo Chriſtum baiulaſti; & ſic cæteris membris & ſenſibus, commemorando actus ſuos, quibus Domino ſeruierunt: quod meliùs dictabit deuotio,quàm ſermo; meliùs gratia, quàm ſcriptura.]

His ſi accedat imitatio B. Virginis, nihil deërit ad perfectam eius laudem. Vix enim eſt nobilior laudandi ſanctos ratio quàm eorum imitatio vt D. Auguſtinus non ſemel dixit. Idque Eccleſia ſeruari erga B. Virginem à fidelibus maximè intendit, proponens idcirco eam, vt Ideam ſecundùm Chriſtum, omnis ſanctitatis atque pietatis, & adhortans omnes, vt ad eius ſe formam & exempla fingant, quod in ſummum Virginis honorem cedit, ſi ab vnoquoque pro ſuo gradu & prudenter fiat. Quod addo, quia ſunt nonnulla quæ B. Virgo ſanctiſſimè & perfectiſſimè fecit, quorum tamen imitatio neque omnibus indicitur, neque congruit. Tale eſt quod S. Epiphanius hær. 78. verebatur ne in exemplum traheretur, puellæ Deo conſecratæ habitatio cum viro in eadem domo. Id enim quod B.Virgo ex ſpeciali inſpiratione fecit:

sanctissimè, absurdè exprimeretur imitatione à sacris virginibus; & fortassis id memorauit S. Epiphanius ad sugillationem Agapetarum quas duplici homilia confixit eo tempore S. Chrysostomus. Æquè absurdè sacræ Virgines, vellent frequentare nuptias, quia B. Virgo illas adiuit in Cana; quod absurdè allegandum esse à Virginibus, latè tradit Rupertus in cap. 2. Ioannis. Non plura de Deiparæ honoribus.

29. Non mirum sic à cœlitibus, sic item à mortalibus, accurri ad Mariam Deiparam benedicendam, laudandam, inuocandam. [Sicut enim punctum (ait S. Bern. s. 2. de Pentec.) in medio terræ, in vtero videlicet Virginis Mariæ, qui mirabili proprietate *terra medium* appellatur: Ad illam enim sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum, respiciunt & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis.]

Hæretici soli, erga Deiparam iniurij & inofficiosi.

30. SOli Hæretici in B. Virginem, diuinæ sanctificationis arcam furunt, rabiúntque. Notaui jam in eam rem aliqua superiùs Cautione 1. præambulari. Et alia peti possunt ex Bosio l. 9. de signis à c. 6. nec non ex Ferreolo Locrio lib. 1. Mariæ Augustæ cap. 3. & 4. Quæ Iacobus Gretserus in Præloquiis ad tres Autores contra Valdenses c. 3. ex Chronico Altissiodorensi adducit, eiusmodi sunt, vt absque horripilatione legi nequeant, nedum referri. Res profectò dignissima quam cœlestis censura perstringeret. Oza ob contactam arcam Dei nutantem, graues subitò pœnas dedit. Puella cum cadauer Constantinæ vxoris Heraclij Imperatoris efferretur, funebrem pompam de superiore loco prospectans, improuidè conspuit in Constantinam exanimem, & statim apprehensa ac cremata, infeliciter Imperatrici parentauit. Quis dubitare possit, quin arca vera Dei viui, irreuerenter, imo impiè ac blasphemè contacta, diuinam vltionem in hæc Satanæ organa, seriùs ocyùs aduocet; Nec impune sit hominibus nefariis, cœli terræque Imperatricem despuisse, non in feretro jacentem, sed in cœlo regnantem? Quanquam non adeò mirum videri debet, exosam esse Hæreticis Deiparam, quæ contriuit caput serpentis, cuius genimina sunt omnes hæreses; & sola interemit cunctas hæreses in vniuerso mundo, vt habet Antiphona Ecclesiastica, quam Demochares de sacrif. Missæ t. 2. & qui de rebus Virdunensis Ecclesiæ scripserunt, in Concilio Ephesino editam produnt; & à S. Pulchronio Episcopo Virdunensi inde redeunte, ad limbum imaginis Deiparæ quam pingi curauerat appositum ferunt. Antiquum certè est illud Virginis elogium, cum eius mentio habeatur apud Sophronium serm. de Assumpt. nec non apud S. Bernardum serm. de B. Virgine ex verbis Apocalypsis, Anselmum in c. 1. Cant. Rupertum l. 1. in Cant. ad illud *equitatui meo, assimulaui te.* Disserunt de eo plenè Canisius lib. 5. Marialis c. 9. & Morales l. 3. in Matth. tract. 7. num. 6. qui

monstrant, inde depromptum esse hoc decus Deiparæ, quod omnes hæreses quibus Ecclesia impetita est, profligatæ semper sint precibus ac meritis Virginis sanctissimæ. Quod si S. Euphemia ob celebratam in eius templo Synodum Oecumenicam à Constantino Episcopo Tij orat. de Inuentione reliquiarum eius, dicta est, *oris hæreticorum frænum validissimum*, quantò potiore jure B. Virgo, vendicabit sibi titulum de quo agimus, planè cum isto recidentem? Abeo interminatus his B. Virginis osoribus intortum à S. Martino Papa anathema vt refertur in Actis de eius Exilio cum per calumniam insimulatus esset, malè sentire de ea. [Quisquis beatam super omnem creaturam & naturam humanam, absque eo qui genitus est ex ea, venerabilem sempérque Virginem, matrem videlicet Domini nostri, non honorat atque adorat, anathema sit, & in præsenti sæculo & in futuro.]

Furfur doctrinæ, quoad essentialem & accidentariam Virginis gloriam.

31. ATtingamus furfures circa multiplicem gloriam Deiparæ hactenus expositam. Delirium cuiusdam circa gloriosum corpus Deiparæ, non splendens ac fulgens, quale erit cœterorum beatorum post resurrectionem atque judicium, sed variegatum quale est paui, retuli, ac explosi facula 20. ad Idiotam: vbi etiam tactum est duplex ludibrium essentialis beatitudinis Virginis, specie honoris auctioris & gloriæ plenioris. Nempe quod Virgo absque specie expressa Deum videat,& quod ad principiandum actum visionis, qualiscũque is demum sit absque termino interno producto seu specie expressa, non interueniat lumen gloriæ ex parte potentiæ, vt interuenit circa alios beatos. Hæc recoquere, ne otio ac tempore abutar, non vacat. Nihil enim minùs commodum, quàm talia promere de Virgine; quo tantum abest vt ad auctiorem eius honorem pertineant, vt potiùs imminuant & euertant eius gloriam; quod sufficienter indicatum est loco annotato.

32. Quoad accidentariam Virginis gloriam, ea illius amplificatio displicet, quam Salaz. l. de concept. c. 32. §. 1. inuexit, & copiosius etiam stabilit in c. 8. Prouerb. à n. 112. ad 147. cui subscribit Scipio Agnellus l. 3. de cruce interna Deiparæ dissert. 4. & aliquot sequentibus. Nempe quod Deipara ad gloriam prouecta, non eam duntaxat moralem potestatem quam superiùs expressimus sit sortita, sed etiam verè ac propriè dicto, cum Iurisdictionis tum proprietatis dominio, super omnia creata Christo inferiora potiatur; eóque etiam potita sit etiamnum viatrix; imo vt addit Salazarius l. de concept. c. 5. à n. 6. eam prærogatiuam sit nacta à primo momento sui esse, intuitu futuræ maternitatis. Hunc enim vnicum talis domini titulum, in Virgine siue concepta, siue gloriosa, agnoscit idem autor. Nam quod titulus donationis non interuenerit, perspicuum est vt fatetur cap. 108. n. 121. Titulus autem sponsæ Spiritus sancti, vel SS. Trinitatis, prætérquàm quod non est nisi metaphoricus, non potest sufficere ad communicationem dominiorum sponsi

cum

cum ſponſa, vt patet ex ſponſis & vxoribus vulgaribus; nominatímque ex mundi Reginis, quas nemo imperij Regij conſortes agnoſcit, niſi ratione fauoris & gratiæ qua apud Reges maritos valent, non autem ob propriè dictam participationem dominij. Itaque reſtat titulus maternitatis, quo vno nititur prædictus autor, ad vendicandum Virgini, (præſertim glorioſæ,) dominium prædictum.

Subſcribere videtur Nouarinus in Vmbra Virg. à Num. 1147. corrogatis variis teſtimoniis. Et plurima etiam addenſat Spinellus in Throno Dei c. 6. numero 5. quibus Deipara quia mater Chriſti omnium Regis eſt, Regina omnium denunciatur. Apertè id habet Athanaſius ad finem orat. de Deip. [Quandoquidem ipſe rex eſt qui natus eſt ex virgine, idémque & Dominus & Deus, ea propter & mater quæ eum genuit, & regina & domina & Deipara propriè & verè cenſetur, licebítque nobis ita congruenter dicere, dum & ad ipſam & ad eum, qui ex ea genitus eſt, carniferum filium reſpicimus : Nunc ſcilicet adeſt Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumamicta, variegata, eo quòd ſecundùm ſexum fœmineum, regina & domina & mater Dei appellari debeat.] Damaſcenum, Rupertum, & Anſelmum, ad idem allegat Mendoça lib. 2. florum Sacrorum problem. 1. confirmátque aliis additis in c. 2. Regum annot. 15. ſ. 3. n. 30. Fusè item aſtipulatur Benzonius lib. 1. in Cantic. Deiparæ cap. 18. De nonnullorum denique recentiorum ſententia, omnes quotquot aliquid in orbe terrarum poſſidebant, ex quo Virgo orta eſt, debuiſſe illud Virgini cedere tanquam titulo maternitatis veræ dominæ, ſi ipſa ceſſionem admittere voluiſſet, refert Poza. l. 2. tract. 17. c. 16. qui ait ſe id rejicere non audere; quod nullum inde oriatur incommodum, & ad pietatem promouendam conferat, Virginíſque honorem auctiorem contineat.

33. Alios quoſdam amplificandorum decorum & honorum B. Virginis nauos curatores, mirabiles quoſdam actus in eam rem ſuadere & proferre video. E benè multis eiuſdem farinæ, ſpecimen paucorum qui nunc occurrunt adſcribam. 1. *Vellem eſſe Monarcha totius orbis, & darem illum B. Virgini.* 2. *Vellem dare B. Virgini meum locum in cæleſti gloria, ſi nullus inibi eſſet locus pro B. Virgine.* 3. Ex cuiuſdam è B. Vrſulæ monialibus, pia praxi. *Si ego eſſem mater Dei, & B. Virgo eſſet quod ego ſum, vellem cedere dignitate matris Dei, eámque B. Virgini tribuere.* 4. *Mallem eſſe in inferno, quàm ſi B. Virgo non eſſet mater Dei.* 5. *Amo te Chriſte Deus, propter matrem quam diligo.* Hos actus celebrat, & ad eos cudendos hortatur Autor nuperus. Primum cap. 9. deuotione 8. *pag.* 270. ſecundum ibidem deuotione 2. *pag.* 234. Tertium cui appingit *Selah pag.* 236. Quartum cap. 2. deuotione 2. *pag.* 48. Quintum cap. 6. deuotione 8. *pag.* 187. Opus vniuerſum huiuſmodi honoribus erga Deiparam, ſcatet.

Dominium vniuersale proprietatis, Virgini tributum, exploditur.

34. MIhi omnia ista, partim conficta, partim otiosa & inania, atque adeò rejicienda videntur. Nec timeo imminutioni pietatis ex eorum reiectione, cum pietas solidus cultus sit, non figmentis subnixus. Nego igitur Deiparam esse stricto jure dominam mundi, siue dominio proprietatis, siue dominio Iurisdictionis quoad idonea huius dominij obiecta. Nullus enim suppetit talis dominij titulus. Et vt reliquos dimittam, quos etiam aduersarij fatentur non esse solidos, ne titulus quidem maternitatis, idoneus est ad fundandum hoc Deiparæ dominium. An enim Reginæ matres, rerum potiuntur in terrenis Regnis? An in priuatis familiis, mater vidua, stricto ac proprio iure, domina est bonorum quæ filiis Pater reliquit testamento, aut aliter? Nemo non videt, quàm ista sint contra communem sensum, & existimationem. Itaque B. Virgo cum satis per seipsam splendeat, non eget his commentitiis titulis: satisque ei est, vt ab omnibus coli, ac etiam à rebellibus metui debeat, quod mater sit Christi, & omnia apud eum possit: ac proinde sit domina omnium, & Regina mundi, in filio, atque per filium. Nec plus voluit Athanasius, aliive Patres, quotquot B. Virginem ex eo quod Deipara sit, reginam & dominam denominari voluerunt. Perspicuè enim, ex eo quod Christus rex largiatur Deiparæ omnem gratiam, debere Deiparam denominari heram & dominam, confirmat Athanasius, vel quisquis illius de sanctissima Deipara homiliæ autor, cuius verba infra adducam.

Discussa pia otiositas malè actuosorum erga deiparam.

35. QVod attinet ad actus B. Virgini honorificos, quos postea retuli à quibusdam vsurpari, dandum quidem est aliquid piæ simplicitati, ac incenso affectui eorum qui fortassis aliquando censuerunt, se ea ratione colere & ritè venerari B. Virginem. Nam pia Mater, quæ imitatione Dei affectum potiùs pensat quàm effectum, potuit tales actus, (si quando contigit eos bona mente elici,) acceptos habere. Itaque in rusticanis & simplicibus personis, vel deuoto fœmineo sexu, dissimulari vtcunque posset hæc ratio colendi B. Virginem cum ab eis vltrò vsurpatur. Vt autem hæc ab iis qui per tempus debent esse Magistri, doceantur, & commendentur, ac prælo mandata vbique vulgentur, abusio est digna correctione. Actus quippe expositi, per se spectati, & sola eorum natura considerata, ferè videri possunt otiosi, & inepti quibus B. Virgo colatur, præsertim in tanta vbertate solidorum actuum, eidem Virgini sanctissimæ perhonorificorum.

Quis enim non rideat, desiderium illud promotionis suæ in Regem totius mundi, quo regno vellet se abdicare, & illud B. Virgini conferre? Periculum est, ne multi eo desiderio ad fouendam ambitionem suam abutantur. Velle

autem locum qui in cœlo sibi obtigerit, dare B. Virgini si alium ipsa non haberet, stultum est : quia sedes beatorum, cum à Deo ipso pro cuiusque meritis, & radicaliter rem spectando, pro bona voluntate sua, assignentur ; eorum duntaxat esse possunt, quibus obtingunt : nec secundùm charitatem ordinatam, atque adeò absque peccato, potest quispiam velle suo loco jam obtento alteri cedere, præsertim indigno : cuiusmodi planè est quisquis ibi locum non habet post excessum è vita, & abstersum planè reatum. Itaque quilibet rogatus suum in cœlo locum concedere, deberet respondere illud Christi, *non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre.* Tertius actus, confictus est ad imitationem cuiusdam æstus amoris, vulgo adscripti S. Augustino. Sed planè immeritò, cum sit actus omnium prudentum iudicio ridiculus; quippe nixus multis impossibilitatibus, & pugnantissimis contradictionibus, quibus Deus qui est ipsa veritas, non amat inædificari pietatem. Idem est ergo de B. Virgine quoad proportionalem actum transferendi maternitatem Dei in illam.

Quartus actus quem à S. Birgittæ filio Carolo vsurpatum, refertur l. 7. Reuelat. c. 13. in homine militari qualis ille erat, tolerari potuit : non tam ratione pretij talis actus, quod verè est in eo perexiguum, præ aliis plerisque nobilissimis actibus solidè vsurpabilibus erga B. Virginem, quàm ratione affectus judicij simplicitatem compensantis. Vbi notanda est diligentia scriptoris, qui eum actum à S. Birgitta elicitum dicit, & insignem compensationem à B. Virgine eidem actui heroico repromissam per visum refert: addens probabile esse Carolum quoque S. Birgittæ filium, elicuisse eundem actum. Hîc dico diligentiam scriptoris cespitasse. Nam loco qui allegatur, S. Birgitta nihil tale à se dictum, vel à B. Virgine repromissum docet, quale refertur ab hoc scriptore : quem proinde aduertisse oportuerat, non esse prudentis, cum visa diuina, & oracula ac promissa narrantur, ea ex aliena fide transcribere. Haud dubiè enim is quem autor exscripsit, infideliter visum illud diuinum commentus est. Quod autem scriptor addit, verisimile esse vsurpatum à Carolo S. Birgittæ filio, hoc ipsum est quod apud S. Birgittam narratur, non vt verisimiliter coniectatum, (quod scriptor fecit,) sed vt reipsa gestum, & vsurpatum à Carolo.

Quintus actus, si sensus esset amari Christum quia beneficus fuit erga B. Virginem, benè haberet. Nam tunc ratio amandi Christum, non esset Deipara. Sed ea in re nihil esset singulare, cum tamen autor hunc actum statuat vt singularem, ac minimè protritum, sicut omnia pietatis erga Deiparam opera quæ addensat toto opere. Sensus ergo illius actus, *Amo te Christe Deus, propter matrem tuam*, ex mente Autoris, is est quo ratio amandi Christum, est B. Virgo; ita vt bonitas & perfectio B. Virginis, non respectiuè ad Christum, sed in se quasi absolutè spectata, sit motiuum amandi Christum. At hic modus amoris, vt minimùm est incongruentissimus. Neque enim par est, amare Christum ob amorem alterius puræ personæ creatæ, cum qua aliquatenus connectatur. Sicut nemo congruè Christum amaret, ob

perfectionem S. Petri, quia fuit Christi Apostolus. Nec rectè quispiam amaret Deum, vsurpans pro motiuo amoris, bonitatem creatam quæ cum Deo essentialiter connectitur. Quis enim ferat eum qui diceret, *amo Deum, quia Paulus habet bonitatem amabilem*, non intendens amare Deum tanquam fontem à quo ea bonitas profluxerit, sed sistens in ea bonitate creata, cuius subiectum in eo amandi modo, præponitur Deo? Nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis.

Certa salus cultorum Deiparæ, reiecta.

37. Est & alia amplificatio gloriæ accidentalis Deiparæ, quoad impetrationem pro nobis. Sunt enim qui contendant, impossibile omnino esse, B. Virginis cultorem damnari, eo quod B. Virgo impetratura ei sit auxilia congrua; quibus si cadat, infallibiliter resipiscat ante mortem, tandémque saluetur. Ita Mendoça l. 2. florum sacrorum, problem. 9. qui adducit nonnulla loca Patrum, quibus asseritur impossibile esse vt pereat, qui ad Mariam accesserit: quo pacto locutum refert S. Anselmum. Et ita ex eius oratione de laude meritorum B. Virginis, refert Richardus à S. Laurentio l. 2. de Deip. part. 5. Similem locum ex S. Anselmi libro de quatuor virtutibus B. Mariæ c. 8. referre memini l. 5. de Christo s. 4. in fine. Item S. Bernardus homil. 2. *super missus est*, ait, propitia Virgine perueniri ad cœlum. Huc etiam haud ægrè accedit Richardus à S. Laur. l. 2. de Deip. part. 3. cum ait. [Si quis obligatus esset multis debitis, & haberet vnam petiam terræ, quæ sine cultura, sine seminatione, in vno anno tantam fructus afferret copiam, quod posset de fructu illo soluere totum debitum, & semper viuere de residuo, multùm diligeret petiam illam terræ. Talem fructum protulit nobis Maria, quæ est terra nostra, idest nobis data; quo scilicet fructu redempti sumus ab obligatione gehennæ, & de quo abundanter viuere possumus in æternum. Propter hoc dicitur Deuteron. 8. *Benedicas Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi*. Multùm ergo debemus diligere Mariam, quæ talis terra est, & fructum eius, nec eam cambire pro alia voluptate.] Denique nuperus quidam in Tractatione de Deipara pag. 655. ex Pomœrio l. 3. p. 4. n. 4. & ex Calendario B. Virginis 26. Decemb. hoc Christi ad B. Virginem promissum, refert. [Mater quicunque te orabit per meos dolores, conteretur in fine vitæ.] Cum autem contritio adueheat certò gratiam sanctificantem, & possessio gratiæ sanctificantis in fine vitæ, inferat possidenti certitudinem salutis, perspicuum est juxta istos propositum cultum B. Virginis, certa salute beare colentem. Cœterùm quia fides promissi illius vacillat, nec confirmatur satis locupletibus testibus, sola superest in hac re difficultas ex propositis locis Patrum, aliisque similibus.

38. Verùm sensus prædictorum Patrum, longè alius est. Tantùm enim monstrare volunt, quantum sit momenti in B. Virginis clientela; ita vt spes magna sit, neminem qui B. Virgini piè ac perseueranter famuletur, malè

periturum. Infallibilem tamen resipiscentiam à peccato, vel perseuerantiam in gratia, nemini quantumuis erga B. Virginem religioso, spondere possumus absque errore; cum perseuerantia non cadat sub meritum neque vllum suppetat cœlestè diploma, quo piis Deiparæ cultoribus, auxilia congrua certò infallibiliter sint promissa. Vnde nolim subneruari vllo modo affectum erga cultum sanctissimæ Virginis, quem tot exempla testatissimum faciunt fructuosissimum esse, quamuis citra infallibilitatem æternæ salutis. Eum animum induerunt erga Deiparam electi omnes, sed cum timore & tremore salutem suam operantes: de protectione quidem & patrocinio tantæ matris, plurimùm concipientes spei bonæ; at citra omnem infallibilitatem ac certitudinem.

Clausula Precatoria.

39. HOc animo, in huius operis meta, ad te accedo pia mater, verbis Athanasij, aut quisquis autor fuit orationis de S S. Deipara *sub finem.* [Audi filia Dauidis & Abrahæ, & inclina aurem in preces nostras & ne obliuiscaris populi tui, neque nostri, qui sumus de familia & domo patris tui. Parentes enim tui sumus, secundum generis prosapiæque rationem, nostráque filia es, quia ex nobis genita es. Decet enim te matrem, regeneratricem, dominam, ac heram cognominari, eo quòd ex te prodiit rex Dominus, ac Deus noster: assistentem illi nobis quidem terribili, tibi autem dulci, omnémque gratiam largienti: Qua de causa factum est, vt *gratia plena* appellata sis, vt potè quæ omni gratia abundares, ídque per superuentum in te Spiritus sancti. Ideóque vultum tuum deprecantur omnes diuites plebis, ditati scilicet istiusmodi bonis, & spiritualibus contemplationibus. Ad te clamamus; Recordare nostri sanctissima Virgo, quæ etiam à partu, Virgo permansisti, & retribue nobis pro exigius istis eloquiis, magna dona ex diuitiis tuarum gratiarum. Tu quippe gratia plena es.]

Egi de Christo, egi de matre. [Dulcis dominus (aiebat P. Dam. serm. 11. *in fine,*) dulcis Domina; quia ille Deus meus misericordia mea; hæc Domina mea misericordiæ porta; Ducat nos mater ad Filium, filia ad Patrem, sponsa ad sponsum qui est benedictus in sæcula. Amen.

COMMISSA VEL OMISSA PER AVTORIS absentiam, pauca de plurimis diligenter emaculanda in editione altera.

PAg. 15. num. 17. imaginantor, lege imaginantur. pag. 32. n. 2. Nuperus scriptor, lege Nuperus scriptor vult, &c. p. 37. n. 10. qui recens scripsit, &c. l. Quidam recentior & sanè, &c. p. 39. n. 13. ne tam pinguem ignorantiam, l. tantam falsitatem. p. 40. Augustino indignam, l. clarè rejectam. Ibid. post medium, Caligida, l. Caligula. Ibid. à morte, l. Amoria. p. 49. minus conflagrauit, l. viuus conflagrauit. Ibid. duodeuigenti, l. duodeuiginti. p. 65. debeo à Deo, l. debet à Deo. Ibid. diuina distinotam, l. diuina distinctam. p. 66. in fine, non luciosi, l. lusciosi. p. 67. ergo diuinos, l. ergo diuinus. Ibid. doctrina dignissima, l. doctrina dignissimæ. p. 90. Cantepretanus, l. Cantipratanus. Ibid. Hugenis, l. Hugonis. p. 93. illas Ægyptias, l. ollas Ægyptias. Ibid. reg. 48. summa, l. reg. 48. summarij. p. 102. n. 9. has insulsitates, l. has sententias. Et mox, in eius corde stabulantes, l. sedem habentes, p. 120. juramento quia non, l. juramento fauere, quia non. p. 121. actuatim per summam, l. aceruatim. p. 123. à Vuicleffol. l. à Vvicleffo. p. 124. n. 8. pietatis heteroclisis, l. heteroclises. p. 126. præter vniuersaliter, l. præterea. p. 131. n. 18. animo aborat, l. aberat. p. 144. Tibero circuirè, l. libero. p. 146. Vdalici Episcopi, l. Vdabrici. p. 147. Christianos Ethnicis, l. ab Ethnicis. Ib. annuo V. Vuolfangus, l. annuo. V. G. Ib. quadrage Romanorũ, l. quadragenæ è Ib. dici pronunciauit, l. dici, rectè pronunciauit. Ib. Tert. l. de processl. l. Tertull. l. de Præscript. p. 157. Recedere. ergo, l. Recede. p. 161. n. 36. pompa ostentotur, l. ostentetur. Ibid. contra Azocium, l. Azorium. p. 164. n. 41. Bellicosus, l. Hernicosus. p. 242. S. Hierin. l. S. Hieron. p. 250. Histor. Cartuc. l. Cartus. p. 279. orationis fuco, l. fuci. p. 305. hom. non contemnenda, l. Hom. de non. p. 311. extra suum focum, l. locum. p. 315. his est fortasse, l. lis. pag. 324. S. Mamerco intactum, l. inuectum. p. 325. nostrantium processionum, l. nostratium. p. 327. pocessionum, l. processionum. p. 328. Scyatos Schyphos, l. cyathos, Scyphos. p. 334. ob præcessionam, l. ob præcessionem. Ibid. vt enim præter, l. vt enim prætercam. Ibid. quo Iustinianus, l. quod. p. 341. in Consilio, l. Concilio. p. 358. Garganum moncem, l. montem. p. 360. Dei Sanctorum, l. Dei & Sanctorum. Ibid. festino festa, l. festino & infesta. Ibid. ineptirèe, l. ineptirè. Ibid. titulo vnus alicuius, l. vnius. p. 371. Nouis sollicitius, l. Notis. p. 378. discurso 22. his ex Hugone, l. discursu 22. Ibid. quis eodem, l. quas. p. 395. tractu Maurianensi, l. Viuariensi. p. 421. festa Dei, l. festa die. p. 426. ad id astructæ, l. ad id astrictæ. p. 429. ritè audite, l. auditæ. p. 442. n. 29. quod & contra, l. quod est. p. 445. indicit in diem, l. incidit. p. 473. Abraham Israelitini, l. Israëlitici. p. 493. Nulla item solida, l. solida. p. 499. qualem in Beatæ, l. qualem Beatæ.

IN DYPTICHIS.

PAge 6. n. 2. nauſea verſor, l. verſer. Ibid. non ſine ſuperpodiis, l. ſuperpondiis. In fine, examiois cribro, l. examinis. p. 7. n. 4. Alphabeſnico, l. Alphabetico. Ibid. Chrypippus, l. Chryſippus. p. 8. Hi ſcholaſticum, l. ſi. Ibid. nulla curia, l. cura. p. 10. n. 7. moſtrat. l. monſtrat. p. 11. adæſio, l. adhæſio. Ibid. in fine, non quidem de effectu, l. non quidem effectu. p. 13. laudari minimè, l. laudare. Ibid. contiſceremus, l. conticeſcemus. p. 14. quia potius, l. quin. Ib. ſed qui nos, l. ſed quid. Ibid. tuas exercere, l. exerere. p. 16. eſt vniuerſè, l. vniuerſi. p. 19. in fine obſcurat, l. obſcurant. p. 20. Alias Dominum, l. alias jactant Dominum. Ibid. Hæretico Mephitis, l. hæreticæ. p. 23. quidem quam, l. quidem verum. p. 24. illuſtrandum imploro, l. illuſtrandam. Ibid. n. 3. abieciſſet ſibi, l. obieciſſet. p. 25. & nominorim circa, l. nominatim. Ibid. quidquid eam attinet, l. quidquid ad eam. p. 26. pro natiuitate ſua, l. pro nauitate. p. 27. Deiparæ intra, l. iuta. Ibid. quàm matris eius, l. quàm matri. p. 30. ne ſanctitatem, l. ad. p. 31. maternitate non, l. maternitate ideſt non. Ibid. n. 7. ſi vrgens, l. ſi vrgens. p. 33. n. 8. alij ſancta, l. ſancto. p. 34. fortè injiciendus, l. fore injiciendos. p. 35. n. 11. id dona, l. ideſt dona. p. 37. eſſe vt ablegaṅda, l. eſſe, &c. p. 39. quod ſuum, & l. quæ. p. 41. n. 4. ac omnium, l. ac ſomnium. Ibid. vitam exigit, l. exegit. Ibid. ſcitè dicit, l. dixit. Ib. concilium Dei, l. conſilium. p. 42. vinifici frumenti, l. viuifici. p. 44. verum ea plorata eſt, l. verùm ea proportio nec explorata eſt. p. 45. n. 10. modum accepta, l. concepta. p. 46. ſuſcitando prolem, l. ſuſcitandi. Ib. patre iam ſenes, l. ſene. Ibid. & corpora ab, l. corpore. p. 47. & coniugis, l. coniugij. Ibid. Efflorauit, l. effloruit. p. 49. eſſent. Dec. l. eſſet. p. 51. dierum ſemoram, l. remoram. Ib. ſuum præſidente, l. præcidente. p. 52. Flodoardus non cenſuit, l. Flodoardus cenſuit. Ibid. vena ambilicari, l. vmbilicari. Ibid. ipſam prolom. l. prolem. p. 53. abſterri, l. abſterſi. Ibid. fingantur, l. fingatur. p. 56. Pelbortus, l. Pelbartus. p. 58. & qua Chriſti, l. ex qua. p. 60. cultus vultus, l. cuius. Ibid. pulchritude, l. pulchritudine. Ibid. admirabiſſimum, l. admirabiliſſimum. p. 61. differentem, l. diſſerentem. p. 62. Damiani declarata ſerm. l. Damiani ſerm. Ibid. ridere nautas, l. ridet. Ibid. quos nunquam, l. quæ. p. 66. coageremur dicere, l. cogeremur dicere. Ibid. Ragnetrudæ, l. Ragnetrude. p. 67. detritæque. l. decritæ. Ib. ne improuidæ, l. ne improuidi. p. 75. in quo ſecus, l. ſexu. p. 77. ploratus externos, l. æternos. Ibid. & ac vltronea, l. & vltronea. p. 78. ac triplex, l. æs. Ibid. Mendeza, l. Mendoza. p. 79. protenſum infra, l. vt infra. p. 80. Enodius, l. Euodius. Ibid. morem in eo, l. moram. Ibid. minus abſurdo, l. minùs abſurda. p. 83. ipſo diceret, l. ipſe. Ib. obrumbare, l. obũbrare. p. 85. poſſit quia, l. quin. p. 87. Matth. 3. l. Matth. tract. 3. Ibid. commixione, l. commixtione. p. 90. fœdore, l. fœdere. p. 93. alicubi fratres, l. alicui. Ibid. addicti ſint, l. dicti. p. 94. habitauit iuuenis, l. habitauit. Ibid. exibent, l. exhibent. Ibid. carmino, l. camino. p. 95. conſociatione, l. conſociationem. Ibid. copulari ſene, l. capulari. p. 97. eorum tarditatem, l. barditatem. p. 98. vides contra, l. vides & contra. Ibid. haud dubia, l. dubiè. p. 99. Magnificat

propè, l. Magnificat, confirmat propè. Ibid. affirmant post, l. affirmat. Ibid. sanctificationem ante, l. sanctificationem in primo memento ita neque quoad sanctificationem ante. p. 102. maximè item, l. minimè item. Ibid. facit qui ineptinet, fuit qui. p. 107. Iudæorum ait, l. Iudæorum erat, ait. Ibid. quasi Lucas, l. quam. p. 109. Delrij an, l. Delrij ad. Ibid. splendencis veteri, l. splendentis. Ibid. flente refrigerio, l. flante. p. 111. in fine, omnísque, l. omnisque. p. 112. inflaxum, l. influxum. p. 113. semper ardores, l. ardeꝛes. p. 114. compleſti fine, l. complecti. p. 118. suscipimus quod, l. suspicimus. Ibid. vtero habitaturam, l. habituram. p. 119. in signum matris, l. in finem. p. 120. quarum confectione, l. quorum. Ibid. perinde ibi, l. proinde. Ibid. in fine, subministrante, l. subministranti. p. 121. in fine, inter ipsam, l. intra. p. 123. innatus est quasi, l. inquinatus. p. 124. fuisse contractum, l. compactum. p. 125. refragabitur secundæ sententiæ, l. secunda sententia. p. 126. vbique virtute, l. ibíque. Ibid. litera quæ, l. litem. p. 127. si per eadem, l. semper eadem. Ibid. est ac solubilis, l. fluxa est ac. p. 129. non persuadebimus, l. non persuadebimur. Ibid. affectauit tabellio, l. acceptauit. p. 132. præmisso & discessu, l. præmisso discessu. p. 133. item vehementia, l. item & vehementia. Ibid. potuit concipiente, l. concipienti. Ibid. constristauit, l. contristauit. p. 136. Marianus Victorinus, l. Victorius. Ibid. permittendi, l. permittenti. p. 139. Cherubino, l. Cherubico. p. 141. tua quas gratia, l. qua. Ibid. in c. 2. subire, l. in c. 2. Lucæ. Ibid. sancto intelligibilius, l. tanto. p. 142. eis tractatus, l. eius. p. 143. casulæ per, l. casulæ pilastraturam tectum & soli parietes per. Ibid. Quæ dico, l. quæ duo. p. 144. virginit. claustra, l. virginitatis claustra. Ibid. transilit per, l. transibit. Ibid. non transieret, l. transierit. p. 146. eius opertam, l. apertam. p. 147. num. sed, l. num. 7. p. 148. hic interuenerit, l. interuenit. p. 149. de eodem hypap. l. de eadem. p. 150. & antithesi, l. ex. p. 151. eodem pertinent, l. pertineant. Ibid. nascenti illinire, l. illinere. Ibid. vt optante, l. vt operante. Ibid. hos à Patribus, l. hos è Patribus. p. 153. sanctum vocum, l. virum. p. 156. quod sciuit viles, l. quod sciuit ipsa vilis habebatur; ita viles. Ibid. appingunt patienti, l. parienti. p. 157. stramite recubuit, l. stramine. Ibid. Opera & affectione, l. affectiones. p. 158. Christo descriptum, l. scriptum. p. 163. declinatus est, l. reclinatus. Ibid. portam assererent, l. assereret. p. 165. Deiparæ & partu, l. ex partu.

5-3-3